This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600100550H

CLEMENTIS XIV

PONT. MAX.

EPISTOLÆ ET BREVIA.

PARISIIS. — EXCUDEBANT FIRMIN DIDOT FRATRES, VIA JACOB, 56.

CLEMENTIS XIV

PONT. MAX.

EPISTOLÆ ET BREVIA

SELECTIORA

AC NONNULLA ALIA ACTA PONTIFICATUM EJUS

ILLUSTRANTIA

QUÆ EX SECRETIORIBUS TABULARIIS VATICANIS
DEPROMSIT ET NUNC PRIMUM EDIDIT

AUGUSTINUS THEINER,

CONGREGATIONIS ORATORII ROMANÆ PRESBYTER,
CONSULTOR SACRARUM CONGREGATIONUM INDICIS LIBRORUM PROHIBITORUM,
EPISCOPORUM ET REGULARIUM AC SANCTI OFFICII, SOCIUS
CONGREGATIONIS SPECIALIS DE IMMACULATA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS CONCEPTIONE,
COLLEGII THEOLOGORUM ARCHIGYMNASII ROMANI, ET ACADEMIÆ
PONTIFICIÆ ARCHÆOLOGIÆ, PRÆFECTUS COADJUTOR
SECRETIORIS ARCHIVI SANCTÆ ROMANÆ SEDIS, ETC., ETC.

PARISIIS,
APUD FIRMIN DIDOT FRATRES, BIBLIOPOLAS,
INSTITUTI FRANCIÆ TYPOGRAPHOS,
VIA JACOB, 56.

1852.

110. E. 13.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

PRÆFATIO.

Validissimis rationibus permoti consilium inivimus annales gloriosissimi pontificatus Clementis XIV Pontificis Maximi separatim edere ac vernaculo idiomate conscribere, quarum illa præcipua fuit, ut ita utilitati omnium magis consuleretur. Satis disseruimus hac de re in præfatione, quam ipsis annalibus præmisimus, quo fit ut supervacaneum omnino esset quæ ibi diximus denuo repetere.

Consilium hoc nostrum exigit et rationi rerum prorsus consentaneum esse videtur, ut singulare volumen quod dicunt Documentorum adornaremus, quæ mirifice faciunt ad corroboranda, quæ in annalibus Clementinis narravimus nec non ad degustandum magis magisque illum pietatis, mansuetudinis ac caritatis spiritum, quem omnes Clementis XIV

Pontificis Optimi Maximi epistolæ singulari quodam modo redolent, quique vere seraphicus dici potest.

Subjunximus denique alia quædam haud adspernanda documenta, quæ historiam istius temporis adprime dilucidant.

Utere itaque, humanissime lector, hac qualicunque documentorum supellectili, quæ tibi et Pontificis Opt. Max. et sui temporis imaginem summa fide depingunt.

Dabamus Romæ ex Museo Vallicelleano presbyterorum congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, Idib. februar. A. Dom. M.DCCC.LII.

CLEMENTIS XIV

PONT. MAX.

EPISTOLÆ ET BREVIA

SELECTIORA.

I.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 junii 1769.

Carissime in Christo Fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Dilectum filium nobilem virum Josephum Henricum Marchionem de Aubeterre Majestatis tuæ apud hanc apostolicam sedem oratorem, et semper antea propter egregias illius virtutes plurimi fecimus, et nunc ad pontificiam dignitatem divina clementia evecti ob singularia ejusdem in nos perspecta studia mirifica benevolentia complectimur. Hinc facile Majestas tua potest cognoscere, quam ægre feramus tam cito a nobis eumdem discedere, quem diutius penes nos commorari maxime cuperemus. Verumtamen, cum suæ ipsum rationes isthuc revocent, atque idcirco postulanti Majestas tua redeundi facultatem concesserit, Nos, et illi loculentissimos paterni animi nostri sensus declaravimus, et Majestati tuæ testatum esse volumus cunctas in amplissimo obeundo munere integritatis, fidei, prudentiæ, ac in Nos etiam pietatis partes esse ab illo præclare cumulatas. Idem dum humanissimas tuas redderet litteras, quibus Nos de illi concessa reditus venia certiores fecisti, demandatum sibi tuæ filialis erga Nos atque apostolicam hanc sedem declarandæ observantiæ officium accuratissime peregit. Nos invicem illi summopere commendavimus, ut nostri in te paterni amoris magnitudinem tibi quam uberrime ex-

plicaret. Persuasissimum enim illud esse Majestati tuæ vehementer optamus, nullum officii genus, nullum singularis benevolentiæ testimonium proficisci a Nobis posse, quod non libentissime in te conferre cupiamus, ut ita nostrum summum studium, atque eximiam erga te voluntatem reipsa in omnibus tibi comprobemus. Demum a Deo optimo maximo enixe petimus, ut faustos rerum tuarum, consiliorumque omnium successus esse velit, nosque cælestium munerum auspicem apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, universæque regiæ domui tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die* 14 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

II.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 junii 1769.

Carissime, etc. Ob egregias animi dotes ac singulares virtutes, quibus Majestatis tuæ apud nos oratorem, consiliarium actualem, intimum camerarium dilectum filium nobilem virum Ernestum comitem de Kaunitz Rittberg instructissimum esse cognovimus, vehementer sane cuperemus, ut idem post gratulationis ac filialis observantiæ tuo nomine præstitæ officia præclare nobiscum peracta diutius penes Nos commoraretur. Quoniam autem eumdem Neapolitanæ, qua perfungitur, legationis rationes illuc revocant, quemadmodum venientem ad Nos libentissime excepimus, ita tuo jussu proficiscentem luculentissimis pontificiæ benevolentiæ testimoniis prosequimur, et Majestati tuæ, quas uberiores dare possumus in commisso obeundo munere illius fidei, prudentiæ, ac in Nos pietatis significationes universas reddimus. Porro confidimus fore, ut idem Majestatem tuam certiorem faciat de nostri in te studii atque amoris magnitudine, tibique significet, quam ingentem spem de tua satis omnibus perspecta religione, atque in Nos, ac sanctam hanc sedem peculiari studio habeamus. Dilecto filio nostro Alexandro S. R. E. Diacono cardinali Albano demandatum esse, ut Majestatis tuæ rerum curationi præesse pergeret, Nobis est jucundissimum, illum enim et plurimi facimus, et magnopere diligimus et diligenter curabimus, ut in egregia sacerdotio ac imperio navanda opera nullas paternæ nostræ benignitatis partes desideret. Interim Majestati tuæ a Deo bonorum omnium largitore

ad sacrosanctæ religionis incrementum, ac christianæ reipublicæ tranquillitatem fausta ac felicia omnia deprecantes apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo filii noster, amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

III.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 junii 1769.

Carissime, etc. Perspectissimæ Augustæ Cæsareæ domus pietati, eximiæque in hanc apostolicam sedem observantiæ ea plane consentiunt, quæ retulit Nobis dilectus filius nobilis vir S. R. J. comes de Kaunitz Rittberg actualis consiliarius, intimus camerarius, et orator apud Nos tuus, quæque Majestas tua perscribit de ingenti gaudio, quod ob Nos ad Christi in terris vices obeundas divino consilio in supremo Ecclesiæ culmine constitutos percepit. Hi pii religiosique animi tui sensus neque novi Nobis, neque inexpectati fuerunt, cum Nos ipsi paucis ante mensibus Majestatem tuam nostra S. R. E. cardinalium comitia invisentem aspexerimus, atque allocuti simus, et coram excelsam virtutem ac sapientiam tuam ore, vultu, oculis emicantem multa cum jucunditate admirati. Tanto igitur magis hoc tuæ in Nos filialis observantiæ testimonio lætamur, eamque, quam ad hoc gravissimum sustinendum munus in nostris viribus non habemus fiduciam, ex tuo in nos studio cupimus, quo de primi Ecclesiæ filii supremique ejusdem advocati et defensoris muniis nunquam defuturum polliceris. Nos quidem hac egregia tua voluntate vehementer innitimur, contraque ita comparati animo sumus, ut non solum eam, quæ inter sacerdotium et imperium intercedit conjunctionem fovere, sed arctioribus etiam amoris ac officiorum omnium vinculis semper magis adstringere cupiamus. Luculenter hanc animi nostri sententiam exprompsimus eidem oratori tuo, dum diligenter mandatum tibi a Majestate tua munus apud Nos perageret, quo ita graviter magnificeque functus est, ut splendore prudentiaque sua et plurimum sibi a Nobis gratiam conciliaverit, et omnium ordinum voluntates mirifice devinxerit. Demum incredibili Majestatem tuam studio notro paternaque cumulatissima caritate prosequentes apostolicam benedictio-

nem tibi, carissime in Christo fili noster, amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

IV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ, HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NEC NON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 junii 1762.

Carissima in Christo filia nostra salutem et apostolicam benedictionem. Dilectus filius nobilis vir Camerarius, et consiliarius actualis intimus Majestatis tuæ Ernestus comes a Kaunitz Rittberg, imposito a te sibi legationis apud Nos, munere egregie est perfunctus. Siquidem amplissimis verbis Nobis ad pontificiam sedem divina clementia recens evectis tuæ gratulationis officia detulit, et quam præclara sint tua erga Nos atque hanc apostolicam sedem studia declaravit. Nos quidem perspecta jamdiu Majestatis tuæ pietate ac religione freti, nunc vero his eximiis tuæ voluntatis significationibus confirmati in gravissimarum rerum procuratione sustinenda maxima Nobis in te, tuaque augusta domo adjumenta ac præsidia constituta esse non dubitamus. Ex eodem tuo christianis virtutibus ornatissimo animo, unde nostra hæc de te præclare sperandi argumenta suppeditantur, summæ etiam ac singularis paternæ nostræ in te caritatis rationes emanant. Hæc amplissima nostra de te judicia atque intimos animi sensus eumdem oratorem tuum prolixe explicaturum tibi confidimus, cujus et splendorem et prudentiam in obeundo munere et multam etiam in Nos pietatem magnopere collaudamus. Interim in loculentius devinctissimi nostri erga te studii, ac pontificiæ benevolentiæ pignus omnem tibi a Deo optimo maximo veram solidamque felicitatem implorantes apostolicam benedictionem Majestati tuæ, carissima in Christo filia nostra, amantissime impertimur. *Datum Romæ etc., die* 21 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

V.

DILECTIS FILIIS

VEXILLIFERO ET PRIORIBUS CIVITATIS NOSTRÆ URBINI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 junii 1769.

Dilecti, etc. Neque uberiora, neque nobis cariora officia ulla esse possunt, quam quæ a vobis fuerunt ob pontificiam dignitatem ad Nos divina clementia delatam litteris fidei, ac filialis observantiæ plenissimis Nobiscum peracta. Ampliores etiam nobisque jucundiores has lætitiæ vestræ significationes reddiderunt venerabilis frater noster Joannes Franciscus S. R. E. cardinalis Albanus, et dilectus filius noster Benedictus S. R. E. cardinalis Veteranus cives Vestri, quos ob eorum eximias laudes, ac præclara in Nos merita plurimi facimus, ac mirifice diligimus, qui vestro nomine luculentissime vestrorum animorum sensus, vestræque in Nos fidei ac pietatis magnitudinem nobis declararunt. Hæc igitur vestrorum in Nos studiorum tam præclara testimonia gratissimo animo excipimus, Vobisque invicem profitemur, erga vos, ac civitatem istam, quam patriam ac parentem nostram nuncupare jure possumus, nunc ut carissimam filiam, complectimur, singularem nostram esse benevolentiam, Nosque summopere lætari, quod eximiæ nunc opportunitates suppeditari poterunt ornamentis ac commodis vestris amplificandis, nostræque paternæ in vos reipsa confirmandæ voluntatis. Sacræ ac gloriosissimæ mem. Clementis XI. Prædecessoris nostri cum ceteras virtutes imitari maxime vellemus, tum certe studia in vobis ornandis ac omni beneficiorum genere prosequendis æmulari satagemus. Verum hæc vobis cardinales amplissimi cives vestri fusius perscribent, quorum litteris nostræ in vos benevolentiæ vim perspicue cognoscetis. Interim certissimum pontificiæ in vos caritatis argumentum apostolicam benedictionem vobis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

VI.

DILECTIS FILIIS

AC DILECTIS IN CHRISTO FILIABUS, CONFRATRIBUS ET CONSORORIBUS

REGIÆ SOCIETATIS ALBORUM DE SPIRITU SANCTO

NUNCUPATORUM SUB INVOCATIONE

SANCTÆ MARIÆ REGINÆ SANCTORUM OMNIUM CIVITATIS NEAPOLITANÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 junii 1769.

Dilecti filii, ac dilectæ in Christo filiæ salutem, etc. Nihil Nobis gratius ac jucundius obvenire existimamus, quam cum accipimus pias utriusque sexus christifidelium sodalitates ubique terrarum erectas iis pietatis caritatisque operibus et exercitationibus sedulam operam dare, quibus et ad propriam cujusque sodalis æternam salutem consequendam, atque aliis christifidelibus procurandam excitantur. Quoniam autem, sicut Nobis nuper exponi fecerunt dilecti filii Eques Scipio Pigala, Joseph Persico, et Andreas Sabattini moderni sodalitatis vestræ superiores sive gubernatores, sive officiales, ipsa vestra sodalitas summopere exoptat, ut Nos quoque non solum nostrum nomen eidem sodalitati adscribi patiamur, verum etiam cælestium munerum thesauros viris confratribus dumtaxat per fel. rec. prædecessores nostros Gregorium papam XIII et Clementem VIII aliosque Romanos Pontifices alias elargitos ad dilectas in Christo filias ejusdem sodalitatis consorores extendere dignaremur. Nos itaque quibus supremum sacrosancti apostolatus munus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam impositum, et totius catholicæ ecclesiæ cura demandata est, maximopere gaudentes piis vestrarum apud omnipotentem Deum, atque beatissimam Virginem Mariam immaculatam obsecrationum suffragiis participes fieri, vestrisque optatis obsecundare, libenter annuimus nostrum nomen eidem sodalitati vestræ dare, atque inter confratres numerari. Fore enim in Domino confidimus, ut suffragantibus meritis precibusque vestris ea, qua majori potest, sollicitudine, cura et vigilantia ministerium nostrum apostolicum adimplere valeamus. Præterea pari apostolica benignitate et auctoritate, quibuscumque contrariis non obstantibus, omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones, pœnarumque relaxationes, quas viris confratribus vestræ sodalitatis dumtaxat laudati prædecessores nostri concesserunt, ad dilectas pariter in Christo filias consorores extendimus, hac tamen conditione, ut cum quælibet ex consororibus ea opera

præstare, iisque exercitationibus interesse non poterit, et quibus confratres intersunt, et quæ præstare solent, recitans rosarium quinque decadum beatissimæ Virginis Mariæ, et illud pro majori divini honoris cultu, sanctæ matris ecclesiæ exaltatione, hæresum extirpatione, christianorum principum concordia, et sodalitatis vestræ in christianis virtutibus incremento applicans easdem, quas confratres lucrantur, indulgentias, peccatorum remissiones, pœnarumque relaxationes lucrari et consequi possit. Interim ad cœlestis præsidii auspicium, et studiosæ nostræ erga vos voluntatis pignus adjungimus apostolicam benedictionem quam vobis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 30 *junii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

VII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

LUDOVICO EUGENIO DUCI WIRTEMBERGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 julii 1769.

Dilecte Fili nobilis vir salutem, etc. Neque uberiora, neque Nobis cariora ulla erga Nos officia esse possunt, quam quæ fuerunt a nobilitate tua ob nostram ad Summum Pontificatum evectionem Nobiscum luculentissime peracta. Litteris enim singulari in Nos pietate refertis tantam lætitiæ nostræ causa a te susceptæ vim, ac tam apertis inditiis declaras, ut expressam inde possimus amantissimi nostri, atque erga hanc S. Sedem observantissimi animi tui effigiem clarissime intueri. In eo vero præsertim studia in Nos tua agnoscimus, quod in gravissimo gerendo munere, cui impares omnino sumus, tuis ad Deum precibus adjuves, ac ad communem Ecclesiæ utilitatem faustis auspiciis prosequaris. Quare de hac egregia tua in Nos voluntate mirifice lætamur, et peculiari benevolentiæ sensu has amoris significationes excipimus, atque illud invicem profitemur his officii ac pietatis tuæ partibus parem pontificiæ in te caritatis esse magnitudinem, Nosque nihil tantopere cupere, quam ut opportunitates suppeditentur propensissimi animi in te nostri declarandi. Quantum enim te ob præclarum tuum in catholicam Ecclesiam obsequium, atque ob ceteras eximias animi dotes diligamus, quantique apud Nos sit tua ac generis tui, tuæque inclitæ domus amplitudo, reipsa egregie poteris, cum paternæ nostræ benevolentiæ opera uti voles, cognoscere. Siquidem nihil potest a patre amantissimo in obsequentissimum filium proficisci

quod in te conferre non libentissime cupiamus. Interim certissimum nostri in te amoris pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, ac amplissimæ domui tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

VIII.

DILECTO FILIO NOSTRO

STEPHANO RENATO

TITULI SANCTÆ AGNETIS EXTRA MUROS PRESBYTERO

S. R. E. CARDINALI DE GESURES

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 julii 1769.

Dilecte, etc. Quod scribis a Domino factum esse istud, ut Petri naviculæ his temporibus regendæ Nobis commissum sit munus, Nos ipsi præ cæteris agnoscimus, cum nullis meritis nostris, nullis prorsus viribus inniti valeamus. Sed ipsum, qui cœpit opus esse suum perfecturum minime ambigimus, ac nostra consilia omnia, atque actiones ita directurum, ut et ipse gloriam atque honorem, Ecclesia sua decus atque utilitatem consequatur. Id Nos quidem effusissimis precibus ab eo impetrare quotidie contendimus, id pios omnes conjunctis votis efflagitare lætamur, id a te, dilecte fili noster, præstari pro tua fide ac pietate non dubitamus. Quod igitur et facis ut debes, et te imposterum facturum esse polliceris, in eo perspicimus tuum erga Nos studium cum filiali plurima erga hanc apostolicam sedem observantia conjunctum. Hanc igitur voluntatem tuam, hæc in Nos officia a te diligenter præstita ita excipimus ut nihil magis optemus, quam locum dari nobis aliquem propensissimi nostri vicissim in te paterni animi tibi reipsa declarandi. Interim in pontificiæ erga te peculiaris benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 5 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

• Eodem fere modo Aloysio Constantino S. R. E. presbytero card. de Rohan epo Argentinensi..... die 28 junii; Joanni Franscisco Josepho Tit. S. Eusebii presbytero S. R. E. card. de Rochovartio... et cardinali de Choiseul.

IX.

DILECTO FILIO

BERGIERO, PRESBYTERO

ATQUE IN SACRA THEOLOGIA DOCTORI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 julii 1769.

Dilecte fili salutem, etc. Tua gratulandi officia ob pontificiam Nobis delatam dignitatem eo jucundiora fuerunt, quod tuum erga Nos ac sanctam hanc apostolicam sedem obsequium ac observantiam missis etiam ad nos libris pro tuenda religione a te conscriptis comprobasti. Has tam luculentas tum fidei ac pietatis tuæ significationes, tum doctrinæ indicia perlibenter sane excepimus, ac magnopere lætamur hos a te et ad impiorum repellendos impetus tam opportunos, et ad fidelium incolumitatem tam utiles susceptos esse labores, teque, dilecte fili vehementer hortamur, ut quam inde consequutum te putamus laudem, non ut operis ac vigiliarum mercedem, sed ut incitamentum potius ad novos hujusmodi subeundos labores existimes, deque Nobis, ac catholica Ecclesia benemereri pergas, et quam recepisti a Domino ingenii facultatem, eam ad illius laudem et honorem vindicandum adhibere nunquam intermittas. Nos idcirco gratissimo erga de semper animo futuros profitemur, nec in Nobis minora experturum te studia, quam sa. Mem. Clementis XIII. Prædecessoris nostri fuissent. In cujus erga te pontificiæ caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramenter impertimur. *Datum Romæ, die* 5 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primó.*

X.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

AUGUSTO MARCHIONI BADENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 8 julii 1769.

Dilecte fili nobilis sir salutem, etc. Quod in tanta omnium ecclesiarum sollicitudine inscrutabili Dei judicio Nobis imposita tantam gratulandi copiam invenire potueris, tuum facit erga Nos atque apostolicam sedem studium, cujus a majoribus tuis tamquam hæreditario jure tibi transmissi præclarum exhibes specimen per litteras officii ac

observantiæ plenissimas. Nos certe luculentius hujus tuæ pietatis argumentum habere non possumus, quam quod fusis ad Deum precibus infirmitatem nostram fulcire ac roborare contendas. Quemadmodum igitur grati animi nostri sensus tibi esse testatos, ita et vehementer esse persuasum cupimus, nihil Nobis prospera tibi omnia cupientibus jucundius unquam futurum, quam ut opportunitates paternæ in te voluntatis nostræ rebus ipsis declarandæ Nobis suppeditentur. Interim nobilitati tuæ apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 8 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XI.

VENERABILI FRATRI

CAROLO EPISCOPO LEODIENSI

CLEMENS PAPA XIV

Romæ, 12 julii 1769.

Venerabilis Frater, etc. Maximo gaudio et civitatem tuam, et ecclesiam, et teipsum, Venerabilis Frater, affectos fuisse ob nuncium de pontificia ad Nos divino consilio delata dignitate luculenter declararunt tuæ observantia, pietate, ac omnium in Nos officiorum genere plenissimæ litteræ, et qui eas Nobis reddidit dilectus filius Marchio Anticcius tuæ hujusmodi voluntatis diligentissimus interpres. Sed ita perspecti jam antea Nobis erant Fraternitatis tuæ in Apostolicam hanc sedem sensus, ut eosdem nunc cumulatis significationibus testatos non sane nobis probaveris, quam magis magisque confirmaveris. Itaque gratissima Nobis fuerunt, atque acceptissima officia hæc tua, quæ a te etiam magis amplificari putamus fusis ad misericordiarum Patrem precibus, ut nostrarum virium imbecillitatem in gravissimo sustinendo munere suo ipse præsidio fulciat ac corroboret. Nos quidem vocanti obsequuti Deo ad regendum Petri naviculæ gubernaculum itæ accessimus, ut et si ventos tempestatesque videremus, modica tamen esse fide ac de ejus præsenti certissimaque ope dubitare non possemus. Quo enim infirmiores Nos sumus, eo perspectiorem fore ipsius miserentis Ecclesiæ suæ potentiam, in eumque tantummodo gloriam ac honorem omnem redundaturum esse intelligebamus. A Deo igitur petendum et expectandum est quidquid faustum Nobis ipse felix atque auspicatum exoptas et auguraris : in judicio vero de Nobis tuo nihil ipsi, nisi humanitatem, pietatem, ac vehemens in Nos animi tui studium agnoscimus. Nos invicem ita in te,

venerabilis frater, animati sumus, ut nihil cupiamus magis, quam aliquam suppeditari Nobis opportunitatem declarandi tibi quanti te faciamus, quam præclare de te, de pastorali virtute tua, deque obsequentissima in apostolicam sedem voluntate sentiamus. Interim apostolicam benedictionem tibi, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 12 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XII.

DILECTIS FILIIS

DUUMVIRIS ET DECURIONIBUS

OPPIDI NOSTRI SANCTI ARCHANGELI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 julii 1769.

Dilecti, etc. Litteræ vestræ obsequii, fidei, ac observantiæ erga Nos significationibus plenissimæ, quibus de pontificia dignitate ad Nos delata luculenter gratulati estis, jucundissimæ Nobis acciderunt. In memoriam enim revocant veterem omnium vestrum, inter quos nati sumus, præclaram in Nos voluntatem atque merita ab ipso pene ortu tot indiciis perspecta, ex quibus nunc et vestrorum in Nos studiorum tamquam effigiem intuemur, et lætitiæ nostra causa a vobis perceptæ magnitudinem cognoscimus. Gaudium hoc vestrum etiam dilecti filii Joannes Felix Garatonius et Cajetanus Marinius cives vestri, quos cum litteris ad Nos delegare voluistis luculentissimis officiis et ipsorum itidem causa nobis acceptissimis explicarunt. Gratissimo igitur animo hæc patriæ nostræ quam nunc ut carissimam filiam complectimur, pietatis in Nos testimonia excepta fuisse profitemur, vobisque invicem spondemus peculiarem semper paternam nostram erga vos resque vestras benevolentiam futuram, ad quam vobis reipsa uberius testandam dignitate nostra facultatem amplificatam esse magnopere lætamur. Vos interim præclarius in dies de Nobis merituros confidimus, quod maxime facturos vos esse existimate, si Deum Opt. Max. pro nostra imbecillitate in gravissimo gerendo munere, cui impares omnino sumus, divinis præsidiis munienda assidue deprecari non intermittetis. Demum certissimum in vos caritatis pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramenter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XIII.

DILECTIS FILIIS VEXILLIFERO ET PRIORIBUS CIVITATIS NOSTRÆ

S. ANGELI IN VADO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 julii 1769.

Dilecti, etc. Quæ vos luculentissimis litteris exhibuistis lætitiæ vestræ ob pontificiam Nobis delatam dignitatem indicia et gratulationis officia, eadem etiam uberrime vestro nobis nomine a dilectis filiis Comite Alexandro Fagnano, et Angelo Clavario civibus vestris fuerunt explicata. Hujusmodi devotionis ac observantiæ in Nos vestræ significationes quam libenti ac grato animo exceperimus, intelligere facile potestis ex pristina nostra benevolentia erga vos civitatemque vestram, ex qua originem ducimus, et quam proinde patriam nostram jure nuncupamus, et nunc ut carissimam filiam singulari benevolentia complectimur. Verum paternam hanc dilectionem nostram deinceps vos melius intelligetis, cum opportunitas etiam reipsa declarandæ præclaræ nostræ in vos resque vestras voluntatis accesserit. Curabimus enim nostrum in vos animum magnopere propensum in vos esse, nec frustra gavisos vos nostra causa fuisse sentiatis. Interim pontificiæ caritatis testem apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XIV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

CAROLO ALBERTO PRINCIPI AB HOHENLOHE

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 julii 1769.

Dilecte, etc. Ex perspecta tua in hanc sanctam sedem filiali observantia facile Nobis persuademus quod scribis plurimam esse lætitiam a te præceptam ob nostram ad supremam divi Petri cathedram divinitus factam evectionem. Id etiam prolixe Nobis coram confirmavit dilectus filius Abbas Calixtus de Gentilibus, quem libenter tuo præsertim nomine audivimus, et in posterum de tuis agentem rebus audiemus. Grata hæc fuere Nobis officia tua, teque ob hoc in Nos studium, et ob cæteras etiam animi tui virtutes plurime paterna caritate pro-

sequimur, quod reipsa etiam pro opportunitate cupidissime declarati sumus. Interim in hujus pontificiæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XV.

DELECTIS FILIIS

RECTORIBUS UNIVERSITALIS STUDII

CIVITATIS NOSTRÆ URBINI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 julii 1769.

Dilecti, etc. Inter commissæ Nobis nuper universæ ecclesiæ, et maximorum negotiorum, quibus vehementer distinemur, sollicitudines peculiaris nostra caritas in vos vestramque civitatem, quam pridem et patriam ac parentem nostram reputavimus, nunc ut carissimam filiam complectimur, facit, ut perlibenter ad vos animum cogitationesque nostras revocemus, et paternam nostram erga vos benevolentiam aliquo non obscuro indicio testatam perpetuo facere cupiamus. Hanc nostram semper in vos mirifice propensam voluntatem magis etiam excitant atque inflammant Venerabilis frater noster Joannes Franciscus S. R. E. Cardinalis Albanus, et dilecti filii nostri Alexander S. R. E. Cardinalis Albanus, et Benedictus S. R. E. Cardinalis Veteranus cives vestri amantissimi, quos ob egregias animi laudes plurimi facimus, et ob maxima in Nos merita unice diligimus. Hi cum vestram in Nos observantiam ac pietatem diligenter declararunt, tum ejusdem optimum ac optatissimum nobis argumentum retulerunt, nimirum compositam et sublatam jam esse controversiam illam quæ inter vos, ac inter dilectos filios minores conventuales istius urbis Seraphicos patres jamdiu intercedebat, eamque nostri demerendi gratia potissimum initam fuisse concordiam. Quam ingentem inde voluptatem animo ceperimus, facile perspiciet quicunque intelliget, quam singulari studio erga seraphicum ordinem, in quo alti atque educati plurima eidem a nobis accepta referenda esse profitemur, animati esse debeamus, quamque item affecti erga vos, vestramque urbem simus, cujus in nos familiamque nostram plurima nobisque acceptissima amoris monumenta semper extiterunt. Itaque quantum antea molestiæ hujusmodi controversiæ inter partes Nobis carissimas affere-

bant, tantundem nunc voluptatis in Nos et concordia vestra redundavit, præsertim cum nostra non jam dividenda ob dissensionem sit, sed ob consensionem cumulanda in utrosque benevolentia. Persuasissimum igitur vobis esse cupimus, nihil jucundius accidere Nobis potuisse hac vestra demerendi nostri alacritate, quæ hæc initia nostri Pontificatus tamquam optimis ac lætissimis auspiciis prosequi voluistis. Hanc in rem et consilium suum, quo plurimum valent, et operam contulisse cum eodem S. R. E. Cardinales cives vestros, et Venerabilem Fratrem Dominicum Archiepiscopum Urbini, cujus pastoralis ministerii præclara apud Nos extat opinio, tum ipsum dilectum filium nostrum Flavium S. R. E. Cardinalem Chisium universi illius seraphici ordinis protectorem, de quo egregie semper mereri studuit, non sine eorum omnium plurima laude ac commendatione et agnoscimus et testamur. Quare quod illi opera, consilio atque auctoritate sua perfici curaverunt, vosque ac seraphici patres tam alacri consensu suffragioque comprobastis, quodque in utilitatem istius urbis publicam, rectamque adolescentium vestrorum institutionem certissime cessurum esse non dubitamus, nostra etiam auctoritate comprobari par esse maxime arbitramur. Ne itaque incidere in posterum quidpiam possit, quod decretum illud a vobis die decima proxime præteriti mensis Junii factum ulla ratione infringere, abrogare, ac abolere valeat, utque idem semper et illæsum servetur et vigeat, omnisque renovandarum controversiarum ac litium tollatur locus, Nos Apostolicæ confirmationis robur adjungimus, ac omnem varie ipsam interpretandi rationem nostra hac perspicua declaratione prorsus præcidimus. Proinde volumus ac declaramus, ut theologica istius vestræ studiorum universitatis cathedra, quotiescumque ipsam vacare contigerit, semper in posterum a vobis vestrisque in regenda eadem universitate successoribus pro tempore uni conferatur ex tribus religiosis seraphici minoris conventualis ordinis viris, qui ab ejusdem ordinis Præfecto Generali electi, nominati ac præsentati vobis vestrisque successoribus fuerint. Ab eodem vero Præfecto Generali pro tempore volumus, ut diligentissimo acerrimoque judicio hæc fiat electio, audito etiam procuratore generali ordinis, provinciali Piceni, et patribus istius conventus Urbini. Atque hæc, dilecti filii, quæ in nostri gratiam a vobis gesta esse ultro fatemur, faciunt, ut eo studiosius nostram in vos gratissimam voluntatem conferamus, quo major exinde ac certior publicæ vestræ perpetuæque utilitatis stabiliendæ spes efflorescit. Proin nostræ hujus plurimæ erga vos paternæ benevolentiæ fructus in posterum Nobis etiam uberiores, si qua opportunitas tulerit, prolixe pollicemur. Interim in luculentius pontificiæ erga vos caritatis argumen-

tum apostolicam benedictionem, vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XVI.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 julii 1769.

Carissima in Christo Filia nostra salutem, etc. Humanissimas Majestatis tuæ litteras, quas reddidit nobis dilectus filius noster Alexander S. R. E. Cardinalis Albanus, libentissimo animo excepimus; rem enim Nobis jucundissimam renunciarunt, nimirum celebratas fuisse jam nuptias inter dilectissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Borbonium Hispaniarum infantem, et Mariam Amaliam regiam Hungariæ et Bohemiæ, principem archiducem Austriæ natura filiam tuam, ad quas maturandas studium nostrum operamque in ipso pontificatus nostri exordio adjunctam esse vehementer lætamur. In vestri itaque gaudii partem intimo animi nostri sensu accedimus, pro quo Nobis a majestate tua communicato ingentes gratias habemus, ac bonorum omnium largitorem, et regem regum obsecramus, ut suarum benedictionum copia faustas ac secundissimas easdem efficiat nuptias, ac illam regiæ domus propaginem multa optimæ prolis soboles muniet ac amplificet. Quod ad Nos pertinet, dilectissimos filios nostros regios sponsos omnium bonorum auspice apostolica benedictione prosequimur, quam itidem in nostri singularis erga te studii, ac paternæ voluntatis argumentum Majestati tuæ omnique carissimæ nobis Austriacæ domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XVII.

DILECTO FILIO

PETRO BUSENELLO, C. R. EX-GENERALI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 julii 1769.

Dilecte, etc. Gratulationis officia, quæ Nobiscum peragis ob

pontificiam ad Nos delatam dignitatem cumulatiora fuerunt ejus libelli accessione, quem de veteri et nova forma pontificis romani eligendi a te olim perscriptum tertio nuper, cum in comitiis essemus, edidisti. Id nobis utrumque fuit jucundissimum; primum enim præ se fert animum tuum obsequii, fidei et observantiæ erga Nos ac apostolicam hanc sedem plenissimum, alterum declarat studia atque eruditionem tuam earum præsertim rerum, quæ ad Nos quodammodo ob ipsam hanc rei et temporis opportunitatem referuntur. Proinde nostra invicem tibi paterna benevolentia respondentes eamdem, si quid a Nobis opus erit, præsto tibi semper futuram pollicemur. Interim, ut te nostro desiderio cum ceterorum fidelium votis tuas etiam ad Deum optimo maximo pro nostra munienda imbecillitate preces conjungendi satisfacere non dubitamus, ita Nos in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *julii* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XVIII.

DILECTO FILIO

PETRO FRANCISCO BOUDIER,

BENEDICTINORUM CONGREGATIONIS S. MAURI SUPERIORI GENERALI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 2 augusti 1769.

Dilecte, etc. Magno gaudio te tuamque congregationem affectos fuisse ob nostram ad pontificium culmen evectionem luculenter declarant tuæ observantia in Nos, fide ac pietate refertæ litteræ. Sed ita perspecti jam antea Nobis erant tui in hanc apostolicam sedem sensus, ut eosdem nunc cumulatis significationibus testatos non tam Nobis probaveris quam magis magisque confirmaveris. Itaque gratissima Nobis fuerunt officia hæc tua, quæ a te etiam tuaque congregatione magis amplificantur fusis, ut scribis, ad misericordiarum patrem precibus, ut nostrarum virium imbecillitatem in gravissimo gerendo munere suo ipse præsidio fulciat ac corroboret. In judicio vero de Nobis tuo nihil ipsi nisi humanitatem, pietatem ac vehemens in nobis animi tui studium agnoscimus. Nos invicem ita in te animati sumus, ut aliquam suppeditari nobis opportunitatem maxime cupiamus declarandi reipsa tibi, quam prolixa te tuosque benevolentia complectamur. Interim in hujus paternæ caritatis pignus apostolicam

benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque fratribus peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 2 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XIX.

DILECTIS FILIIS

RECTORI ET UNIVERSITALI STUDII GENERALIS

OPPIDI LOVANIENCIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 augusti 1769.

Dilecti, etc. Vestrum gratulationis officium de collata Nobis divinitus pontificia dignitate per litteras observantiæ, pietatis, ac fidei in apostolicam hanc sedem plenissimas luculenter peractum nobis gratissimum, et quod ex animo fieri ac a vobis perspectum habeamus, et quod ad nostram muniendam imbecillitatem tum gravi ministerio plane imparem preces ad misericordiarum Patrem adjunxeritis, neque eas pro vestro in Nos singulari studio, quod vehementer petimus unquam intermissuri sitis. Illud porro humanitati ac pietati vestræ tribuimus, quod de Nobis tam ample benevoleque judicetis, ac libentissime excipimus vestra de Nobis vota atque auspicia, quæ ut rata sint a Dei Optimi Maximi benignitate dumtaxat est et postulandum et expectandum. Quod vero de nostra in optimas artes ac litteratos viros benevolentia atque amore sentitis, id ita verum esse existimate, ut in nullos majori animi nostri propensione feramur, quam qui ingenii sui conatus omnes ad sanctissimæ Religionis incolumitatem ac incrementum converterunt. Id vos cum egregie præstare, ac pristinam illam universitatis vestræ in benemerendo de ecclesia, ac de apostolica hac sede tueri gloriam intelligamus, perspicere facile potestis paternam nostram in vos caritatem parem esse ei, quam de meritis vestris habemus, existimationi, quam quidem maximam esse et amplissimam profitemur. Agite igitur, dilecti filii, morem hunc vestrum retinete, novisque semper laboribus, et laudem vestram, et nostram in vos benevolentiam amplificate. Nos sane, quantum in Nobis erit, expromendorum ejusdem in vos immolatissime fructuum opportunitati defuturi non sumus, neque inanem vestram de paterna nostra benignitate fiduciam unquam reddituri. Ac in hujus prolixi in vos animi pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, ac celeberrimæ universitati vestræ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.,* 5 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XX.

DILECTO FILIO

BODDAERT, ORDINIS GUILLELMITARUM PRIORI GENERALI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 augusti 1769.

Dilecte, etc. Pristinis vestri ordinis in Nos studiis consentiunt ea, quæ nobiscum luculenter peragis gratulationis officia ob pontificiam divinitus Nobis delatam dignitatem, quæ quin fusis ad Deum Opt. Max. pro sustinenda nostra imbecillitate precibus cumuletis, dubitare minime possumus, atque idcirco vehementer a vobis petimus, ut id ipsum pro vestra in Nos pietate in posterum præstare nunquam intermittatis. Quid vero de nostra erga vos voluntate polliceri vobis valeatis, intelligere facile potestis ex perspecta nostra vetere benevolentia, quam ex hujus dignitatis accessione non solum non imminutam, sed valde etiam auctam atque amplificatam esse existimate; præsertim cum tui Ordinis monasteria a te diligenter lustrata, ut scribis, Instituti sui leges vita et moribus tueri reperta sint. De quo quidem certiores a te fieri Nobis fuit jucundissimum. Tanto igitur magis pristinam erga vos caritatem cumulamus, ac in ejusdem luculentius argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, universoque ordini tuæ fidei commisso peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 9 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXI.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ, HUNGARIÆ APOSTOLICÆ

ET BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI IMPERATRICI VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 augusti 1769.

Carissima, etc. Il vivo e veramente cordiale interesse che prendiamo in tutto ciò che appartiene a Vostra Maestà, che ben lo merita in particolare maniera dal capo della Chiesa non tanto per la sua grandezza, quanto per quella illustre pietà che forma nella sua Augusta Persona il maggiore di tutti i suoi pregj, non ci può trattenere di entrar a parte di quella somma consolazione che avrà provata la

Maestà vostra nel retorno dal viaggio d'Italia dell' Augustissimo Imperatore suo dilettissimo figlio. Un tale ritorno accompagnato massimamente da tanti applausi che gli hanno guadagnato per tutto la prontezza del suo spirito, l'ampiezza della sua mente, l'amabiltà delle sue maniere, e sopra tutto la sua exemplar religione, premio in lui di tutte quelle virtù che lo rendon l'oggetto dell' ammirazione de' popoli, consideriamo che avrà prodotto in Vostra Maestà altrettanta compiacenza nel riabbracciare un figlio che ha tanto accresciuto il ricco patrimonio delle sue lodi, quanta ne avrà prodotta nel figlio a riabbracciare quella madre, dalla educazione e dagli esempi della quale dee in gran parte riconoscerlo. L'immagine appunto che si rappresenta a nostri occhj di una si tenera scambievole soddisfazzione, ne fa tanto sentire al nostro paterno cuore, che non possiamo a meno di non aprirlo dolcemente a Vostra Maestà per dimostrargliela, e per darle insieme una nuova sicurezza che non lasciamo, nè mai lascieremo di pregare l' Altissimo Iddio, che si degni di conservar lungamente nelle virtù della madre e in quelle del figlio due non meno validi appoggi alla religione ed alla chiesa che ampie sorgenti della felicità de' lor regni. Persuasi che l' ammoroso sfogo, che non sappiamo in Noi contenere sia per incontrare nella Cesarea Maestà Vostra il più favorevole accoglimento, diamo con tanto maggiore effusione di cuore a Lei ed alla sua augusta famiglia l' apostolica benedictione. *Datum Romæ, etc.*, 12 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXII.

DILECTIS FILIIS

RECTORI ET UNIVERSITATI SALAMANTINÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 augusti 1769.

Dilecti, *etc.* Pristinam vestram in hanc sanctam sedem observantiam ac fidem præ se fert gratulatio, quam nobiscum ob nostram ad B. Petri Cathedram evectionem divino plane consilio factam luculenter peregistis. Vestrum itaque hujusmodi officium tanto Nobis fuit jucundius, quanto majora vestra in catholicam religionem, ac proinde et in apostolicam sedem merita semper extitisse cognoscimus. Quæ ut magis magisque cumuletis, nihil opportunius hoc tempore facere, Nobisque acceptius potestis, quam ut ad præclaros vestros studiorum labores non intermissas preces adjiciatis, quibus Deum

Opt. Maximum pro fulciendis viribus nostris huic tanto ministerio plane imparibus deprecemini. Hac enim ratione illa vestra de nobis plena pietatis ac humanitatis judicia ac vota, ut rata sint, maxime, quantum in vobis erit, præstabitis. Nos vero eo in vos animo semper erimus, ut defuturi nunquam simus ulli, si qua inciderit, opportunitati, qua paternam erga vos plurimam benevolentiam testatam vobis ac reipsa perspectam faciamus. In cujus nunc certissimum pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.,* 12 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXIII.

DILECTIS FILIIS

DECANO ET FACULTATI ARTIUM STUDII GENERALIS

OPPIDI LOVANIENSIS.

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 augusti 1769.

Dilecte, etc. Gratulationis officia, quæ ob pontificiam Nobis delatam dignitatem luculenter persolvitis, tanto nobis gratiora fuerunt, quanto perspectior est vestra in Nos atque apostolicam hanc sedem fides atque observantia. Qui quidem vester in Nos animus eo fit pluris a Nobis, quo major est laborum ac studiorum vestrorum apud Nos existimatio. Nos sane semper plurimi fecimus litteras, ac præclaras artes, ad quas vos isthac edocendas multa cum laude incumbitis, easque maxime conferre posse ad sacrarum rerum vel ornanda vel amplificanda studia jure censemus. Ex quo judicio vos facile perspicitis, quam simus in vestras artes animati; quibus nunquam a Nobis et meritæ laudes, et si opus sit, præsidia et patrocinia sunt defutura. Interea vos, qui tam amanter pieque vestras obsequii partes Nobiscum peregistis, date operam, ut easdem etiam precibus ad Deum Opt. Max. pro munienda nostra imbecillitate fusis cumuletis. Nostrum porro erit, ne pontificiæ benevolentiæ fructus unquam pro opportunitate a vobis desiderarentur, in cujus pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.,* 16 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXIV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

PETRO LEOPOLDO, ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

ET ETRURIÆ SIBI SUBJECTÆ MAGNO DUCI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 augusti 1769.

Dilectissime, etc. Post venerabilem fratrem Joannem archiepiscopum Philippensem, qui apud te apostolici nuncii munere multa cum laude aliquot annis perfunctus est, mittimus isthuc Venerabilem itidem fratrem Marcum Antonium archiepiscopum Thessalonicensem pontificio solio assistentem, qui nobilitatem suam, majorumque suorum decora propriis etiam Nobisque perspectissimis virtutibus exornat, fide scilicet, integritate, prudentia, doctrinæ præterea, ac excultissimi ingenii commendatione singulari. Has animi sui dotes cum egregie Nobis in eorum, quibus hactenus auctus hic fuit, honorum perfunctione probasset, inducti facile sumus, ut eumdum eligeremus, qui, apud te, dilectissime in Christo fili noster, esset apostolicus noster et sanctæ sedis nuncius, cum ipsum carum tibi etiam fore atque acceptum non dubitaremus. Hominem itaque et suo merito et imposito præsertim a Nobis munere clarum commendamus pietati tuæ, ac ut eumdem ea humanitate excipias quæ Augusti generis tui splendori et præstantissimi animi laudibus est consentanea, vehementer petimus, ac obsecramus. Illi præterea de nostris ac hujus apostolicæ sedis rebus tecum agenti eam haberi a te fidem cupimus, quam Nobis ipsis coram tecum loquentibus adhiberes. Illud vero potissimum credi a te eidem volumus, quidquid ipse de nostra eximia in te pontificia caritate animoque omni pietatis genere cumulatissimo confirmabit; in cujus certissimum pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, intimo nostri cordis affectu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXV.

DILECTIS FILIIS NOBILIBUS VIRIS

DUCI, ET REIPUBLICÆ VENETIARUM

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 augusti 1769.

Dilecti, etc. Venerabilem fratrem Bernardinum archiepiscopum

Sidensem ad nobilitates vestras mittimus, ut apud inclitam istam rempublicam nostri et apostolicæ sedis ordinarii nuntii obeat munus. Virum spectatissimo genere, et ipsa, quam gerit, persona commendatum, præterea pietate morumque integritate, rerumque gerendarum prudentia præditum non est cur longiore sermone vestris nobilitatibus commendemus. Ipse enim virtutibus suis eximiam humanitatem vestram facile sibi devinciet, vestraque erga Nos pietas, ac vetustissima, qua in catholica ecclesia jam inclaruistis erga hanc sacram B. Petri sedem observantia sponte sua homini faverit in iis præsertim rebus, quæ ad Dei honorem et gloriam animarumque salutem maxime pertinent. Illi autem, quam Nobis ipsis coram haberetis, petimus a vobis, dilecti filii, nobiles viri, eamdem ut fidem adhibeatis; vobisque omnibus, et universæ vestræ reipublicæ, quam in paternæ caritatis nostræ gerimus sinu, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.,* 20 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXVI.

ILLUSTRI AC POTENTISSIMO

HERACLIO, PRINCIPI GEORGIÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 augusti 1769.

Illustris ac potentissime princeps salutem et lumen divinæ gratiæ, etc. Magnopere Nobis gratum accidit in hoc nostri pontificatus exordio nactos Nos esse opportunitatem Celsitudini tuæ scribendi, cujus generosi ac præstantis animi laudes Nostrorum virorum litteris, ac ipsa etiam fama et rumore assidue ad Nos perferuntur. Primum igitur tibi maximæ sunt a Nobis, ut ex animo facimus, agendæ gratiæ, quod homines qui in eadem nobiscum fidei conjunctione sunt, Nobisque obsequium ac obedientiam præstant, tuæ benignitatis, quod plurimum commendaris, gratia juves ac protegas. Deinde hoc ipsa tua animi nobilitate freti fidenter a te petimus, teque etiam atque etiam rogamus, ut, qui in tua dictione sunt catholici, ac præsertim cappucini patres, qui isthic religionis erga versantur, tuo præsidio in posterum ab adversantium oppugnatione tegere, ac tueri pro tui animi magnitudine velis. Illi quidem nihil adversus quempiam moliuntur mali, virtutem colunt, Dei præcepta legemque promovent caritate in omnes afficiantur, publicæ paci ac tranquillitati student, nihil tamen minus inimicorum vel vi vel fraude sæpe solum vertere sunt coacti, neque unquam reverti isthuc potuissent, nisi tuæ huma-

nitatis ac patrocinii spe revocati. In qua quidem re decepti minime sunt; vident enim se isthic pacate posse sub tutelæ tuæ auctoritate consistere. Quare majorem in modum Celsitudinem tuam obsecramus, ut eosdem tueri ac favere pergas, quorum probitati favisse nunquam te pœnitere poterit. Illud præterea certum tibi esse debet, nullum in eos erga te conferri beneficium posse, quod in Nos etiam collatum esse non putemus, quodque quam grato ac memori excipiamus animo, si quid in posterum inciderit, quo id testari tibi valeamus, reipsa facile intelliges. Interim persuasum tibi maxime hoc cupimus eximias animi tui dotes et agnosci a nobis, et plurimi æstimari, obsecrarique Deum Opt. Max. ut te omnibus bonis cumulare, ac ad incolumitatem atque amplitudinem veræ ac solidæ felicitatis accessionem fieri velit. *Datum Romæ, etc., die* 23 *augusti* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXVII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

WILHELMO PRINCIPI PALATINO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 septembris 1769.

Dilecte, etc. Incredibile plane gaudium attulerunt Nobis tuæ eximiis in Nos et apostolicam hanc seu sedem filialis observantiæ significationibus insignes litteræ, quibus divina ope agnovisse te refers protestantium errores, atque unam veritatis et salutis arcem catholicam esse Ecclesiam, eoque ipso die, quo tam fausta de te tam læta ac jucunda Nobis perscribebas, qui dies invictissimi martyris Laurentii, cujus nomen Nos gessimus, pugnam pro fide ac triumphum recolit, abjurata rite Lutheri secta ad hujus sanctissimæ nostræ Matris sinum omnibus humanis posthabitis rationibus confugisse. Quid Nobis exoptatius, quid acceptius accidere unquam potuit, quam suscepta catholicæ veritatis persuasione animæ tuæ incolumitati egregie a te consultum, verumque Nos ac a Deo constitutum visibile Ecclesiæ caput coli, ac in parentem tuum agnosci, teque invicem a Nobis nostrum compellari filium, in te pontificiam pietatem, benevolentiam, caritatemque omnem collocari? Mirifica idcirco animi jucunditate perfusi, primum omnium bonorum largitori Deo, qui te vocavit in admirabile lumen suum, summas habemus ac reddimus gratias, tam et commissæ Nobis Ecclesiæ, quæ dum in suum te redeuntem gremium cupidissime excipit, tali tantaque accessione auctam se gaudet, et

Nobismetipsis vehementer gratulamur, qui a tam fausta fortunataque re exordientis pontificatus Nostri auspicia ducimus. Gratulamur etiam de te dilecto filio nobili viro Carolo Theodoro S. R. J. Principi Electori Palatino inclitæ tuæ domus capiti, eique idcirco maxime obstrictos Nos esse profitemur, qui pro ea, qua viget, sapientia, proque summa in Deum pietate, ac catholicæ religionis studio divinæ in te Spiritus afflatum deprehendit, fovit, provexit, opem, operam, præsidia omnia, ut te ad veritatis lumen induceret, contulit, et cui tu meritissimo, quod tamquam a morte ad vitam revocatus sit, post Deum, acceptum referendum esse arbitraris. Sed cui prolixius ac uberius, quam ipsi tibi gratulemur, dilecte fili nobilis vir, in cujus cor divinæ gratiæ semen tamquam in terram bonam cecidit, ac eos extulit fructus, qui æternæ salutis et initia essent et pignora? Verum ad hæc cumulatissima, quæ tecum peragimus, gratulationis officia paternæ etiam hortationis accessionem fieri volumus, qua maxime a te contendimus ac flagitamus, ut in suscepta vocatione non solum permaneas, sed ut eamdem etiam nunquam intercepto cœlestis gratiæ cursu, morum honestate, sanctitate vitæ, ac virtutum omnium laude et splendore comprobes. Est etiam animi tui generisque nobilitati valde consentaneum, si in suscepti semel consilii ratione perseverans catholicæ religionis tuendæ promovendæque opera tuam declares in credendo agendoque constantiam. Nos certe pro plurimo paternæ in te caritatis officio perpetuum tibi a misericordiarum patre per obsecrationes nostras præsidium implorare nunquam intermittemus, ac omnia Pontificiæ gratiæ testimonia nobilitati tuæ ex animo deferentes, neque ipsa, si quid a Nobis opus erit, libentissime confirmaturi, apostolicam benedictionem quam tibi primum, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur, cupimus esse divinæ in te benignitatis auspicem, ut est nostræ ac apostolicæ hujus sedis singularis benevolentiæ argumentum. *Datum Romæ, etc., die* 9 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXVIII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

CAROLO THEODORO DUCI SULTZBACENSI,

COMITI PALATINO RHENI S. R. J. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 septembris 1769.

Dilecte, etc. Ex quo ad Summi Pontificatus dignitatem evecti fui-

mus, nullus Nobis lætior neque jucundior illuxit dies, quam quo nuper optatissimus nuncius de dilecti filii nobilis viri Wilhelmi principis palatini ad catholicam Ecclesiam reditu et ab ipsius principis litteris, et a dilecto filio Marchione Anticio nobilitatis tuæ ministro plenipotentiario ad Nos fuit delatus. Lætitiæ a Nobis ea causa susceptæ magnitudinem neque inclusam tacite animi sensu continere possumus, neque habemus quicum convenientius ac libentius, quam cum nobilitate tua communicemus. Te enim præcipuum egregii consilii auctorem ac suasorem principi extitisse, te adjutorem, ducem ac comitem divini perficiendi operis fuisse præclare novimus. Quapropter gaudii nostri per sapientiam tuam summumque in catholicam fidem studium percepti vim ac copiam tecum præsertim dividimus, tibi mirum in modum gratulamur, ac de tam singulari tuo in Nos et Ecclesiam universam merito gratias, quas maximas possumus et reddimus et habemus. Existimare sane debes, nihil ea re ad veram ac solidam gloriam comparandam majus a te fieri potuisse, nihil ad decus inclitæ palatinæ domus illustrius, nihil denique, quo de catholica religione melius mereri posses. Ac magna Nobis spes inest Deum Opt. Max. cum tua opera hoc beneficio suam Ecclesiam ornaverit, divinæ gratiæ ubertatem alio simili munere per te etiam amplificaturum, Nosque de cumulatiore industriæ tuæ fructu in hujus principis palatini fratre pariter ad Ecclesiæ veritatem reducendo gavisuros. Hos tibi eximios successus ex animo cupimus, usque nostri pontificatus tempora illustrari vehementer optamus, atque a misericordiarum Patre flagitamus. Qua de re quidem te prolixius cohortari supervacaneum ducimus, cum eo studio mirifice te esse incensum compertissimum habeamus. Post hæc singularia tuæ in Nos Ecclesiamque merita facile perspicis, quo animo in te simus, quantaque te caritatis magnitudine prosequamur, cujus vim declarare magis non possumus, quam apostolica benedictione, quam tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 9 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 septembris 1769.

Carissime, etc. Gratissimum nobis fuit ex humanissimis Majestatis

tuæ litteris intelligere celebratas esse jam nuptias inter dilectissimos in Christo filios nostros Ferdinandum Borbonium Regium Hispaniarum infantem tui Fratris filium, et Mariam Amaliam archiducem Austriæ. Quam proinde lætitiæ tuæ Nos in partem vocas perlibenter accedimus, tuamque pariter ac nostram gaudemus vicem; neque enim non magnopere nostra interest quæcumque ad Majestatem tuam pertinent, neque non Borboniam Domum semper magis propagari vehementer optandum Nobis esse expetendumque arbitramur. Quare summas habemus tibi pro tam luculento nobiscum peracto officio gratias, et Majestati tuæ majorem in modum gratulantes, eas nuptias lætis fortunatisque prosequimur auspiciis ac votis, quæ Deum Opt. Maximum precamur, ut sua benignitate rata faxit, quamque regiis sponsis apostolicam benedictionem intimo paterni amoris sensu largimur, eamdem ipse omnium bonorum accessione confirmet ac cumulet. Nostram itidem benedictionem Majestati tuæ in singularis erga te studii ac paternæ voluntatis argumentum, omnique pariter carissimæ Nobis regiæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXX.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

FRIDERICO LANTGRAVIO HASSIÆ-CASSEL

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 septembris 1769.

Dilecte, etc. Tam ex nobilitatis tuæ litteris filiali observantia et devotione in Nos et apostolicam hanc sedem plenissimis, quam ex dilecto filio Bernardo Giordani, qui eas Nobis reddidit, facile intelleximus, quantum perceperis ob summi pontificatus dignitatem ad nos divinitus delatam gaudium. De quo dum Nos certiores facis, Nobisque luculenter ex animo gratularis, tuam præ te fers jamdiu perspectam Nobis pietatem, ac in catholicam religionem studium, cujus hoc ad cætera opportunissimum accedit Nobisque jucundissimum testimonium. Perlibenter igitur excepimus ejusmodi officium tuum cum tam piis de nobis optatis ac votis conjunctum, Deumque Opt. Maximum precamur, ut quam Nobis de tui animi religione jucunditatem affert, eamdem in posterum ipse semper amplificet ac confirmet, suaque benignitate facilius ex iis radicibus christianas in te virtutes omnes proferri magis in dies ac efflorescere gaudeamus. Ita porro singula-

rem tibi nostram paternam caritatem deferimus, ut eamdem cumulatius etiam testari, ac reipsa comprobare pro opportunitate maxime parati simus. Interim in ejusdem certissimum pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 16 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXI.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 septembris 1769.

Carissima, etc. Maximum Nobis attulere gaudium humanissimæ litteræ Majestatis tuæ die VII. mensis augusti proxime elapsi datæ, quibus scribis dilectissimo in Christo filio nostro Ludovico Galliarum Delphino dilectissimam item filiam nostram Mariam Antoniam regiam principem archiducem Austriæ, tuamque secundum carnem filiam esse desponsam. Nihil hoc novo atque optatissimo Augustæ Austriacæ Domus cum regia Borbonia vinculo, nisi lætum utrique ac fortunatum, catholicoque orbi, Nobisque etiam ac sanctæ huic sedi faustum atque utile extiturum auguramur. Quare majorem in modum laudamus consilium hoc tuum, quo tuis maxime virtutibus ornatæ ac dotatæ soboli tam opportunas tamque splendidas nuptias comparasti: libentissime igitur, quæ a Nobis postulas quidquid impedimenti huic conjugio sacri canones opponunt, per alias litteras nostras apostolica auctoritate extemplo submovimus, ne quid tanto tuo nostroque ac communi gaudio inferatur moræ, neve publicum bonum, quod exinde redundaturum est, retardetur. Nos certe obsecrationibus nostris vehementer a Deo Opt. Max. contendimus, ut id bene feliciterque utrique carissimæ Nobis familiæ vertat, tibique præsertim constantem ac perpetuam animi jucunditatem semper afferat. Interim regiæ Majestati tuæ omnium bonorum auspicem apostolicam benedictionem in præcipuæ erga te nostræ caritatis pignus amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO EMMANUELI SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 septembris 1769.

Carissime, etc. Serius rescribimus humanissimis litteris Majestatis tuæ de VIII julii proxime elapsi ad Nos datis, quod et prius de iis, quæ postulabas, deliberari diligenter a Nobis oportuit, et deinde perfectam jam rem maluimus tibi quam susceptam inchoatamque nunciare. Id nunc libentissime facimus, cum, expeditis jam a Nobis consiliis de ecclesiasticis nonnullis rebus in tuo Sardiniæ regno ordinandis duæ propterea encyclicæ nostræ ad illos episcopos perscriptæ ad Majestatem tuam proferentur. Conati quidem in iis Nos sumus, et muneri satisfacere nostro, et singulari ac vere regio desiderio tuo, quo pro Dei gloria animarumque utilitate exardescis, minimeque dubitamus quin utrumque simus assequuti. Operam igitur laboremque hunc nostrum gratum fore Majestati tuæ, et confidimus et lætamur, cujus perspectissimam jamdiu nobis regnandi sapientiam cum mirifice hujusmodi de sacris rebus studio tantaque animi religione, ac in Nos et sanctam hanc sedem pietate conjunctam majorem in modum suspicimus ac commendamus. Plurima idcirco alacritate et suscepimus et prosequuti hæc omnia sumus, quæ a te delata Nobis erant per dilectum filium nobilem virum comitem de Rivera tuum apud Nos et apostolicam sedem ministrum plenipotentiarium fide, consilio, prudentia ac diligentia præstantem, ab eoque deductum ad Nos libenter excepimus dilectum item filium abbatem Sineum presbyterum multa doctrina præditum, ac de ecclesiasticis Sardiniæ negotiis instructissimum, cujus Nos testimonio, fide atque experientia in capiendis consiliis usi sumus. Quod reliquum est, Deum Optimum Maximum obsecramus, ut has a Nobis ad illius gloriam susceptas rationes secundet ac provehat, animarumque bono recte prospectum reipsa fuisse a Nobis velit, eique una enixis precibus Majestatem tuam totamque nobis carissimam regiam domum commendamus, omniumque bonorum auspicem apostolicam benedictionem intimo paterni amoris nostri sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXIII.

DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ

JULIÆ SOPHIÆ DE PARDAILLAN D'ANTIN,

ABBATISSÆ ORDINIS DE FONTEVRAULT,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 septembris 1769.

Dilecta, etc. Valde propensi sumus ad iis omnibus gratificandum, quorum preces filiali de Nobis fiducia nituntur, eorum vero, quos meritis etiam ac virtutibus præstare cognoscimus, postulationes tam libenter admittimus, ut easdem beneficiis nostris prorsus explere cupiamus. Proinde redditæ Nobis litteræ tuæ, dilecta in Christo filia, majorem in modum nostrum animum excitarunt, ut in tuis excipiendis precibus plurimorum etiam meritorum, quæ luculentissimis indiciis Nobis in te sunt perspectissima, pietatis scilicet, constantia in sectanda tuendaque religiosi instituti sanctitate, prudentiæque ac fidei in commisso tibi moderando ordine, atque in Nos et hanc sanctam Sedem devotionis ac observantiæ rationem haberemus; præsertim cum quæ a Nobis postulas ea sint, quibus conscientiæ tuæ, quæ accuratissima et suorum munerum est studiosissima, consulatur. Ejusdem igitur anxietatem aliquam, ac in dubitando molestiam removere cupientes visitatori apostolico canonice electo, nostramque vicem erga vestrum ordinem S. Sedis immediato subjectum fungenti facultatem concedimus permittendi ingressum in vestram abbatiam mulieribus, quarum quotidie opera indigetis, quæ ibidem etiam, si necessitas tulerit, pernoctare possint, ac personis itidem dignitate, nobilitate muneribusque conspicuis, quarum patrocinium conciliare abbatiæ vestræ vehementer intersit, earumque consanguineis et affinibus, iisque, qui in ipsorum sint comitatu, juxta illam consuetudinem, quam hactenus ab abbatissis, quæ te præcesserunt, servatam fuisse scribis; quam omni prorsus reprehensione caruisse nobis facile persuademus, cum ejusmodi ingressus perraro accidant ob abbatiam vestram ab urbibus et locorum frequentia longe sejunctam, et non mediocris semper extiterit visitatorum apostolicorum prudentia, et superiorissarum etiam vestrarum vigilantia. Quapropter tanto Nos minus ullum exinde abusum veremur, quanto magis in tua fide, ac in regendo isto ordine sedulitate ac diligentia conquiescere posse judicamus. Quare dubitare amplius non debes quin admittere in tui ordinis abbatiam eos omnes possis, quorum ingressum visitator aposto-

licus a Nobis præsertim hac facultate munitus concesserit. Vides ex hoc, dilecta in Christo filia, quam merito nostra in vos benignitate confisa sis, quamque imposterum possis ab eadem tibi polliceri quidquid ad tui ordinis commoda atque ornamenta, quantum a Nobis in Domino fieri poterit, augenda ac promovenda pertinebit. Demum in singularis nostræ erga te paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecta in Christo filia, tuoque universo ordini peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 26 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXIV.

VENERABILI FRATRI

ALOYSIO ARCHIEPISCOPO CÆSAREÆ NOSTRO

ET APOSTOLICÆ SEDIS NUNTIO APUD HELVETIOS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 27 septembris 1769.

Venerabilis Frater, etc. Etsi vehementer antea fidem tuam in peragendo isto apostolicæ legationis munere studium ac prudentiam probaremus, ea tamen recentia consilia ac facta tua extiterunt, ut mirum in modum delectati ista virtute simus, ac ad teipsum hos nostros de te sensus perscribere, hisque litteris merita te laude prosequi atque ornare decreverimus. Tua enim opera, labore atque industria factum esse agnoscimus, ut primum libellus ille *reflexionum* contra regulares ordines isthic editus a senatu lucernensi proscriberetur, neque quidquam contra eosdem, de quo valde verendum erat, moliri in communi Fravenfeldensi consilio adversarii potuerint, neque ullos fortasse habituri imposterum successus sint in proximo consilio Luganensi, eorum conatibus jam mature per te fractis ac labefactatis. Alia etiam Ecclesiæ jura, ac præsertim ea, quæ ad immunitatem pertinent, quibus isthic intentabatur vis, præclare sustines ac tueris, istorumque civium ac senatorum pietatem tuis consiliis excitas atque instruis, ne quid ejusmodi fieri patiantur, quod bonorum offensioni sit, quodque pessimo exemplo protestantium posset ad diripiendas ecclesias incitare audaciam ac cupiditatem. Ex ista etsi brevi actionum ac laudum tuarum commemoratione facile perspicis, venerabilis frater, quam gratæ Nobis atque acceptæ res fuerint, quantique te ob egregia merita tua et æstimemus et diligamus. Ac luculentæ hæ nostri de te animi significationes, ut tuæ virtutis interim esse præmio possunt,

ita minime dubitamus, quin tibi ad similia, ac majora etiam pro opportunitate capessenda atque agenda sint incitamenta. Nos certe quæ de te sentiremus, ita tibi nunc exponenda duximus, ut non solum tuorum meritorum testes has haberes litteras, sed pignus etiam pontificiæ in te egregiæ voluntatis. Quod reliquum est, hoc nunc tibi magnopere mandamus, ut eximios illos viros, præsertim dilectos filios Plebanum Gloggner, Scultettum Balthasar, deputatos ad consilia Fravenfeldense et Luganense, cæterosque pios senatores, quorum opera, auctoritate, ac sapientia usus es in tuendo Ecclesiæ jure, quique tam præclare de Nobis deque apostolica hac sede sunt meriti ita nostro nomine collaudes, ut iisdem una persuadeas de gratissima nostra ac singulari in eos voluntate, cujus uberrimi fructus, si quis locus erit, nunquam ipsis per Nos sunt defuturi. Atque in hujus pontificiæ paternæ caritatis pignus eisdem apostolicam benedictionem nostris verbis peramanter imperties, quam tibi etiam, venerabilis frater, æque luculenter ac peramanter elargimur. *Datum Romæ, etc., die* 27 *septembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 septemb. 1769.

Carissime, etc. Le dernier projet nous manifesté au nom de Votre Royale Majesté par le cardinal de Bernis, touchant le commun connu affaire, a été par nous avec agrément accueilli; nous semblant beaucoup à propos, pour le bien conduire à sa fin avec satisfaction réciproque. Cependant nous serons en attention de recevoir par le même cardinal ces mémoires, lesquels sont nécessaires pour cela; afin de pouvoir après examiner l'affaire; ce qui ayant été accompli, nous donnerons une marque constante de notre paternelle affection, avec laquelle nous donnons à Votre Majesté et à la Royale sa famille l'apostolique notre bénédiction. *Datum apud Sanctam-Mariam Majorem Pridie Kalendas octobris* (30 *septembris*) 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXVI.

VENERABILI FRATRI

CLEMENTI ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI

ET EPISCOPO AUGUSTANO S. R. E., PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

In arce Gandulphi, 14 octobris 1769.

Venerabilis Frater, etc. Perlatum ad Nos est perniciosum Justini Febronii librum novis clam typis Francofurti recudi, eumque multo auctiorem, aliisque ad pristinos congestis ac undique compilatis erroribus refertum iterum esse proditurum. Nos sane pro ea, qua esse debemus, pastorali sollicitudine vehementer veremur, ne nova exinde in universam Nobis commissam Ecclesiam detrimenta inferantur, aut jam illata latius propagentur. Tua igitur perspectissima Nobis pietate freti, ac egregii de Ecclesia studii plane memores, cujus illustre exstat monumentum in præclara famosi illius operis proscriptione, quam dum episcopus frisingensis esses, plurima cum laude peregisti, novum nunc tibi hujusmodi tui decoris amplificum argumentum proponimus, ac a te, Venerabilis frater, majorem in modum petimus et flagitamus, ut pro tua, qua polles, dignitate, tantique nominis auctoritate omnem curam, operam, ac diligentiam ponas, ut venenatus ille ac pestifer fœtus, antequam iterum in lucem prodire possit, suffocetur. Magna isthic viges apud omnes existimatione, præclara sunt multorum erga te studia, plurimum tibi quisque et pro nobilitatis et pro virtutis tuæ splendore defert. Quæ quidem accepta a Deo munera ad Dei ipsius causam conferre debes, ad tuendam scilicet Ecclesiæ tranquillitatem et pacem, ac ad veterem, quæ in ipsa Ecclesia est, integram atque incolumem retinendam conservandamque doctrinam. Ad id egregie præstandum opportunitates vigilantiæ tuæ minime deerunt, cum easdem non solum arripere, sed inducere etiam ac excitare, si opus sit, industria atque auctoritate possis. Feceris igitur non solum pro episcopali, quo eximie fungeris, munere, sed pro tui etiam animi ac generis splendore proque illa, quæ in te potissimum enitescit pietate ac religione, si erupturam iterum tantam errorum pestem mature oppresseris. Confirmabis tum præclaram nostram de singulari virtute tua opinionem, ac ita nostrum erga te animum devincies, ut nullum sit Pontificiæ benignitatis genus, quod in te conferre ac cumulare non maxime cupiamus. Ac in hujus luculentissimæ erga te nostræ voluntatis pignus apostolicam benedictio-

nem tibi, venerabilis frater, peramanter impertimur. *Datum in arce Gandulphi albanensis diœcesis, etc., die* 14 *octobris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXVII.

DILECTO FILIO

EMMANUELI PINTO,

HOSPITALIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGNO MAGISTRO,

CLEMENS PAPA XIV.

In arce Gandulphi, 20 octobris 1769.

Dilecte, etc. Solliciti Nos quidem pro nostri apostolici ministerii munere vehementer sumus, ne ullum omnino ad animarum salutem præsidium in iis pietatis operibus constitutum, quæ olim sacerdotibus soc. Jesu in ista insula Melite degentibus commissa fuerant, post eorum discessum desiderari posset quin ut magis ea omnia in dies augeantur; cum tamen nequeamus per Nosmetipsos, qui multiplicibus hoc nostri Pontificatus initio curis distinemur, tam celeri, ac tam certa, quam cupimus, ratione consulere, ad te, dilecte fili, idcirco convertimur; tuum enim plurimum esse ad ea vel retinenda, vel etiam augenda pietatis opera studium nobis declarasti, tuaque hujusmodi voluntate maxime freti nostras has Pastoralis sollicitudinis partes per operam, vigilantiam ac sedulitatem tuam exequi ac complere decernimus. Ut igitur illa omnia ad divinum cultum, ac fidelium ædificationem spectantia, præsertim quæ attinent ad veri Dei prædicationem, quæ tam italico, quam melitensi idiomate peragebatur, ad sacras missiones, quæ per totam Insulam quolibet excurrebant triennio, ad exercitia spiritualia, ad quæ pluries quotannis in certam domum conveniebatur, ad pias varii ordinis hominum congregationes, ac ad sacramentorum administrationem, rite compleri ac perfici facias, tibi nostris his Litteris committimus administrationem ecclesiæ, collegii domorum ac bonorum omnium, quibus isthic utebantur sacerdotes soc. Jesu, ut una cum tuo ac istius hierosolymitani ordinis consilio inire rationes possis, quibus omnia et singula a Nobis commemorata opera constituantur, stabilianturque, ut nullum unquam imposterum eorum deesse valeat, quæ et ad Dei majorem gloriam, et ad spiritualem fidelium utilitatem maxime conducere judicamus. Ac præterea, quæ jam dicimus ad pietatem spectantia, cum regendis etiam scholis informandæque disciplinis, ac doctrina instituendæ Militensi Juventuti sacerdotes illi

darent operam, vehementer optamus, ne hæc etiam non mediocris publicæ utilitatis pars præterita nunc isthic, ac neglecta esse videatur. Proinde postquam rite constituta erunt singula illa pietatis opera, ac iis præterea satisfactum oneribus, quæ bonis, ecclesiis, ac domibus tuendis utendisque necessarie inhærant, nec non et pensionibus, quæ quotannis debentur, dum superstites erunt, iis e societate Jesu, qui Melitæ degebant, quidquid tum ex initis in dicto Concilio acceptorum expensorumque quovis anno rationibus superfuisse reperietur, potestatem tibi concedimus id omne erogandi impendendique in subsidium, et usum tam universitatis generalis studiorum, quam collegii educationis pro tyronibus, aut professis vestri ordinis quod nunc collegium isthic est instituendum ad normam aliarum nostrarum in forma brevis Litteratum, quæ una cum hisce nostris ad te dantur, quibus tam universitas illa, quam collegium apostolica auctoritate comprobantur. Dum vero Nos hujusmodi te, dilecte fili, facultatibus augemus, constrictam tuam, ac tui consilii conscientiam esse existima, qua ad hæc omnia, quæ declaravimus, omnibus numeris et partibus complenda, atque huic pontificiæ voluntati accuratissime satisfaciendum tenemini. Hac tamen voluntate nostra neque detrahimus quidquam, neque derogamus aliorum juribus præsertim episcopalis mensæ, aut seminarii clericalis super ecclesiasticis Beneficiis, vel aliis bonis, quibus hactenus fruiti sint societatis Jesu sacerdotes; quin intacta illa ac illæsa servari volumus, et si quæ de iis controversia inciderit, eamdem jam nunc ad nostram cognitionem ac apostolicum judicium avocamus. Hæc sunt, dilecte fili, quæ ad te perscribenda, tuæque fidei, per Nos committenda esse duximus, ex quibus intelligere facile potes, quam persuasum nobis sit de tuo in sacras res, divinum cultum, ac animarum salutem studio; quantumque in his rebus, quæ Nobis maximam injiciunt sollicitudinem, diligentiæ, sedulitati, ac industriæ tuæ tribuamus. Quam nostram de te existimationem cum plurima pontificia benevolentia conjungi, ut tibi magis persuasum esse possit, in ejusdem pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte tibi, tuoque nobilissimo ordini peramanter impertimur. *Datum in arce Gandulphi Albanensis diœcesis die* 20 *octobris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXVIII.

DILECTIS FILIIS NOBILIBUS VIRIS

ANTIANIS ET VEXILLIFERO REIPUPLICÆ LUCENSIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 25 novembris 1769.

Dilecti, etc. Ut ex superioribus nobilitatum vestrarum litteris permoleste intelleximus repentino obitu ereptum esse vobis venerabilem fratrem Joannem Dominicum Mansium Archiepiscopum vestrum, quem præter religiosam vitæ ab ipso actæ rationem singularis doctrinæ laude præstitisse agnoscimus, ita a Nobis percepta istius præsertim Ecclesiæ causa molestia omnis est postremis litteris depulsa quibus curas nostras ad novum ipsi ecclesiæ præficiendum pastorem conversas sapientia vestra sublevari lætati sumus; eos enim acerrimo judicio vestro tres viros propositos Nobis ad deligendum esse voluistis, ex quibus quemcunque ad archiepiscopatum eveheremus, quin idem dignissimus esset, dubitare minime possemus. Quod Nos quidem cum diligentiæ nostræ partem in tam gravi re compleremus, ac summo proinde studio quis eorum ad tantum suscipiendum munus, omnibus rite expensis, maxime opportunus esset, investigaremus, multa cum jucunditate vestraque laude cognovimus. Neque diu hærendum fuit, quem sententia nostra præferremus, cum eas in dilecto filio Martino Bianchi istius cathedralis canonico theologo animi dotes ac virtutes deprehenderemus, quæ ad pastorale onus egregie sustinendum plane factæ esse viderentur. Eumdem igitur in archiepiscopum vestrum designamus et eligimus, quod tanto etiam cumulatiore animo facimus, quod vosmetipsi vestræ potioris in eum voluntatis argumenta præferatis. Dum hanc itaque vobiscum electionem nostram communicamus, ac nobilitatibus vestris de certissima spe fore, ut optimum consequuti sitis pastorem, vehementer cupimus, ut plurimum nostrum fuisse cum pontificio muneri satisfaciendi, tum vobis etiam gratificandi studium existimetis. Valde Nos delectat, quod scribitis, vestri agentis officio auctum a vobis esse dilectum filium Dominicum Pauli quem Nos suo merito diligimus, quemque vestra etiam causa sumus libentissime semper excepturi. Ut ille pro sua fide ac diligentia vestram erga Nos ac apostolicam hanc Sedem observantiam luculentissime nobis declaravit, ita paternam nostram in vos caritatem testabitur. In cujus certissimum pignus apostolicam benedictio-

nem vobis, dilecti filii nobiles viri, ac reipublicæ vestræ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 25 *novembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XXXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO EMMANUELI SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 27 novembris 1769.

Carissime, etc. Multo ante reverti isthuc cogitantem dilectum filium nostrum Carolum Victorium Amadeum S. R. E. Cardinalem de Lanceis apud Nos hactenus detinuimus; quem enim prius ob singulares animi generisque dotes plurimi faciebamus, ejusdem præsentis virtute, doctrina, omnisque generis laudum præstantia majorem in modum delectati sumus. Hanc illius in urbe moram nostra causa prorogatam a Majestate Tua comprobari minime dubitamus. Idcirco plurimas tibi gratias nos habere profitemur, eoque uberiores, quo et perspectiora nobis egregia illius merita, et majores nostri in eum amoris cumulandi rationes extiterunt. Quod nostrum erga ipsum eximium studium ut illi magis confirmemus, a te vehementer postulamus, carissime in Christo fili noster, ut cum illum humanissime, prout soles, ad te redeuntem exceperis, ad usitatam clementiam tuam nostra etiam causa quidpiam addas, ex quo intelligere possit nostram hanc in illum voluntatem tibi fuisse jucundissimam. Id ipse honorificentissimi muneris loco, et a Majestate Tua, et a Nobis pro tua in utrumque observantia habebit. Interea Nos ejusdem æquiores animo ferimus discessum, quod et tuam tibi sedulam gratamque in præclaro, quo jamdiu apud te fungitur, magni eleemosynarii munere operam præstare poterit, et in ista insigni S. Benigni abbatia erga quam plurimum nostrum est studium, pro tua cura ac vigilantia ea præsertim provehet, ac amplificabit commoda, quæ ad divinum cultum augendum, christianasque virtutes populi sibi commissi animis inserendas fovendasque pertinent. In quo quæ illius sollicitudo atque industria hactenus fuerit, illa præsertim declarat frequentissima seminarii domus præclara legum ac disciplinarum omnium institutione florens, et ipsius potissimum informata cum pietatis exemplis tum imitatione doctrinæ. Sed hæc cæteraque ab eo isthic ad Dei gloriam præclare gesta, cum optime tibi perspecta sint, non tam ipsius laudandi, quam tibi de illius abbatiæ bono gratulandi causa commemoramus. Quod reli-

quum est, ille optime de Nobis mereri perget, si uberrime studiosissimum nostrum erga Majestatem Tuam animum, quod ipsi diligenter mandavimus, tibi referet, quantumque te, totamque regiam domum, ac dilectissimos Nobis in Christo liberos tuos amemus, quibus læta ac prospera omnia a Deo Opt. Max. deprecantes, ejusdem munerum auspicem apostolicam benedictionem, quam ille etiam nostro nomine deferet, tibi carissime in Christo fili noster, tuisque omnibus amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 27 *novembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XL.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 novembris 1769.

Carissime, etc. Stimiamo nostro preciso dovere di raguagliare la sacra reale Maestà Vostra delle nostre intenzioni sempre disposte a darle evidenti riprove dell' adempimento delle nostre obligazioni. Ci siamo presa la cura di radunare quei monumenti, dei quali dobbiamo prevalerci per formare il concertato Motu proprio, con cui giustificaremo presso tutto il mondo la savia condotta tenuta dalla Maestà Vostra nella expulsione degl' inquieti e turbolenti Gesuiti. Siccome siamo sol a faticare e siamo oppressi da tante altre brighe, quindi ne deriva, non gia la trascuratezza ma la dilazione, rendutasi necessaria per la buona condotta di un affare tanto interessante. La sacra Maestà Vostra è supplicata di non prenderci in diffidenza, mentre siamo intenzionati e ci andiamo preparando a darne al publico irrefragabili testimonianze della nostra veracità. Sottoporremo poi un nostro piano alle savie rifflessioni della Maestà Vostra toccante la totale abolizione di questa società e non passarà molto tempo dalla transmissione che le faremo. Daremo ancora compimento ad altri affari, per i quali l'amatissimo Azpuru Ministro plenipotenziario della Maestà Vostra è stato incaricato. Daremo in somma continue e sincere testimonianze della nostra benevolenza alla M. V. alla quale con pienezza del nostro paterno affetto diamo l'apostolica benedizione da diffondersi sopra tutta la Reale famiglia. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem pridie kal. decembris* (30 *novembris*) 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLI.

ILLUSTRI AC POTENTISSIMO

DRUSIORUM PRINCIPI, ALI SCEAB,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 decembris 1769.

Illustris, *etc*. Inter plurima ac gravissima negotia, quibus hoc nostri ministerii pastoralis initio distinemur, istam gregis nostri Græcorum Melchitam portionem oblivisci non possumus, ad quam quoties animum convertimus (quod quidem persæpe ac libenter facimus), toties obversantur Nobis ante oculos non vulgaria illa a Celsitudine Tua in eamdem collata beneficia. Eo enim perdifficili tempore, quo de patriarchatu venerabilis fratris Theodosii, deque dilectis filiis monachis Basilianis congregationis Soairitæ agebatur, plurimum extitit studium ut præsidium tuum, ut sua vis apostolicæ sedis decretis esset, tuæque operæ, consilio, atque auctoritati referri maxime debet quidquid ab illustri et potentissimo principe Emiro Mansur fratre tuo gestum tunc fuit ad reducendos in officium ac in concordiam contumacis ac dissidentis partis animos, ad tuendum ab intentata præsidum vi eumdem patriarcham, et ad illos Soairitas Monachos, ab illatis per eosdem præsides injuriis vindicandos. Hæc Nos probe cognoscentes, quantum Celsitudini Tuæ debeamus, declarare statuimus, quod luculenter per hasce nostras litteras facimus, unaque maximas habemus gratias, vel ob id etiam, quod ex anteactis a te rebus plurimam in Nobis spem excitas, fore ut imposterum pari singularis patrocinii tui gratia tueri ac fovere pergas tam ipsum patriarcham Theodosium, et monachos istos Soairitas quorum plurimus est pro salute animarum labor, quam omnes, qui isthic in Chesroano degunt, christianos, de quibus vehementer solliciti ac studiosi et esse debemus et sumus. Majorem igitur in modum eos omnes Celsitudini Tuæ commendamus, ac illa pro iisdem a te petimus præsidia, quæ rerum ac temporum opportunitates postulare videbuntur. Id a te cumulatissime præstitum iri ita confidimus, ut egregie de perspecta summa humanitate ac animi tui magnitudine et sapientia sentimus. De Nobis vicissim illa te existimare cupimus, ut libentissime facturi simus quidquid tibi gratum tuisque rebus opportunum unquam futurum sit, neque ulli defuturos esse occasioni, qua hunc nostrum erga te luculentissimum animum reipsa testemur et confirmemus. Interim Celsitudini tuæ intimo nostri cordis sensu a bonorum omnium auc-

tore Deo cœleste lumen, ac veræ felicitatis consequutionem precamur. *Datum Romæ, etc., die* 9 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLII.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

PATRIARCHIS PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, ET EPISCOPIS

UNIVERSÆ ECCLESIÆ CATHOLICÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 decembris 1769.

Venerabiles, etc. Cum summi apostolatus impositum Nobis munus cogitatione comprehendimus, tantique oneris vim ac gravitatem intuemur, non possumus, Venerabiles Fratres, et rei ipsius magnitudine, et perspecta Nobis virium nostrarum imbecillitate non vehementer commoveri. In altitudinem maris venisse, atque e tranquillæ vitæ securitate tanquam e tutissimo portu ad regendam Beati Petri naviculam evocati maximis repente Nos abripi, atque agitari fluctibus videmur, ac tempestatis vi pene demergi. Verum a Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris. Neque enim ullis humani consilii rationibus, sed illius inscrutabili judicio Nobis nihil tale opinantibus delatam tanti muneris procurationem apertissime intelligimus. Proinde in certissimam spem erigimur, eum ipsum, qui Nos ad summi ministerii sollicitudinem adduxit, timorem ac infirmitatem nostram præsidio suo sublevaturum, et exauditurum Nos esse in abscondito tempestatis. In eadem fiducia præclare Nos confirmat Petri trepidantis in mari, ac Domini modicam ejusdem fidem increpantis recordatio. Qui Nobis in apostolorum principe totius Ecclesiæ curam, et claves regni cœlorum tradidit, qui suas oves pascere, ac fratres confirmare jussit, idem certe omnem sui obtinendi auxilii dubitationem a Nobis depellere, Nosque suæ gratiæ spe magis voluit, quam timore nostræ imbecillitatis moveri. Illius itaque, qui est robur ac fortitudo nostra, voluntati obsequimur, illius fidei potestatique Nos permittimus. Ille consilio suo inchoatum in Nobis opus etiam perficiet, atque ex ipsa humilitate nostra illius potentiæ, ac misericordiæ vis perspectior omnibus elucescet. Nam si quid hac temporum conditione, nostra, qui inutiles servi sumus, opera ad Ecclesiæ suæ incolumitatem moliri, ac efficere constituit, illum unum omnes auctorem atque effectorem perspicient, et propterea ipsi honorem ac gloriam esse tan-

tummodo tribuendam cognoscent. Quare alacri animo ad maximum sustinendum onus accedimus, et quo potentiore auxilio fidimus, eo majore studio connitimur, et ob ipsam muneris, ad quod appellati sumus, præstantiam, nullas, quæ a Nobis in eo perfungendo conferri possunt, sedulitatis ac industriæ partes nimias esse judicamus.

Quam quidem administrationis nostræ rationem dum assidue versamus animo, atque ex hac altissima apostolicæ sedis specula in omnes christiani orbis regiones oculos convertimus, vos potissimum, Venerabiles Fratres, excelso et illustri loco positos intuemur, vestro conspectu recreamur, vos adjutores nostros, vos dominici gregis custodes, ac evangelicæ vineæ operarios summa animi nostri jucunditate agnoscimus. Qui igitur nostræ sollicitudinis partem sustinetis, in ipso Apostolatus nostri exordio alloqui vos maxime cupimus, atque in sinum vestrum intimos mentis nostræ sensus effundere; et si quid vos in Domino hortari, ac commonere videbimur, id vel nostro de Nobis ipsis timori tribuite, vel profectum a vestræ virtutis, ac in Nos pietatis fiducia existimate.

Ac primum rogamus vos V. F. ac obsecramus, ne unquam misericordiarum Patrem pro imbecillitate nostra Divino præsidio munienda deprecari intermittatis. Reddite hanc Nobis amoris erga vos nostri vicem, atque ita mutua precum vestrarum subsidia Nobiscum conjungite, ut alteri ab alteris quodammodo sustentati firmiori gradu omnes possimus in sua quisque statione consistere. Hac potissimum animorum conjunctione illam, in qua Nobiscum coagmentati estis, unitatem comprobabitis. Unum quippe totius est Ecclesiæ ædificium, cujus in hac sede a beato Petro positum est fundamentum. Multi ad illud construendum conjuncti sunt lapides, sed omnes super una petra firmantur ac innituntur. Unum est Ecclesiæ corpus, cujus Christus est caput, ac in illud omnes coalescimus. Nos ipsius potestatis vicariam procurationem gerentes ceteris altius illo volente præsidemus. Vos vero una Nobiscum colligati tanquam cum visibili Ecclesiæ capite potiores ejusdem corporis partes estis. Quid proinde singulis accidere potest, quod universos non afficiat, neque ad unumquemque promanet? Quemadmodum itaque nihil potest peculiarem cujusque vestrum vigilantiam exposcere, quod nostris item curis comprehendi, ad Nosque referri non debeat, ita arbitrari debetis magnopere vestra interesse, quidquid ad Nos pertinet, nostramque operam ac diligentiam desiderat. Quapropter una voluntatum consensione conjuncti, uno eodemque animati Spiritu, qui a mystico illo capite profluens, ac per universa membra diffusus vitam omnibus dispertit, contendere omnes, ac dare operam præsertim debemus, ut Ecclesiæ Corpus integrum at-

que incolume sit, ut, nulla ruga ac macula contracta, omni christianæ virtutis laude instruatur, ac vigeat. Quod quidem divina ope præstari a Nobis poterit, si pro virili sua quisque commissi sibi gregis studio exardescet, si illa una singulis insidebit cura populi sui ab omni malorum contagione, atque errorum insidiis removendi, ac omnibus doctrinæ sanctitatisque subsidiis diligentissime muniendi.

Hujusmodi animarum salutis cupiditate si unquam eos, qui tuendæ vineæ Domini præsunt, excitatos esse oportuit, hoc præsertim tempore illos inflammari est pernecessarium. Quando enim tam multiplices, tam noxias sive ad labefactandam, sive ad tollendam religionem exoriri fere quotidie, et circumferri opiniones, quando novitatis illecebra magis inductos homines, et quadam peregrinæ scientiæ aviditate pertractos ad hanc confluere, atque eandem libentissime conquirere vidimus? unde animarum pestem, et perniciem extendi latius in dies, ac miserrime propagari dolemus. Quare eo acrius vobis erit laborandum, Venerabiles Fratres, omnesque vel diligentiæ, vel auctoritatis vires exerendæ, ut hanc tantam, ac de divinis etiam, et sanctissimis rebus grassantem temeritatem, atque insaniam repellatis. Non in corruptibilibus ac vanis humanæ sapientiæ præsidiis, sed in simplicitate doctrinæ, ac in verbo Dei penetrabiliore omni gladio ancipiti dumtaxat vos illud consecuturos confidite. Tum hostium impetus coercere facile poteritis, atque adversariorum tela retundere, cum in omnibus sermonibus vestris Jesum Christum crucifixum præferetis ac prædicabitis. Suis ille legibus atque institutis sanctam hanc civitatem, suam nimirum Ecclesiam, condidit, et communivit. Suæ fidei tanquam depositum caste pieque custodiendum huic tradidit. Suæ doctrinæ ac veritatis hanc esse voluit firmissimum munimentum, adversus quam portæ inferi nunquam prævalerent. Nos igitur, Venerabiles Fratres, civitatis sanctæ Præsides, ac vigiles hanc ejusdem conditoris Domini, ac magistri nostri legum, ac fidei præclarissimam, hæreditatem Nobis per majores nostros integerrime traditam diligenter tueamur, ac ad posteros nostros puram, atque incolumem transmittamus. Ad hanc in Sacris litteris acceptam normam facta, et consilia nostra omnia dirigentes, præterea Patrum nostrorum certissimis inhærentes vestigiis instructissimos Nos futuros putemus ad omnes vitandas offensiones, quæ christiani populi fidem debilitare possint, ac infringere, atque Ecclesiæ unitatem ulla ex parte dissolvere. Ab illis divinæ sapientiæ fontibus, scripta scilicet, traditaque doctrina, quæcumque sive ad credendum, sive ad agendum requiruntur, tantummodo hauriamus.

In gemino enim hoc locupletissimo veritatis ac virtutis omnis ins-

trumento continentur, quæcumque ad religionis cultum, ad morum disciplinam, recteque vivendi institutionem pertinent. Hinc mysteriorum altitudinem, hinc pietatis, honestatis, justitiæ, humanitatis officia ediscimus. Quid Deo, quid Ecclesiæ, quid patriæ, quid civibus, quid cæteris hominibus debeamus, intelligimus. Unde nullis præclarius, quam his veræ religionis legibus civitatum etiam, ac societatum jura stabilita esse cognoscimus. Ac propterea nemo fere unquam divinis Christi sanctionibus bellum intulit, quin idem continuo, quantum in se est, populorum tranquillitatem perturbarit, regum obsequium detrectarit, infesta, ac incerta omnia fecerit. Magna est enim inter divinæ ac humanæ potestatis jura conjunctio; ac proinde qui Christianæ legis auctoritate regum imperia munita esse norunt, alacri animo iisdem obtemperant, verentur potentiam, dignitatem observant, et colunt.

Atque hanc quidem divinarum præscriptionum partem, non minus cum populorum tranquillitate, quam cum animarum salute conjunctissimam considerantes magnopere vos hortamur, Venerabiles Fratres, ut post Deum, ac divini cultus constitutas in Ecclesia rationes, omnem sollicitudinem vestram ad populum regum obedientia ac obsequio rite imbuendum convertatis. Illi nimirum ad publicam incolumitatem tuendam, ac homines in juris æquitate continendos in altissimo gradu præ cæteris sunt constituti. Ministri enim Dei sunt in bonum, nec sine causa gladium portant, vindices in iram ei, qui malum agit; carissimi præterea Ecclesiæ filii sunt, ac patroni, quorum est eamdem, ut parentem, diligere, ejusque causam, ac jura custodire. Quos igitur instruendos in Christi lege suscepistis, mature divino illo præcepto imbuendos curate: fidem regibus sancte esse servandam ab ipsis incunabulis percipiant, parendum auctoritati, legibus obsequendum non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Cum ita populorum animi fuerint opera vestra excitati, non solum ut regibus dicto audientes sint, sed etiam ut eos colant, ac diligant, tum optime et civium tranquillitati, et Ecclesiæ utilitati, quæ inter se disjunctæ esse non possunt, consuletis. Eas vero officii vestri partes uberius cumulabitis, si ad quotidianas pro populo preces, peculiares etiam pro rege, obsecrationes adjungatis, ut incolumes illi sint, ut suos in æquitate, pace, ac justitia regant, ut Deum ipsum in regno hominum dominantem cognoscentes, ejusdem causam sancte pieque tueantur, ac provehant. Ita a vobis erit non minus episcopali vestro muneri, quam omnium commodis satisfactum. Quid enim justius ac opportunius, quam pro auctore publicæ pacis, ac civium salutis custode ab illis perpetuo Dominum obsecrari, qui pro hominibus constituuntur

in iis, quæ ad Deum sunt, et tanquam interpretes ac sequestri suis conjuncta precibus omnium vota Domino repræsentant?

Jam vero ceteras pastoralis officii partes diligentius vobis percensere supervacaneum ducimus. Quid enim singula persequamur, vosque de iis cohortemur, quorum intelligentia præclare instructos esse novimus, diuturno insuper usu, et quadam, animi inductione vestro muneri consentanea confirmatos? Illud tantummodo non omittemus, ut quo uno comprehendi omnia credimus, vobis ante oculos non subjiciamus, vestram scilicet virtutem excitantes ad ducis nostri ac pastorum principis consectandum in omnibus exemplar, atque illud sanctitatis, caritatis, humilitatis specimen in vobis ipsis exprimendum. Si enim ille cum Patris sui gloriæ splendor esset, et figura substantiæ ejus, assumpta carnis nostræ infirmitate homines a servitute per humilitatem et caritatem vindicatos in Dei filios adoptari, et cohæredes suos fieri voluit; quanam in re gloriosius, ac præstantius cogitationes, et labores nostri versari possunt, quam ut hujus hominum cum Christo conjunctionis, ac necessitudinis tuendæ auctores ceteris simus, et in illa imitanda bonitatis, clementiæ, mansuetudinis divina forma exemplo nostro omnibus facem præferamus? Qua enim alia ratione super montem excelsum ascendit, qui evangelizat Sion? Vobis hujus consectandæ similitudinis desiderio semel incensis fieri non potest, quin idem ardor ad vestri universi populi mentes conflagrandas dimanet. Mirifica siquidem pastoris vis est atque auctoritas ad sui gregis animos commovendos. Qui cum illius cogitationes, actionesque omnes ad hoc veræ virtutis specimen conformatas noverint, cum in illo nihil asperum, nihil arrogans, nihil elatum, verum omnia caritatis, mansuetudinis, humilitatis officiis plena viderint, tum vero acerrime ad easdem æmulandas laudes incitatos sese sentient. Præterea cum eundem omnis privatæ utilitatis oblitum, ceterorum commodis inservientem, opibus egentes, solatio afflictos, doctrina rudes, omnes officio, consilio, pietate sublevantem, populi denique salutem suæ ipsius vitæ præferentem intelligent, hoc pastoris sui amore, studio, ac sedulitate illecti libentissime docentis, cohortantis, obsecrantis, arguentis etiam, atque increpantis voces audient. Nam si qui privatarum rerum cupiditate obstricti sint, ac terrena divinis præferant, quo pacto poterunt alios ad Dei caritatem, ac mutuam inter se benevolentiam, divitiis, voluptatibus, honoribus inhiantes ad rerum humanarum contemptum, fastu ac superbia elati ad mansuetudinem atque humilitatem inducere? In Jesu Christi igitur disciplina erudiendi populi cum munus sit a vobis susceptum, in ejusdem potissimum sanctitate, innocentia, lenitate vobis erit inhærendum. Tum vestra

vos potestate præclare tantummodo esse usuros reputate, cum potiora vobis erunt caritatis atque humilitatis, quam dignitatis insignia. Maximum statuite vestrum hoc esse, atque ad vos unice pertinere, populi vobis crediti hunc in modum instituendi negotium; ab illo recte gerendo omnes vestras derivandas esse laudes ac fortunas, a negligendo calamitatem ac turpitudinem. Quare hæ vestræ sint a vobis tantummodo expetendæ divitiæ, ut Christi sanguine redemptas animas Christo lucrifaciatis, ea sincera ac solida gloria, ut in divino promovendo cultu, in Domus Dei decore amplificando, in vitiis extirpandis, ac virtutibus excolendis fidelem ac sedulam operam vestram Domino semper exhibeatis. Hæc assidue cogitare, hæc agere, hìc ambitiosi, hìc cupidi esse debetis.

Neque vero cum diu multumque eritis in hac laborum contentione versati, defutura unquam vobis arbitremini virtutis exercendæ spatia. Ea quippe est muneris vestri conditio, ea Episcopalis vitæ ratio, ut nunquam debeat curarum cessationem, nunquam otium consequi. Nullis possunt eorum actiones circumscriptæ esse terminis, quorum caritatis amplitudinem nulli debent fines comprehendere. Sed immortalis atque infinitæ mercedis vobis constitutæ expectatio facile molestias omnes leniet, ac levissimas efficiet. Quid enim grave ac molestum esse poterit cogitantibus, beatissimam illam retributionem ob servatum ac multiplicatum gregem a Domino, cum rationem pastoralis muneris exposcet, recipiendam? Præter hanc pulcherrimam immortalitatis spem in ipsis etiam sustinendis pastoralis vitæ laboribus plurimam jucunditatem inesse sentietis, cum Deo conatus vestros adjuvante populum vestrum mutua inter se caritatis conjunctione devinctum, integritate, ac pietate florentem, ceteros denique omnes egregios vigiliarum ac laborum vestrorum fructus in Ecclesia exortos conspicietis. Utinam nostrum omnium unanimi hujusmodi voluntatum, ac studiorum consensione reductam his nostri apostolatus temporibus præclaram hanc religionis felicitatem, ac antiquæ illius ætatis similem formam videamus, ac gratulari vobiscum, Venerabiles Fratres, et congaudere possimus in Christo Domino nostro, qui suæ gratiæ præsidio Nos sustentet, et cor nostrum in illa, quæ ei sunt placita, semper accendat.

Quo tempore hasce litteras ad vos, Venerabiles Fratres, perscribimus, eodem per alias nostras universis christifidelibus jubilæum de more ad implorandam initio nostri pontificatus divinam opem pro salutari sanctæ Ecclesiæ catholicæ regimine transmittimus. A vobis igitur majorem in modum, petimus ac flagitamus, ut commissos vestræ fidei populos ad eas rite faciendas in fide, pietate, ac humilitate

precationes dirigatis, ac sicut monitis, et consiliis vestris, ita etiam exemplo ad curandas tam suæ salutis, quam publicæ christianæ utilitatis rationes inflammetis.

Ac in nostræ caritatis pignus apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, ac vestrarum ecclesiarum fidelibus populis amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die* 12 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLIII.

DILECTO FILIO

JOACHIMO AB OXOMA, ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI, DESIGNATO ARCHIEPISCOPO THEBARUM, REGIS CATHOLICI CONFESSARIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 decembris 1769.

Dilecte, etc. Magnopere lætamur, ut, cum te ob præclaras animi virtutes accuratissimamque vel in ipsa regiæ aulæ magnificentia religiose sancteque vivendi formam, ac ob eximium, quo penes carissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum regem catholicum fungeris, confessarii munus episcopali dignitate ornare, ac ad Thebanam metropolitanam ecclesiam evehere ultro decreverimus, idem esses pristinæ amicitiæ jure conjunctissimus. Ex quo percommode accidit, ut egregiorum meritorum tuorum rationem habere, et una nostræ propensissimæ erga te voluntati satisfacere possimus. De hac igitur actione nostra, de qua conficienda ac expedienda omni cura exsolutum te esse voluimus, ut ex folio his litteris adnexo intelliges, non magis tibi, quam Nobismetipsis gratulamur, dilecte fili, quod hujusmodi non solum nostri in te singularis amoris, verum etiam cumulatissimi de te judicii ac existimationis testimonium publice dederimus, unaque nostrum tibi declaraverimus gratum animum ob perspectissima tua erga Nos studia, quæ opportunis tuis officiis abunde nobis sunt hactenus confirmata. Cæteras de tuo archiepiscopatu apostolicas litteras propediem, cum omnia perfecta erunt, ad te transmittemus. Vehementer etiam gaudemus, aliam quoque Nobis suppeditari lætitiæ tuæ cumulandæ rationem, dum te nimirum certiorem facimus, causam venerabilis servi Dei Joannis de Palafox, de qua nuper est actum, illum habuisse exitum, qui ex voluntate nostra fuit, et tuæ in eum pietati futurus sit maxime consentaneus, cum, quid decretum sit, ex altero hisce litteris adnexo folio cognosces. Id a te vehementer petimus, ut nostro nomine catholicæ majestati deferas

ac ostendas, cui certi sumus idem fore acceptissimum. Quod dum facies eidem carissimo in Christo filio nostro apostolicam benedictionem a Nobis, quam cum ardentibus ac nunquam intermissis de ipsius et regiæ totius familiæ salute ac felicitate votis conjungimus, amantissime impertieris. Cetera quæ hac in causa supersunt, fore plane ex nostra sententia facilia nempe ac expedita speramus. Nostram certe in eadem causa operam, diligentiam ac studium desiderari a quoquam posse nunquam patiemur. Reliquum est, ut tibi, dilecte fili, majorem in modum persuadeas nihil Nos magis cupere, quam ut nova Nobis semper suppetant argumenta, quibus tibi luculentissimum nostrum in te animum magis in dies testatum faciamus. Ac in singularis pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLIV.

DILECTO FILIO

GABRIELI GAUCHAR, CANONICO LINGIENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 decembris 1769.

Dilecte, etc. Nullum acceptius esse Nobis a te potest, quam quod appellas tuæ cum religionis, tum erga S. Sedem observantiæ ac devotionis monumentum, illi scilicet libri tui, quibus contra falsam philosophiam utique nunc grassantem conscribendis viginti et amplius annos versaris tuumque animum studio veritatis accensum, et doctrina tanquam solidissimis argumentis instructum illius audaciæ ac temeritati opponis. Ea nondum ad Nos perlata sunt volumina, quæ quidem, si quid nobis in tanta negotiorum mole vacui temporis erit, cupidissime perlegemus. Interea tibi vehementer persuasum esse cupimus, gratissimo eadem nos animo accepturos esse, habiturosque tamquam locupletissimos tui zeli ac sapientiæ testes atque indices. Studium itaque hujusmodi tuum, dilecte fili, dum Nos majorem in modum commendamus, teque hortamur etiam, ut in eo tuæ laudis curriculo semper insistas, una de paterna plurima nostra caritate securum esse te jubemus, ac in ejus certissimum pignus recipere apostolicam benedictionem qua te tuaque studia prosequimur, quamque ut divinæ benedictionis auspicem ex animo tibi ac peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLV.

VENERABILI FRATRI

ANGELO ARCHIEPISCOPO ANCYRANO, NOSTRO

ET APOSTOLICÆ SEDIS NUNCIO APUD REGEM POLONIÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 decembris 1769.

Venerabilis, etc. Cum ad Venerabiles Fratres universos christiani orbis episcopos hoc nostri pontificatus initio epistolam encyclicam de more scribendam duxerimus, eam ad te, Venerabilis Frater, transmittimus, ut, quemadmodum fieri solet, distribuendam istis totius regni episcopis nostro nomine diligenter cures. Eadem perlecta facile intelliges, quale nostrum sit studium de regum cultu atque obedientia ex divina lege populorum animis inserenda. Dum itaque ipsam encyclicam istius regni episcopis reddes, volumus, ut nostro nomine peculiariter etiam eosdem excites ad consulendum cum religionis tum carissimi in Christo filii nostri Stanislai Augusti Poloniæ regis illustris rationibus, qui præterquam quod ex regio munere tueri orthodoxam religionem debet, hujusmodi suæ voluntatis perspicuum dedit in postremo senatus consilio testimonium ad ea scilicet avertenda, quæ isthic in ultimis comitiis in religionis detrimentum acta fuerant. Igitur præclare, Venerabilis Frater, tuo erga Nos muneri satisfacies, si eosdem episcopos etsi sua sponte satis propensos, proposita tamen catholicæ religionis utilitate, et huic consentaneo nostro erga ipsum regem studio magis magisque inflammabis. Id tantopere tuæ diligentiæ ac sedulitati commendamus, ut ea re nostram te maxime amplificaturum benevolentiam polliceamur. In cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 decembris 1769.

Carissime, etc. Etsi Majestas Tua dubitare minime possit de paterna nostra voluntate, qua sumus erga omnes carissimos in Christo filios

nostros reges, qui nobiscum sunt in catholica fide conjuncti, peculiare tamen hujus animi nostri documentum dandum esse existimamus tibi, qui præterquam quod ex regio munere tueri orthodoxam religionem debes, hujus studii tui perspicuum dedisti testimonium in postremo senatus consilio, quo avertenda ea omnia decrevisti, quæ isthic in ultimis comitiis in religionis detrimentum acta fuerant. Quare dum venerabili fratri Angelo Archiepiscopo Ancyrano nostro apud Majestatem Tuam ordinario nuncio transmittimus encyclicam epistolam nuper ad universos christiani orbis episcopos perscriptam, in qua eosdem præsertim hortamur, ut populos ad regum suorum cultum atque obedientiam diligenter excitent, ac dum ipsi committimus, ut eam universis istius regni episcopis de more distribuat, una etiam accuratissime mandamus, ut eos omnes pro suo munere ad consulendum cum tuis, tum religionis ipsius rationibus inflammet. Quod tibi præcipue et gratum et opportunum fore judicamus, ita enim inclytæ tuæ nationis animi novo hoc stimulo magis excitati tecum arctius conjungentur ad luctuosa illa omnia reparanda damna, quæ ex dictorum comitiorum actis summo omnium bonorum dolore in orthodoxam religionem redundarunt. Certi quidem Nos sumus nostro huic studio diligentissime responsurum esse ipsum nostrum nuntium; nec dubitamus, quin omnes regni istius episcopi etsi sua sponte satis propensi, proposita tamen catholicæ religionis utilitate, et nostro huic consentaneo erga te studio magis magisque accendantur. Quod reliquum est Deum Opt. Max. obsecramus, ut voluntatem tuam ad ejusdem gloriam regnique tui incolumitatem conversam ratam ipse faxit, ac ejusdem gratiæ auspicem, nostræque singularis erga te caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLVII.

DILECTIS FILIIS

MICHAELI D'ANDREA GUBERNATORI,

ET CONFRATRIBUS CONGREGATIONIS DELLI BIANCHI,

VULGO NUNCUPATÆ IN ECCLESIA SUB INVOCATIONE

SANCTÆ MARIÆ SUCCURRE MISERIS CIVITATIS NEAPOLITANÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 decembris 1769.

Dilecti, etc. Dum prædecessorum nostrorum datas jam dudum ad vos litteras perlegeremus, quibus sua illi in vos pro vestra pietate con-

ferunt pontificiæ benignitatis monumenta, Nos etiam et vestris meritis et petitione permoti, et eorum erga vos æmulari caritatem volentes ad vos hæc conscribere duximus, dilecti filii, ut nostrum etiam illis non imparem paternum erga societatem vestram animum agnosceretis. Quas jampridem itaque Sa. Mem. Clemens XIII ad vos in forma brevis dedit litteras, eæ sunt hujusmodi : Venerabili Fratri Francisco episcopo Sarnensi gubernatori, ac dilectis filiis confratribus, etc., Clemens papa XIII. Venerabilis Frater, etc. *Inseratur breve datum die* 21 *novembris* 1758 *usque ad verba Cajetanus Amatus;* Hæc idcirco prædecessorum nostrum erga vos caritatis monumenta commemorare, dilecti filii, voluimus, ut eadem, quæ ibidem vobis indulta sunt, Nos etiam apostolica auctoritate non solum confirmare, verum etiam, quatenus opus sit, concedere cognoscatis. Illud certe officium in Nos vestrum Nobis vehementer acceptum fuit, quo nomen nostrum in vestro tabulario describi, nosquemetipsos inter vos censeri ac numerari petiistis, atque ita hujusmodi postulato vestro assentimur, ut maxime confidamus Nobis in istam societatem adscitis valde profuturas esse obsecrationes vestras ac de piis laboribus quos in animarum salutem peragitis, redundaturos in Nos etiam aliquos esse fructus, quibus in fungendo gravissimo hoc apostolatus munere sublevemur. Utque magis benignitatem ac caritatem erga vos nostram percipiatis, alteri etiam postulato vestro libenter annuimus, vobisque indulgemus, ut quoties procul Neapoli peregre ad vestri instituti subeundos labores sacerdotes confratres vestri excurrent, si ita necesse sit, in domibus, ubi hospitati fuerunt, altare erigere possint, in eoque missam celebrare valeant, quæ eorum missa, si in diebus festis contigerit celebrari, suffragetur in præcepti adimplementum pro omnibus et singulis aliis confratribus, qui associationi intererunt, ac præterea ut sacerdotes confratres ad excipiendas confessiones in civitate ac diœcesi Neapolitana approbati eadem facultate, quæ ipsis in dicta civitate ac diœcesi competit vigore approbationis, in itineribus pro exercendo instituti ministerio susceptis ad id solummodo uti valeant, ut alter alteri sacramentum pœnitentiæ vicissim administrare licite ac valide possit. Hæc, dilecti filii, vobis idcirco elargimur, ut et nostræ in vos propensissimæ voluntati pietatique satisfaciamus, et vos etiam hisce beneficiis nostris excitemus ad eos æquo animo ac alacriter subeundos labores, qui ad animarum salutem conducunt, ac istius instituti rationi maxime consentiunt. Atque ut nostram imbecillitatem in universa Ecclesia regenda distentam ac occupatam Domino semper in vestros observationibus commendetis, majorem in modum a vobis petimus, ac in cumulatius nostræ pontificiæ caritatis argumentum apostolicam be-

nedictionem vobis, dilecti filii, vestræque societati peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *decembris* 1769, *pontificatus nostri anno primo.*

XLVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 3 januarii 1770.

Carissime, etc. Quod prædecessoribus nostris in more positum fuit, ut sui pontificatus initio ad Dei omnipotentis implorandum auxilium pro salutari universæ sibi commissæ Ecclesiæ regimine omnem catholicum populum apertis divinæ misericordiæ thesauris excitarent, id Nobis studiosissime faciendum esse nostræ præsertim maximæ infirmitatis conscii existimamus. Jubilæum igitur pro universis christifidelibus indicentes Episcopos omnes vehementer hortamur, ut suæ fidei creditum gregem ad eas rite faciendas preces dirigant, ac ad curandas tam salutis suæ quam publicæ christianæ utilitatis rationes inflamment. Quo consentientium undique precationum subsidio dum valde confidimus, Majestatem Tuam majorem in modum obsecrandam censemus, ut sua nobiscum studia conjungens regii favoris opem omnibus sui amplissimi regni præsulibus impertiat, suoque præsidio tam necessarium, Nobis, ac universim saluberrimum futurum opus adjuvet, sustentet ac provehat. Quod dum a te fidenter petimus, una etiam significamus in apostolicis jubilæi litteris nullam nos mentionem habendam duxisse eorum, qui isthic constitutioni, quæ incipit *Unigenitus* refragantur. De quibus illa retinenda est ratio, quam Sa. Mem. Benedictus XIV prædecessor noster in celeberrima illa encyclica epistola die 16 octobris anni 1756, ad Galliæ episcopos in comitiis cleri congregatos data tenendam esse sapientissime censuit ac declaravit. Neque enim indulgentiarum participes esse possunt, qui in ejusmodi obfirmato animo perseverant. Eos quidem Nos putamus pauciores in dies existere, de iisdem tamen illud ipsum, quod prædecessores nostri ad te antea in commendandis jubilæi litteris perscripserunt, Nos etiam confirmamus, teque, carissime in Christo fili noster, pro tuo erga apostolicæ sedis decreta studio enixe rogamus, ut regiæ potestatis auctoritate animarum pastores fulcire non desinas, ut omnes tandem in eumdem sensum eandemque sententiam adducantur. Interim quod a te nunc ad publicarum precum promovenda

pro Nobis subsidia flagitamus, id a te perspectus tuus in religionem zelus, id filialis erga Nos pietas postulat, id tuorum etiam regnorum utilitati ac felicitati præcipue conducturum esse facile pro tua sapientia perspicis, quæ nimirum a Dei protegentis auxilio repeti debent in eoque subsistere. Hoc ipsum enixis Nos precibus ab eodem omnium bonorum largitore tibi regiæque familiæ tuæ deprecari nunquam intermittentes in paterni nostri singularis amoris lætaque tibi et fausta omnia exoptantis apostolicam benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 3 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

XLIX.

DILECTO FILIO

ANTONIO VALSECCHIO, ORDINIS PRÆDICATORUM,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 januarii 1770.

Dilecte, etc. Nullum sane exhibere Nobis potuisti neque luculentius tuæ in Nos ac apostolicam sedem observantiæ, neque lætitiæ ob pontificiam dignitatem ad Nos delatam præclarius Nobisque jucundius testimonium, quam nunc a te est præstitum, cum librum tuum, quo religionem tanta cum tua laude, ac ceterorum utilitate defendis, ad Nos misisti. Cum operis hujus tui præstantiam jampridem perspectam haberemus, eo ipsum etiam libentius excepimus, ac proinde nostrum tibi gratissimum animum profitemur. Cumque Sa. Mem. Clementi XIII, prædecessori nostro illud dicatum atque inscriptum a te fuerit, idcirco ad Nos ipsos pertinere etiam eodem jure reputamus, tum argumenti quod agitur, tum auctoris ipsius causa ad religionis, cui vigilandum Nobis est, veritatem vindicandam tam bene animati ejusdemque studiosissimi. Sed tuus eximius hic religionis tuendæ ardor non eo loci te constiturum, sed novis iterum susceptis hujusmodi laboribus uberius in dies in recentibus quibusque confutandis erroribus de divino promovendo cultu, de Ecclesia atque adeo de Nobis bene meriturum pollicetur. Ad quod præclaros pro Domino confidenter prosequendos cursus cum te magnopere exhortemur, in pontificiæ nostræ benevolentiæ argumentum apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.,* 6 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

XLIX *bis*.

DILECTO FILIO

MARTINO GERBERTO,

ABBATI CONGREGATIONIS SANCTI BLASII IN SYLVA NIGRA,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 januarii 1770.

Dilecte, etc. Ex litteris tuis omni officiorum erga Nos genere refertis abunde nostra Nobis confirmata est opinio jamdudum de tuo in Ecclesiam studio ceterisque virtutibus, ac de singulari sacrarum præsertim rerum doctrina percepta. Quæ quidem decora tua, dum eam perlegeremus epistolam, ita Nobis in mentem venerunt, ut valde lætati sumus de filiali tua in Nos observantia ac fide, neque quidquam acceptius ex te esse posset, quam tuorum egregiorum laborum meritorumque recordatio. Libentissime proinde excipimus Theologica Opuscula tua, quæ ad nos defers tamquam tuæ eximiæ in Nos voluntatis testimonia, quæque ipsi penes Nos habituri sumus etiam tamquam præclara tuarum laudum monumenta. Quæ in epistola tua de Nobis interseris judicia, benevole quidem pieque id facis, sed nostræ Nos infirmitatis conscii eadem in optatis ac votis de Nobis tuis ponenda esse reputamus, quæ ut Dei benignitate rata fiant, vehementer a te petimus, ne eumdem enixe, ut facis, deprecari unquam intermittas. Nos invicem omnia tibi paternæ nostræ benevolentiæ argumenta nunquam pro opportunitate defutura pollicemur, ac ut a calamitatibus monasterii tui, quas describis, vindicem ac auxiliatorem Deum ipsum habeas industriæ tuæ, qua ipsius reparare damna, ac pristinum inducere in restituendis etiam doctrinarum studiis ornamentum contendere te putamus, eumdem magnopere obsecramus, divinæ non minus gratiæ auspicem, quam pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

L.

DILECTO FILIO

BENEDICTO BONELLI A CAVALESIO

ORDINIS MINORUM OBS. REF.,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 januarii 1770.

Dilecte, etc. Concilium tuum ac laborem a te susceptum in ador-

nanda nova collectione operum S. Bonaventuræ, prout in prodromo ad Nos misso, atque in epistola tua Nobis significasti, etiamsi nullæ aliæ rationes insuper accederent, ob singularem tamen nostram erga S. Doctorem devotionem ipsiusque doctrinæ promovendæ studium magnopere probaremus. Cum autem nostro nomini inscribere egregium illud opus velis, et hoc tuæ in Nos ac S. Sedem observantiæ testimonium, et nostram etiam erga tantum doctorem pietatem palam omnibus per te fieri Nobis erit acceptissimum. Pergrato itaque animo excipiemus in duabus collectionibus Nobis dicandis et dilecti filii ministri generalis, et tuæ in Nos voluntatis tam præclarum pignus atque eximium id munus eo pluris a nobis æstimari profitemur, quo uberius de te ac præstante tua doctrina, ac in tam ingenti opere perficiendo industria ac diligentia judicium facimus. Et quoniam laborem hunc tuum profuturum non mediocriter speramus non solum ad S. Doctoris honorem, sed ad divinarum rerum studium Deique gloriam amplificandam, Deum ipsum precamur, ut in eo quamprimum ad exitum perducendo pares tibi vires gratiæque suæ præsidia suppeditet. Interim tibi divini hujus doni auspicem apostolicam benedictionem in nostræ etiam erga te caritatis argumentum peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1770.

Carissime, etc. Mittimus ad Regiam Majestatem Tuam venerabilem fratrem Innocentium de Comitibus archiepiscopum Tyri nostrum et apostolicæ sedis Ordinarium apud te futurum Nuncium, atque ita mittimus, ut id cumulatiore animi nostri studio ac voluptate facere nequeamus. Mutuæ enim inter Nos concordiæ atque amoris hoc tempore atque hunc in modum facta reintegratio tanto Nos jucunditatis afficit sensu, quanti Te, Carissime in Christo fili noster, ob regias singulares virtutes tuas fieri debere intelligimus, quantoque arctiori nexu, quam unquam fortasse fuit, hanc inter nos pietatem adstrictam iri imposterum confidimus. Cum igitur ad te delegamus Virum, qui ad antiquissimæ domus decora animi etiam nobilitatem adjungit, neque magis Majorum suorum meritis, quam propriis ipse laudibus

innititur, inter quas illud præcipuum habet, ut Te tuamque regiam domum mirifice observet ac colat, ac invicem Majestatis Tuæ erga te singulari humanitate gaudeat. In quem itaque propensam habes regiam voluntatem tuam, ut idem nostra etiam causa tibi commendatissimus atque acceptissimus sit, majorem in modum a te petimus, teque præterea rogamus, ut ipsi nostra ac religionis negotia tecum gerenti eamdem fidem habere, quam si Nos ipsi coram loqueremur, velis. Illud præ cæteris cupimus, ut persuasum tibi maxime sit, quod ipsi præcipue mandandum duximus, quodque idem ad Te diligentissime nostro nomine deferet, eum scilicet paternum nostrum erga Regiam Majestatem Tuam esse animum, ut ad amorem, studium, pietatem, caritatemque, qua inflammati in Te sumus, quaque regiam Domum tuam, tuaque omnia complectimur, nulla fieri possit accessio. Cum ipsum, si nostræ voluntati obsequi, nostramque erga se amplificare gratiam cupit, sua erga Te observantiæ omniumque officiorum constantia magis in dies confirmaturum id esse non dubitamus. Atque ut paternam benevolentiam nostram in subjectos etiam Tibi populos declarare possit, eidem plurimas largiti sumus in spirituale animarum subsidium facultates. Demum in singularis paternæ erga Te caritatis pignus apostolicam benedictionem quam divinæ præsertim gratiæ auspicem esse volumus Tibi, Carissime in Christo fili noster, tuæque regiæ familiæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 19 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMITI DE OEYRAS

REGIS FIDELISSIMI SECRETARIO STATUS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1770.

Dilecte, etc. Quam eximiam Nobis ac apostolicæ huic sedi navasti operam tuam ad ineundam cum carissimo in Christo filio nostro Josepho Portugalliæ et Algarbiorum Rege Fidelissimo concordiam, imo ad multo arctius, quam unquam fuit, amoris vinculum, quod maxime cupimus, adstringendum, eadem nunc vehementer innitimur ad commendandum Tibi venerabilem fratrem Innocentium de Comitibus archiepiscopum Tyri, quem Ordinarium nostrum et apostolicæ sedis Nuncium isthuc mittimus. Quæ in eodem sint, quam præclaræ animi dotes,

quæque ad antiquissimæ nobilitatis splendorem accedant merita, facile potes vel ex eo cognoscere, quod regiam istam domum majorum suorum sequutus exempla semper summo studio coluit ac observavit. Eum igitur Tibi vehementer commendamus, ut commissi sibi ministerii munus obeunti opem consiliumque exhibeas, quo expeditiora ipsi sint nostra ac religionis, quæ geret negotia, et carissimo in Christo filio nostro Regi fidelissimo fiat in dies carior et acceptior. Eidem in mandatis dedimus, ut Te isthic statim conveniens ita de nostra voluntate certiorem faciat, ut non solum tuarum virtutum existimatione cumulatum, sed et erga te gratissimam declaret, Tibique persuadeat, Nos vehementer sperare cui plurimum jam debemus, fore ut multo etiam magis imposterum debituri simus. Tua itaque in Nos pietate magnopere freti pontificiam Tibi deferimus singularem benevolentiam, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LIII.

VENERABILI FRATRI

THEODOSIO,

GRÆCORUM MELCHITARUM PATRIARCHÆ ANTIOCHENO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 januarii 1770.

Venerabilis, etc. Gratissimæ Nobis acciderunt luculentæ vestri gaudii significationes ob pontificiam dignitatem divinitus ad Nos delatam percepti. Quod vero debita et observantiæ vestræ et obedientiæ Nobis tamquam Christi vicario, et supremo Ecclesiæ capiti, ac omnium Fidelium Pastori defertis officia, eo ipso apertissima religionis vestræ ac pietatis exhibetis documenta, quæ paternum animum nostrum mirifica jucunditate afficiunt, ac nostram in Te istumque commissum. Tibi gregem majorem in modum augent cumulantque benevolentiam. Deum igitur Opt. Max. quod in vobis est, pro munienda imbecillitate nostra exorare non intermittite, unaque exhibete eam ipsam hactenus a vobis declaratam in laboribus, quos pro Domino sustinetis, constantiam; neque putate Nobis ex animo excidere unquam posse memoriam vestri vel in iis obsecrationibus, quas pro concrediti Nobis universi gregis incolumitate misericordiarum Patri deferimus, vel in aliis quibuscunque rerum opportunitatibus, quibus nostra vobis opera, auctoritate præsidioque prodesse valeamus. Nos profecto ab

illo, cujus sustinemus vicem, magnopere petimus ac flagitamus, ut sua ope ac gratia res vestras sustentet, ac tueatur, ac nobis etiam eas vires eaque suppeditet consilia, quibus et vestro de Nobis desiderio, et plurimæ nostræ erga vos caritati abunde satisfaciamus. Ac in ejusdem pignus apostolicam benedictionem Tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LIV.

DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ

MARIÆ CATHERINÆ ARCHAMBAULT

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 januarii 1770.

Dilecta, etc. Relatum Nobis fuit a dilectis in Christo filiabus Priorissa et monialibus Carmelitanis civitatis Biturigensis Te earum inopiæ misertam plurima liberalitate usam esse, ac amplam etiam quotannis pensionem, quoad vita suppetat, ipsis collaturam. Nos propterea plurima commendatione paternaque caritate tuam hanc pietatem prosequentes, nostris te beneficiis ornare cupimus, gratoque illarum erga te animo faventes annuentesque precibus, benefactricis earumdem monasterii titulum tibi conferimus cum omnibus eidem annexis spiritualibus ac temporalibus privilegiis, ac facultatem etiam damus in idem monasterium, cum pietati tuæ obsequi voles, ingrediendi. Quod utrumque ea ratione tibi largitos Nos esse intelligimus, qua ratione antea Sa. Mem. Benedictus XIV prædecessor noster alteri dilectæ filiæ idipsum ibidem ob easdem causas largitus fuit. Ac in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Tibi, dilecta in Christo filia, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO EMANUELI SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 januarii 1770.

Carissime, etc. È ben nota a Vostra Maestà l'Istruzione, che dalla S. M. di Benedetto XIV, con sua lettera particolare de 6 Gennajo

1742, fu a Lei comunicata, e rispettivamente trasmessa all' arcivescovo di Atene, che di quel tempo avea l'onore di risedere presso la Maestà Vostra col carattere di ministro apostolico, acciocchè riportatone il convenevole assenso da Lei, la distribuisse agli Ordinari di cotesti suoi Stati, ai quali, siccome ai suoi regi tribunali, doveva poi servire di norma nei casi in essa contemplati.

Noti sono altrettanto a V. M. gli officj che in appresso fece Ella pervenire nel suo real nome per mezzo del conte di Rivera suo ministro plenipotenziario all' immediato nostro antecessore Clemente XIII, di pur santa memoria, per riportarne rispetto all' immunità locale altre provvidenze, che col progresso del tempo sembrarono alla Maestà Vostra adattate a combinar meglio colla generica preservazione delle prerogative de' templi a Dio consacrati il pur essenziale bene della publica tranquillità in certi particolari casi degni di speciale attenzione.

Ora, giacchè la considerazione, nella quale il sopra lodato nostro predecessore presi aveva gli accennati rispettabili officj di Vostra Maestà per regolare quella deferenza ai medesimi, alla quale era disposto, non potè produrre il suo effetto rimasto in sospesso a cagione del passaggio di esso Pontifice agli eterni riposi, ed è toccata a Noi la cura di subentrare nelle di Lui provvide e religiose mire, ripigliatosi la negoziazione col predetto suo regio ministro, dopo la matura conveniente discussione abbiamo in oggi il contento di acchiudere a questa nostra lettera una nuova istruzione, pel di cui mezzo abilitiamo i vescovi dei di lei Dominj a prestarsi a quei temperamenti, che si desideravano dalla Maestà Vostra, ed abbiam potuto consentire.

Speriamo, che del tenore di essa Istruzione sia per rimaner paga Vostra Maestà e per ravvisarvi gli autentici documenti della paterna nostra dilezione sempre pronta a secondare le pie e plausibili sue intenzioni. Con l'appoggio di questa fondata speranza la preghiamo a compiacersi d'impiegare la regia sua autorità, acciocchè il prescritto nella suddetta Istruzione venga da suoi ministri e tribunali puntualmente osservato ed eseguito, e Noi ne facciamo trasmettere dal nostro segretario di Stato cardinal Pallavicini una copia simile a codesto monsig. Arcivescovo, acciocchè supplendo in ciò a quello, che fece già il sunnominato arcivescovo d'Atene, dopo d'essersi assicurato del gradimento della Maestà Vostra, la faccia tenere ai rispettivi Ordinari de' di Lei felicissimi Stati, e possa Egli pure uniformarvi il proprio contegno.

Se i nostri pensieri, e la compiacenza, colla quale ben volentieri ci prestiamo in questo caso, siccome ci presteremo in qualsivoglia altra opportuna congiuntura ai suoi reali desiderj, avranno presso di

Lei quel favorevole incontro, di cui ci lusinghiamo, piena sarà la soddisfazione nostra, siccome lo è quella che proviamo intanto nel pregare l'Altissimo a felicitare sempre più la Maestà Vostra, e la reale sua famiglia nell' atto di dare all' una ed all' altra con pienezza di paterno affetto l'apostolica benedizione. *Datum Romæ, etc., apud Sanctam Mariam Majorem, die* 28 *januarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LVI.

ISTRUZIONE DI SUA SANTITA

CLEMENTE XIV,

IN AGGIUNTA A QUELLA DELLA S. M. DI BENEDETTO XIV, SOPRA L'IMMUNITA LOCALE.

Romæ, 28 januarii 1770.

Per sopire le controversie altre volte eccitate fra la Santa Sede e la Maestà del *Re di Sardegna* sopra la giurisdizione, ed immunità ecclesiastica fu dalla s. m. di *Benedetto XIV*, mandata al signor cardinale Merlini, allora Nunzio, e Commissario apostolico in Torino, una istruzione da comunicarsi ai vescovi di quegli Stati, in cui non solo restavano appianate varie difficoltà insorte nell' intelligenza del progetto d'accommodamento fatto in tempo del pontificato della s. m. di *Benedetto XIII*, ma si davano ancora alcune altre regole appartenenti all' esercizio e buon governo di essa immunità e giurisdizione.

Piacque alla Maestà del *Re* in ogni sua parte il provvedimento, che fu tosto eseguito, e da' Magistrati laici con tutta esattezza e religione osservato; anzi in ciò che riguarda il punto dell' immunità locale, fu ancora ad istanza della Maestà Sua esteso con Breve della s. m. di *Clemente XIII*, de' 3 settembre 1763, alle altre Provincie in vigore degli ultimi trattati smembrate dallo Stato di Milano: ma siccome col tratto del tempo si erano intanto introdotti sul detto punto dell' immunità locale nuovi inconvenienti, e disordini che per la loro frequenza e gravità avevano mosso il zelo e la pietà del *Re* a chiederne l'opportuno riparo, non lasciò quindi lo stesso *Clemente XIII*, di secondare con egual zelo così pie e rette intenzioni, condescendendo di prestare con l' autorità sua tutta la mano per rimovere ogni abuso e disordine; e già sentito il parere di alcuni cardinali zelanti e pratici di questa materia, si stava trattando intorno al modo di farlo il più efficace e il più conforme alle regole della Chiesa, quando sul punto di concludere essendo sopraggiunta la morte improvisa del Santo Padre, restò l'affare interotto e sospeso.

In tale stato di cose pertanto, eletta la Santità di nostro signore papa *Clemente XIV*, e riassunto il trattato è venuta S. B. in determinazione a norma di quello che fu praticato da *Benedetto XIV*, e sulle traccie di quanto era già stato stabilito da *Clemente XIII*, suo predecessore, di aggiungere a detta istruzione benedettina altre poche dichiarazioni, e provvidenze adattate al bisogno ed alle circostanze particolari degli Stati di S. M. onde si tolga da una parte ai malviventi ogni motivo di delinquere, e abusarsi del luogo sacro senza ledere dall' altra il rispetto e la venerazione al medesimo dovuta.

Primo. E primieramente essendosi riconosciuto, che l'origine principale degli abusi è derivata, perchè negli atrj delle Chiese, detti volgarmente *piazzali*, si fanno lecito i malviventi di piantare a loro talento capanne, baracche ed altri ripari con uscio chiuso a forma di case, di cui poi si servono non tanto per aver ivi un sicuro e stabile ricovero, quanto per ricettarvi e nascondervi ogni specie di armi e di robe furtive, introdurvi donne di mal affare, assalir quelli che di là passano, e commettere impunemente altri eccessi con grave danno della quiete publica, e manifesta profanazione de' luoghi sacri, sarà cura dei vescovi e rettori delle chiese di fare subito da' detti atrj e luoghi rimuovere, qualor vi sieno e rigorosamente proibire, che più non si costruiscano simili baracche, capanne, e ripari, i quali oltre al dare ai rifugiati un ricovero, quanto indecente altrettanto dannoso, non può a meno che non guastino, e deturpino la maestà e decoro esterno de' sagrj tempj.

Secondo. Per lo stesso fine d'impedire l'abuso del confugio, fu in detta Istruzione data a' vescovi la facoltà di trasportare da uno in altro luogo immune quei refugiati, che per la prima volta si abusano del sacro asilo, per poi dichiararli decaduti da ogni benefizio d'immunità, caso che seguitassero la seconda volta ab abusarne : ma perchè anche ad effetto di ordinare questo semplice trasporto, alcuni vescovi han creduto, che sia necessario un processo formale per la verificazione dell' abuso, cosa che molte volte rende inutile il provvedimento preso nell' istruzione, a motivo delle difficoltà, che s' incontrano nel compilare detto processo, perciò trattandosi nel primo caso non di privare il rifugiato del beneficio dell' asilo, ma soltanto di trasportarlo da una Chiesa in un' altra, e così permutargli il confugio da un luogo in un' altro egualmente immune, si dichiara che a questo effetto non sarà altrimente bisogno di processo, ma basterà, che senza alcuna forma di giudizio per le circostanze rilevate o dal regio Fisco o da altri, oppure *ex informata conscientia* costì al vescovo dell' abuso, lasciando alla sua prudenza di ordinare il tras-

porto, dove sia minore il pericolo, e dove abbia il rifugiato minor comodo e facilità di commettere nuovi abusi.

Terzo. Bensì nel secondo caso, in cui si tratta di dichiarare decaduto il rifugiato dal beneficio dell' asilo, resta fermo, che il nuovo abuso debba provarsi nelle solite forme col processo; e siccome in detta Istruzione è stato ordinato che a coloro, che si rifugiano in luogo immune, i Vescovi ed altri Superiori Ecclesiastici facciano subito togliere le armi, con implorare, quando vi sia di bisogno il bracchio della curia secolare, così dovrà intendersi commesso abuso di confugio da chi riterrà o nasconderà nel luogo immune quelle armi, che nel rifugiarsi gli sarebbero state tolte, o che se gli sarebbero dovute tolgiere, come anche di chi riterrà o nasconderà chiavi false, e adulterine, grimaldelli o altri stromenti atti di loro natura a commettere furti; da chi terrà mano ai ladri con ricettare robe furtive o introdurrà nel luogo immune donne di mala vita, ed a chi insulterà ed offenderà i passeggieri, o uscito dal luogo immune avrà commesso qualche furto, o altri simili eccessi.

Quarto. Cadea dubbio, se fra i delitti, che in detta istruzione furono eccettuati dal beneficio dell asilo, dovessero intendervisi compresi alcuni, che non meno per la loro gravità, che per esser divenuti troppo frequenti e perniciosi meritano egualmente anche essi di eccettuarsi, perlochè a scanso di ogni difficoltà in vista del bisogno, e delle circostanze, che specialmente concorrono in quegli stati, si dichiara, che neppure goderanno per l'avvenire del beneficio dell' asilo.

I. Plagiari o siano quelli, che negli Stati di S. M. ingaggeranno soldati per portargli al servizio di altri principi esteri, come rei di delitto, che secondo le leggi regie viene considerato e punito come delitto di lesa maestà.

I. Falsarj che a danno del pubblico e del privato falsificheranno il sigillo, e le lettere o apostoliche o regie.

Quelli che in qualunque tempo commetteranno *armata manu* ruberie, purchè la cosa rubata ascenda alla somma, per cui secondo le leggi communi e municipali il reo meriti la pena della morte.

E coloro finalmente, che facendo violenza alla onestà delle donne, le rapiranno, purchè il ratto secondo le leggi della provincia sia punibile collà pena delle morte, e la donna rapita sia onesta, nè vi abbia prestato il suo consenso.

Quinto. Si è inoltre rilevato dalla nota esibita; che da qualche tempo in qua negli Stati di S. M. moltissimi omicidj, ed anche atroci si vedono commessi dai minori di 20 anni, ai quali la nota Bolla di *Clemente XII. In supremo justitiæ solio* estesa già ai medesimi stati

non toglie, ma anzi preserva il benefizio del sagro asilo; in vista pertanto della moltiplicità e frequenza di così enorme delitto, e sulla traccia di quello, che nei casi particolari ha praticato più volte la Santa Sede, qualora è stata ricercata dell' opportuno provvedimento, si accorderà che in avvenire per gli omicidj atroci anche il minore di anni 20 immune, e consegnarsi alla curia laica nel modo, e con le cautele che detta Bolla Clementina ha disposto per i maggiori di 20 anni; dichiarando, che per omicidio atroce s'intenderà il parricidio, il fratricidio, l'uxoricidio, il proditorio, il premeditato od appensato tanto se sia, quanto se non sia insidioso, o quello commesso per causa affatto irragionevole, e bestiale, come ancora l'omicidio, che sebben derivato dalla rissa, è stato però commesso dopo sei ore dal tempo della medesima rissa, o quando la rissa sia stata affettata e mendicata per causa come sopra affatto irragionevole e bestiale.

Sesto. E perchè possa speditamente venirsi a questa estrazione, e consegna senza dovere in ogni caso, che succeda, ricorrere alla Santa Sede per dimandare la deroga della immunità, si potrà liberamente procedere alle medesime estrazione, e consegna, sol che venga verificata e decisa non meno in prima che, occorrendo, in seconda istanza la surriferita qualità gravante dell' omicidio, e segua rispettiva consegna nelle forme prescritte dalla Istruzione Benedettina per le declaratorie di delitti eccettuati, e per le successive consegne alli §§ 11 e 13 i quali dovranno esattamente osservarsi; ma essendo conveniente che nel presente caso più speciale apparisca ancora in modo più individuo della espressa delegazione della Santa Sede si per la prima, che per la seconda istanza; perciò tanto il presente, quanto ogni futuro arcivescovo *pro tempore* di Torino dovranno chiedere al Sommo Pontifice e per se e per gli altri apostolici delegati la facoltà di procedere nelle forme suddette, che sarà data una volta per sempre ad ogni arcivescovo per se e per gli altri a seconda della suddetta istanza e petizione.

Settimo. Finalmente inerendo alla dichiarazione fatta nella costituzione di *Benedetto XIV Officii nostri ratio,* ed estendendola in ogni sua parte ai dominj della Maestà del *Re* di *Sardegna*, si dà facolta ai vescovi di poter estrarre dai luoghi immuni i rei di ferite riconosciute e giudicate da perito cone grave pericolo di vita, anche prima che succeda la morte dei feriti con la condizione, che se le ferite saranno casuali o fatte a giusta ed incolpata difesa, come pure se il ferito non venisse a morire nel termine delle leggi prefisso, debba l'autore delle ferite restituirsi alla Chiesa.

LVII.

VENERABILI FRATRI

EMMERICO JOSEPHO, ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO

ET EPISCOPO WORMATIENSI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 februarii 1770.

Venerabilis, etc. Apostolici ministerii, quod Deo volente sustinemus, a Nobis postulat sollicitudo, ut paterna caritate, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, eorumdem etiam temporalium commodorum rationem tum maxime habeamus, cum majori alacritate ad spiritualia consequenda possint excitari. Quapropter propensi semper sumus ad illa Venerabilium Fratrum excipienda postulata, quæ, cum sint ad divinum cultum animarumque salutem conversa, in hoc potissimum versantur, ut opportuniora ad eum finem, sublatis etiam, si qua forte sint, periculis, adjumenta ac præsidia per apostolicæ Sedis gratiam comparentur. Ex quo facile intelligere potes, Venerabilis Frater, quo animo exceperimus tuas litteras, quæ et eximiis erga Sanctam hanc Sedem devotionis et observantiæ significationibus sunt refertæ, et pastoralem curam, sollicitudinem, ac vigilantiam tuam maxime præseferunt; in iis enim diligenter exponis non mediocria, quæ a dierum festorum numero in commissum tibi populum emanant incommoda. Capere exinde grave damnum fideles cum acatholicis commixtos ais, atque in id magis etiam eos incidere, qui opera ac labore in colendis præsertim agris vitam ægre sustentant; distantia enim plerumque loca sunt, ad quæ, ut intersint sacro, accedere necesse est, asperæ ac difficiles viæ, ac vix ferenda per magnam anni partem instabilis ac sævi aeris inclementia. Quare hujusmodi permotus istius gregis incommodis postulas a Nobis (quod alii etiam nonnulli Germaniæ episcopi similibus inducti causis fecerunt) ut commisso tibi populo opportuna dierum festorum imminutione ex apostolica benignitate consulamus. Nos itaque postulationibus tuis rationumque æquitate permoti et commissi tibi gregis utilitatibus, absque æternæ salutis suæ dispendio consulere volentes, Fraternitati tuæ per præsentes litteras committimus, ut habita rerum, quas exposuisti, ratione, omnibus utriusque sexus fidelibus *in diœcesi tua existentibus* exceptis omnibus diebus dominicis, natalis D. N. J. C. et sequente S. Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis et sequente, Ascensionis,

Pentecostes et sequente, sanctissimæ Trinitatis; itidem diebus Corporis Christi, S. Josephi, S. Joannis Baptistæ, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et Commemorationis omnium Sanctorum : præterea quinque dicatis beatæ Virginis Mariæ, scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, necnon sancti patroni aut tutelaris cujuslibet loci, pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, in quibus integra maneat præcepti obligatio; in reliquis diebus festis sive per hanc Sanctam Sedem, sive per diœcesanas constitutiones, sive quacunque alia de causa præceptis tum servilium operum exercitium permittere, tum ab onere audiendi sacrum dispensare, si, et quatenus necessarium duxeris (super quibus conscientiam tuam oneramus) auctoritate apostolica possis et valeas. Quia tamen vehementer optamus, ut ii, qui hoc paternæ benignitatis Nostræ beneficium sunt consequuturi, aliquo studeant externo pietatis opere compensare quidquid ita fuerit ab externa itidem celebritate imminutum, committimus idcirco Fraternitati tuæ, ut iisdem vel aliquot preces, vel aliæ quodpiam externum pium exercitium injungas, cui vacare debeant iis diebus, quibus imminuta festa recurrunt. Ceterum per hanc festorum dierum imminutionem non intendimus aliquid innovari circa ritum et servitium chori, circa celebrationem divinorum officiorum, et circa obligationem jejunii in feriis quæ præcedunt festa eorum Sanctorum, qui peculiari hac cultus prærogativa potiuntur. Quod si alicubi opportunum duxeris ad fovendam pietatem et devotionem Fidelium externam solemnitatem, sive festum, quod fori nuncupatur, ad subsequentem, vel alium dominicum diem transferre, uti per te fiat, libenter annuimus. Cupimus autem ac in Domino magnopere hortamur, ut Fraternitas tua populos tibi commissos, quam sæpissime edocendos curet, quæ ad justam legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore, quaque humilitate spiritus adstare sanctissimo Altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, et Christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies christifidelium corda graventur crapula et ebrietate, et secularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis ut profana quæque, ludicra, et minus religiosa a publicis locis amoveantur; contra vero in conspectu illa sint, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem pietatemque plurimum prodesse possint. Quæ quidem cuncta a perspecta pastorali vigilantia tua Nobis maxime pollicentes in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die 7 februarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

Eodem fere exemplo mutatis mutandis Electori Trevirensi cardinali de Hutten, Episcopo Bambergensi et Herbipolensi, Electori Coloniensi, Episcopo Monasteriensi, Episcopo et abbati Fuldensi.

LVIII.

VENERABILI FRATRI

ADAMO FRIDERICO,

EPISCOPO BAMBERGENSI ET HERBIPOLENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 februarii 1770.

Venerabilis, etc. Dilectus filius Carolus Emmanuel de Liitgendorff per suas ad Nos datas litteras exposuit Nobis jam septimum ac decimum esse annum, ex quo divino lumine collustratus ab heterodoxis ad catholicos transierit, constanterque in ver recepta fide, nulla detrimentorum, quæ exinde in suam rem familiarem emanarunt, habita ratione, non solum ipse perstiterit, sed in eadem diligentissime plurimos, quos suscepit, liberos instituerit et educarit. Maximos porro fructus se suamque familiam semper percepisse scribit ex suorum Principum benignitate, ac præsertim Fraternitatis tuæ, quæ unum ex ejus filiis in inopum Nobilium collegium receperit, ac pro tua beneficentia brevi fore sperat, ut recipiat et alterum. Nihilo tamen minus a Nobis vehementer petit, ut eumdem tibi, omnemque eam familiam paterna caritate commendemus, tuamque in eum voluntatem, etsi valde propensam ac benignam, propensiorem tamen benignioremque faciamus. Vides, Venerabilis Frater, Nos minime potuisse hæc eidem officia denegare, præsertim apud te, qui cum ipsum optime noveris, tuorum beneficiorum expertem esse non sinis. Gratissimum itaque Nobis feceris, addas, ex quo intelligere possit et sedulam fuisse, ac ex paterna voluntate profectam commendationem Nostram, et eamdem apud te plurimum ponderis habuisse, præcipue vero illam esse tuæ in eum beneficentiæ causam percipiat, quod quam antea Christo Domino fidem dederit, eamdem caste pieque servare studeat, ac in familiam suam liberosque transmittat. Hæc sunt, Venerabilis Frater, quæ dum a te poscimus, cupimus ut exinde etiam cognoscas, qua tuæ in Nos pietatis ac observantiæ fiducia simus, quamque eamdem cum singulari conjungamus pontificia caritate, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 10 *februarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LIX.

VENERABILI FRATRI

MAXIMILIANO FRIDERICO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

ET EPISCOPO MONASTERIENSI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 februarii 1770.

Venerabilis, etc. Libenter intelleximus tum ex litteris Fraternitatis tuæ, cum ex dilecto filio canonico Friderico barone de Droste, quem ad nos idcirco allegasti, præclarum studium tuum, quo majorem in modum inflammaris, ut in tua Monasteriensi civitate (cum severiori cleri disciplina bonarum artium ac doctrinarum institutio quod quidem vicinarum diœcesium ac totius etiam Westphaliæ utilitati futurum sit) constituatur ac efflorescat. Nos sane animum hunc tuum dignasque tua virtute curas ea laude ac prædicatione prosequimur, ut vehementer ad tantum provehendum ac perficiendum opus nostras etiam apostolicæ auctoritatis partes conferre cupiamus. Sed eodem tempore cum potiores ad id opportunioresque rationes eligi debere videamus, necessario interponendam moram esse aliquam ducimus, quo quædam, de quibus agitur, adhuc magis declarari Nobis, ac perspectiora esse atque exploratiora possint. Ea cujusmodi sint cognosces ex Venerabili Fratre archiepiscopo Iconii nostro et apostolicæ Sedis Nuntio, ad quem de hoc ipso diligenter perscribi, ac mandari jussimus. Interea illud tibi velimus maxime persuadeas propensiorem quam sit alacrioremque esse non posse pontificiam voluntatem nostram ad ea omnia sibi præstanda apostolicæ auctoritatis subsidia, quæ et sacrorum Canonum regulis consentiant, et Ecclesiæ præsertim sint profutura. Hanc animi nostri sententiam suo tibi testimonio confirmabit idem canonicus de Droste, quem ad Nos accedentem ut singulari benevolentia excepimus, et suorum meritorum, et tua aliorumque causa, quorum ad Nos commendationes detulit, ita discedenti a Nobis, illud in mandatis præcipue dedimus, ut omnia tibi studia erga te Nostra diligentissime perferat, eximiamque declaret pontificiam, qua te complectimur, caritatem. In cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *februarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LX.

VENERABILI FRATRI

WILHELMO ANTONIO EPISCOPO PADERBONENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 februarii 1770.

Venerabilis, etc. Quo animo exceperimus Venerabilis Fratris Electoris Coloniensis pro Monasteriensi civitate postulata, ac tua etiam, quæ iisdem conjungis, studia facile perspicere vel ex eo potes, quod quæ a Nobis petitis, ad Ecclesiasticam disciplinam constituendam vicinarumque istarum diœcesium utilitatem conductura esse videantur. Quare et vehementer commendamus vestras hujusmodi curas, et paratissimi sumus Nostras etiam apostolicæ auctoritatis partes interponere. Quod quidem tum perficiemus, cum perspectiora Nobis nonnulla facta fuerint, quæ ad eam rem plane percipi a Nobis necesse esse judicamus. Mandavimus itaque Venerabili Fratri archiepiscopo Iconii nostro et apostolicæ Sedis nuntio, ut ea ipsa cum Venerabili Fratre Electore Coloniensi communicet, accurate cognoscat, ac ad Nos statim pro sua fide ac diligentia perscribat. Cetera ex ipso dilecto filio canonico barone de Droste intelliges, quam scilicet in eumdem ad Nos accedentem et suorum meritorum et tuæ aliorumque commendationes causa propensi fuerimus, et qua paterna benignitate isthuc revertentem prosequamur; præterea et quam luculenta voluntate simus erga vos vestraque omnia, quæ quidem eo studio complectimur, quo maximo desiderio de Nobis vestro satisfaciamus. Ac in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *februarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXI.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

LUDOVICO PHILIPPO DUCI AURELIANENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 februarii 1770.

Dilecte, etc. Acceptissimum Nobis fuit officium Nobilitatis tuæ, quo, dum certiores Nos facis de constitutis ex regia voluntate nuptiis

inter dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Ludovicam filiam per carnem tuam, ac dilectum pariter filium nobilem virum Ludovicum ducem Borbonium, declaras tuam paterni nostri in te tuosque studii ac pietatis fiduciam, unaque prætefers plenam filialis in Nos observantiæ ac devotionis voluntatem. Tanto igitur libentius in tuæ lætitiæ partem accedimus, quodque carissimus in Christo filius noster Ludovicus Francorum rex christianissimus sanxit conjugium, ut lætum fortunatumque vobis, vestrisque liberis sit, Deum Opt. Max. obsecramus, ab eoque vehementer petimus, ut paterna auspicia nostra, quibus eas prosequimur nuptias, sua ipse benignitate rata faxit, ac in singularis pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, universæque Domui vestræ, ac præstantissimis sponsis intimo paterni animi sensu impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 28 *februarii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXII.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO PETRO ARCHIEPISCOPO PRAGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 martii 1770.

Venerabilis, etc. Retulit ad Nos dilectus filius noster Ferdinandus tituli Sanctæ-Cæciliæ presbyter S. R. E. cardinalis de Rubeis Congregationis concilii præfectus ea, quæ in epistola tua istius tibi commissæ Ecclesiæ statum accurate describente continentur. Ex iis plurimam in te pastoralem vigilantiam, industriam ac fidem perlibenter agnovimus, meritisque laudibus labores tuos prosequuti sumus. Etsi ille tibi singillatim ad omnia, quæ opus erunt, ejusdem Congregationis nomine pro suo munere suoque more diligenter rescribet, Nos tamen iis cognitis, quæ de comitatus Glacensis visitatione per tuum vicarium generalem et suffraganeum peracta significas, facere minime possumus, quin peculiares ad te demus perceptæ exinde jucunditatis testes litteras. Dum id igitur ex animi sensu luculenter peragimus, ac maximam tuæ lætitiæ partem ad Nos permanasse declaramus, mirum in modum gratulamur, Venerabilis Frater, quod non solum copia tibi facta fuerit comitatus illius tuæ episcopali curæ subjecti per generalem vicarium, quod jamdiu exoptabas, libere lustrandi, sed plurima etiam præstita sint commoda atque auxilia, ac ipsius Principis auctoritate ac benevolentia ita fulta ac munita fuerit tota illa visitatio,

ut incredibiles extiterint in divino exercendo cultu, in curanda animarum incolumitate, ac in omnigenis pietatis et religionis muneribus peragendis opportunitates ac fructus. Cum tam bene igitur utiliterque tua cesserit pastoralis in eo posita sollicitudo, hortamur te, Venerabilis Frater, tibique etsi sponte incitato, tamen a Nobis etiam stimulos addimus omnem des operam, ut gratum te sibi esse pro tanto beneficio Princeps ille sentiat, tuaque in eum ita cumules officia, ut majorem semper in te tuosque ejusdem benignitatem, quod catholicæ religionis incolumitati ac incremento futurum sit, excitare ac experiri possis. Id gratissimum Nobis feceris, ac amplificaveris eam, qua erga te pro tuis meritis sumus, existimationem et gratiam, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die 7 martii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXIII.

DILECTO FILIO

EMMANUELI PINTO,

HOSPITALIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGNO MAGISTRO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 martii 1770.

Dilecte, etc. Quidam ad Nos rumor detulit opinari isthuc nonnullos dilectum filium Jacobum Laurum de Breteuil oratorem apud Nos vestrum minus, quam vos velletis, in fungendo ministerio vobis satisfacere. Nos quidem induci minime possumus, ut hoc te vel suspicari credamus; magnopere enim miraremur ullis tibi rationum conjecturis id ipsum vel leviter unquam suaderi potuisse, cum optime noveris, nihil eorum, quæ a Nobis hactenus per eumdem oratorem tuum postulaveris, te non esse facillime consequutum; quod sane etiamsi et tuorum postulatorum æquitati, et nostræ erga te tuumque inclitum ordinem benevolentiæ referas, dubitare tamen non potes, quin quod in agendis negotiis valet plurimum, maxima illius diligentia, prudentia, ac fides, et singulare erga vos studium cum perspecta jamdiu in apostolicam sedem observantia conjunctum intercesserit. Recte igitur utiliterque ab ipso geri ministerium vestrum res ipsa persuadere vos debet, eumdemque idcirco valde Nobis satisfacere, ac probatum etiam atque acceptum esse. Vehementer itaque cupimus, ut eæ si quæ sunt isthic de illo suspiciones aboleantur; quodque id magis

declarari Nobis possit, dandum esse a te, aliquod egregiæ tuæ gratæque in eum voluntatis testimonium existimes, quod profecto luculenter facies, si eundem in hujus apud Nos legationis munere confirmaveris, in qua præter cæteras fidei prudentiæ ac integritatis dotes diuturnum habet rerum tractandarum usum, et præterea si ipsum, nova aliqua commenda in Prioratibus Franciæ, Campaniæ, Provinciæ et Alverniæ pro proximo quinquennio anni 1771 auxeris, cum hac liberalitate usus antea sis in eos præsertim, qui vestra apud hanc apostolicam Sedem legatione functi sunt, cumque ipsius merita longa jam splendidaque sui muneris perfunctione confirmata id a te tamquam præmium jure postulare videantur. Ex hoc etiam habes, dilecte fili, non mediocre documentum, quo studio de iis omnibus simus, quæ ad vestrum Ordinem pertinent, ac in luculentius itidem nostræ erga te caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuoque inclito universi ordine peramanter impertimur. *Datum, etc., die* 9 *martii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXIV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO

DUCI BAVARIÆ, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 martii 1770.

Dilectissime, etc. Allatus ad Nos fuit per dilectum filium Joannem Franciscum Catena tuorum hic negotiorum gestorem supplex Monialis Paumanin libellus, quo valde de suo recenti statu sollicita (cum positam se extra sui monasterii clausuram videret, nec religiosis illius instituti legibus subesse posse, cui se irrevocabili voto obstrinxerat) a Nobis enixe petiit, ut facultatem sibi benigne concederemus in eo imposterum vitam ducendi monasterio, in quod nuper deducta et collocata jam fuit. Nos etsi cognosceremus, quam grave hujusmodi postulatum sit, et nequaquam inanem ac negligendam esse hanc ipsius conscientiæ anxietatem, quæ nostra revera ope indigeret, tamen animadvertentes te ipsum præsertim id cupere, ut apostolica scilicet auctoritate sanaretur illa ex uno in alterum monasterium ejusdem monialis translatio, tanto magis permoti sumus ad eam, quæ postulabatur, a Nobis largiendam gratiam, quæ proinde ut statim expediretur, diligenter mandavimus. Id Nos quidem tua potissimum

causa perlibenter fecimus. Verum dum totam hanc rem expenderemus, multa quæ sub tuo nomine atque auctoritate gesta feruntur induci nullo modo potuimus, ut a te, dilectissime in Christo fili noster, facta esse arbitraremur. Probe enim pietatem tuam novimus, ejusque plurima habemus indicia, ex quo te diligere cœpimus, tuoque invicem amore perfrui. Libentissime siquidem nunc recordamur illius, quæ antea non semel intercessit mutuorum inter Nos officiorum conjunctionis; nam ille ipse amor in te noster, cum ad hanc B. Petri Cathedram evecti in universos Christifideles paternum animum suscepimus, mirifice crevit, ac pristina illa de virtute tua fiducia majorem in modum est amplificata. Summa proinde cupiditate incendimur, ut aliqua Nobis sese offerat opportunitas ad voluntatem hanc erga te nostram singularibus quibusque pontificiæ caritatis testimoniis revera comprobandam, neque dubium esse Nobis potest, quin tu peculiari genere filialis observantiæ atque amoris Nobis sis responsurus. Id ipsum tamen ut persuasum Nobis maxime esse possit, a te summo opere ac studio petimus, dilectissime in Christo fili noster, Teque etiam atque etiam obsecramus, ut quæ grata ac jucunda de te Nobis afferri cupimus, eadem ipse cumulare plurima erga Nos voluntate velis, ac majoribus semper animum hunc in Nos tuum pietatis monumentis confirmare. Et quid uberius in hoc genere ac luculentius facere hoc tempore poteris, quam si omnes in florentissima tua Ditione, qui in sortem Domini vocati sunt, favore ac patrocinio tuo foveas, ac præsertim qui animarum curam gerunt Venerabiles Fratres Episcopos ea prosequaris benevolentia, ea gratia, quæ ad te referunt, excipias, ut jura sua, suæque Ecclesiæ res omnes tibi commendatissimas esse cognoscentes commissum sibi pastorale munus libere alacriterque possint ad Christi gregis salutem ac utilitatem exercere? Quod quidem non minus ad tui nominis laudem ac gloriam, quam ad imperii auctoritatem, et ad publicam populi tibi subjecti tranquillitatem conducturum esse facile perspicere pro tua sapientia potes. Id a te ea animi contentione ac sollicitudine flagitamus, qua maxima possumus, ac certissime Nobis pollicemur fore, ut ad Nos isthinc optatissimis nunciis illa perferantur, ex quibus eximie lætari Nos, ac Nobismetipsis placere quodammodo possimus, quod singularem in te posuerimus paternum amorem nostrum, ac pristinam illam plurima de tua pietate fiduciam exinde confirmari in Nobis atque augeri videamus. Demum apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, intimo nostri cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 10 *martii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 martii 1770.

Carissime, etc. Nunquam fortasse incidere quidquam poterit, de quo acriore animi nostri studio ad te scribamus, neque rem ullam putamus fore, qua proposita magis ipse pro tua sapientia commoveri ac excitari debeas, proinde etsi minime ambigeremus, quin peculiarem aliquam nostram Sanctæque Sedis causam pro pietate in Nos tua facile, si necesse foret, suscepturus esse, tanto tamen magis id a te factum iri confidimus, cum de communi quadam maxima gravissimaque re, quæque tua etiam vehementer intersit, tecum nunc acturi simus. Deferimus ad te, Carissime in Christo fili noster, Dei ipsius ac religionis causam, quam jamdiu per impios homines novis quotidie errorum machinis impeti atque oppugnari incredibili cum dolore intuemur. Quadam inter se conspiratione plane conjurasse hoc tempore illi videntur, ut nihil adeo sanctum ac divinum sit, quod intactum esse sinant, quodque per summam audaciam temerare et convellere non conentur. Nova in dies impune proferunt suæ non jam doctrinæ, sed insaniæ monumenta, quibus initia ipsa morum, religionis fundamenta, unaque humanitatis ac societatis jura perturbant, ac dicendi quodam lenocinio usi facile in simplices præsertim animos teterrimam perniciem inferunt, et contagionem propagant. Quam quidem miserrimi hujus seculi licentiam adeo progressam esse mirari satis ipsi non possumus; atque idcirco nihil Nobis potius agendum existimamus, quam ut omni opera, consilio, atque auctoritate ejusdem compescendæ rationem aliquam ineamus. Ac dum omnes illuc curas intendimus, publiceque execramur, ac iterata proscriptione, quantum in Nobis est, extorquere e legentium manibus quidquid ex illa impietatis officina prodit, et procul eliminare conamur, aliorum etiam, qui usquam sunt venerabilium fratrum episcoporum studia ac subsidia omnia Nobiscum conjungi cupimus, ut unanimi pro fide consensu roborati ad hoc tantum bellum profligandum omnes insurgamus. Atque hoc ipso tempore, quo ad laborem hunc nostrum quamplurium operam accedere maxime necesse est, peropportune accidit, ut tui florentissimi atque amplissimi regni præsides Parisios ad celebranda pro suis publicis rebus Gallicani cleri comitia convenerint. Minime

Nos quidem latet eos ipsos, quorum in peragendo pastorali ministerio sollicitudinem ac fidem, quorum instructam Dei zelo scientiam optime novimus, nunc de hac rerum summa consultaturos in medium esse, ac strenuam pro virili sua quemque inter se collaturos operam et laborem, ut aliquid in commune afferant, quo prorumpentem ac grassantem undique illam pestem divina ope tutius aggrediantur ac repellant. Iisdem pro Christi fide, pro sanctitate, pro Deo laboraturis spiritum consilii ac fortitudinis adfuturum a Domino vehementer confidimus. Proinde nullis nostræ hortationis stimulis eosdem pro suo munere sua sponte concitata indigere lætamur. Tuo vero auxilio, si quid illi proficere volent, magnopere indigebunt. Sed et potissimam post Deum suorum incœptorum spem e perspectissima animi tui religione repetent, Carissime in Christo fili noster, ac in regio præsidio tuo præcipue conquiescent. In hoc etiam imitaturi Nos erunt, qui has fiduciæ nostræ plenissimas damus ad te litteras, teque quanta maxime possumus apostolici animi contentione obsecramus, ut eosdem tibi quam commendatissimos esse velis, ut religionis causam pertractantium zelum tuo nunc maxime in Deum intento studio secundes, ut incæpta et consilia omnia regia voluntate tua sustentes ac fulcias. Facile tum suum illi animum in Deum, in commissas sibi oves, in patriam etiam, in te, regnumque tuum inflammatum comprobabunt. Cum enim pietate ac religione publicæ res potissimum constituantur et vigeant, Deoque obsequentes populi in regum auctoritate perfacile contineantur, vides, Carissime in Christo fili noster, eorum hujus modi curas ac sollicitudines in tuæ potestatis vim, in regni tui tranquillitatem esse præcipue redundaturas. Cum igitur Dei, ac religionis causam suscipies, tibi etiam tuoque regno magnopere consules, reque ipsa animadvertes non tam ullis opum armorumque præsidiis, quam legitimo Dei cultu revelatæque doctrinæ stabilitate humanam societatem salvam atque incolumem retineri. Quid, quod et divinam in te tuosque benignitatem maxime demereberis, si fidei pietatisque integritatem publice præstes, et si qua regnandi arte Majores tui Christianissimos se esse semper exhibuerunt, eadem tu præcellentem et tui ipsius, et illorum gloriam illustrioribus semper religionis tuæ monumentis tuearis? Gravissima hæc pontificia animi nostri sollicitudo postularet a Nobis, Carissime in Christo fili noster, ut pluribus etiam tecum ageremus hanc non minus sanctissimæ fidei nostræ, quam regni vestri, et publicæ tranquillitatis causam, nisi supervacuum futurum id esse Nobis certissime persuaderet nostra christianæ veræque regiæ tuæ probitatis opinio. Dum itaque a Majestate tua, quod pari studio quam jure petimus, expectamus, omnipotentem Deum,

per quem regnas, pro tua regiorumque liberorum tuorum incolumitate deprecantes apostolicam benedictionem ejusdem gratiæ ac veræ felicitatis auspicem Regiæ Majestati tuæ intimo paterni animi sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *martii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXVI.

VENERABILI FRATRI

IGNATIO EPISCOPO VILNENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 martii 1770.

Venerabilis, etc. Dilectæ in Christo filiæ Angela Patenchinowa et quatuor ejusdem sociæ, post visitata B. B. Apostolorum Petri et Pauli limina, ad quæ illas plurima pietas per tam longinquum iter deduxerat, dum reditum nunc parant, postulant a Nobis, ut commendatitias sibi ad te, Venerabilis Frater, in cujus diœcesi degunt, demus litteras, quibus tuam caritatem ad easdem et humaniter excipiendas, et in eo vitæ genere, quod pie sancteque instituere cupiunt, adjuvandas excitemus. Illuc enim cogitationes suas omnes atque operam intendunt, ut una congregatæ, ac sub legitima suorum superiorum auctoritate constitutæ. Domino inservire possint, eique præcipue vacare curæ, quam ad animarum salutem, ac Dei gloriam maxime conducturam esse putant, ut scilicet colligant, custodiant atque instruant puellas et mulieres omnes, quæ a judaismo aut paganismo ad Christianam fidem convertuntur, vel ejuratis hæreticarum sectarum erroribus ad catholicæ Ecclesiæ septa veniunt, quæ si cœlibem una secum vitam, te consentiente ac probante, ducere volent, iisdem pariter teneantur legum institutis, quibus Jesu Christo in spiritu veritatis ac sanctitatis, conjuncto simul studio famulentur. Nos itaque pro paterna nostra pietate in eos omnes vehementer propensi, qui filiali ad Nos fiducia confugiunt, ac præcipue animati erga inclitam nationem vestram, quæ præclara semper catholicæ religionis argumenta præsefert, ac apostolicam hanc Sedem singularibus devotionis officiis observat, cum Nobis mulieres illæ modestiam pietatemque suam comprobassent, easdem passi non sumus hic commorantes aliquo pontificiæ caritatis fructu carere, et nunc ad te redeuntes prosequi volumus hoc nostrarum litterarum testimonio, ex quo intelligas, Venerabilis Frater, easdem tibi, prout postularunt a Nobis vehementer commendari, ut

nostra etiam causa paterno animo exceptas esse per te atque adjutas velis, et, si utile ac opportunum quod suscipere cupiunt vivendi genus, tibi pro tua prudentia visum fuerit, idem promoveas, atque ad exitum consilio tuo atque auctoritate perducas. Sin obstare aliquid tam piæ earum voluntati videris, ac nihil in eo quod cupiunt, agendum esse censueris, ut ita ipsarum vitæ rerumque rationes tua ope atque opera constituas, ut suscipere tam longa, ac tam imbecillis viribus periculosa itinera in animum amplius non inducant. Hæc ad te, Venerabilis Frater, ita perscribimus, ut magnopere confidamus te pro prudentia tua plurimoque animarum zelo nulli defuturum esse opportunitati, quæ ad gloriæ Dei sanctæque fidei nostræ incrementum faciat, ac nostra etiam hujusmodi studia tuis in præfatas dilectas in Christo filias collatis beneficiis esse prosequuturum. Id Nobis erit a te gratissimum, confirmabitque eam, quam de pastorali virtute tua gerimus opinionem, cujus cum pari pontificia benevolentia conjunctæ argumentum etiam habere possis ex apostolica benedictione, quam tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *martii* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXVII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMITI DE ŒYRAS,

REGIS FIDELISSIMI SECRETARIO STATUS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 aprilis 1770.

Dilecte, etc. Ex duabus nostris in forma Brevis litteris, quas isthuc transmittimus, venerabilem fratrem Joannem archiepiscopum Eborensem esse a Nobis in generalem istius regni Inquisitorem constitutum, et confirmatum, eidemque necessarias ipsique muneri opportunas impertitas facultates, intelliges. Quod quam libenter alacriterque fecerimus causa præsertim carissimi in Christo filii nostri Josephi Portugalliæ, et Algarbiorum regis fidelissimi suo eundem judicio exornantis, Nobisque proinde proponentis, ac præsentantis potes ex aliarum nostrarum exemplo cognoscere, quas ad regem fidelissimum damus, quasque hac ipsa opportunitate paternæ nostræ in eum cumulatissimæ voluntatis testes adjungimus. Id nunc ad te etiam perscribere voluimus, dilecte fili nobilis vir, nostrumque plane perspectum tibi animum uberius adhuc confirmare, ut quæ mutua, te interprete, inita est in-

ter Nos, ac eundem carissimum in Christo filium nostrum singularis gratiæ amoris pietatisque conjunctio, eadem magis in dies consilio, studio atque opera tua provehatur. Quo præclaro sane officio tuo tuæque pietati maxime consentaneo mirum in modum et hanc sanctam sedem demereri, et paternam nostram plurimam in te, atque eximiam benevolentiam amplificare perges, in cujus certissimum pignus tibi, dilecte fili nobilis vir, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 5 *aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 aprilis 1770.

Carissime, etc. Regia Majestas Tua cum pro singulari sua sapientia Venerabilis Fratris Joannis archiepiscopi Eborensis animum iis exornari virtutibus videret, quæ opportunæ maxime essent ad sustinendum generalis in isto regno Inquisitoris munus, se vehementer cupere significavit Nobis, ut illum ad vacantem nunc eam provinciam auctoritate apostolica promoveremus, et confirmaremus. Nos itaque pro eximia, qua in te sumus caritate, quanta maxima possumus pontificiæ voluntatis propensione studia tua prosequentes, carissime in Christo fili noster, ejusdem Venerabilis Fratris a te Nobis propositi ac præsentati statim eam, quam postulasti, rationem habendam esse duximus, quemadmodum ex perfecta jam re ex duobus scilicet, quæ nunc una transmittimus, Brevibus cognosces, in quorum altero ipsum in generalem regni tui Inquisitorem constituimus, declaramus, et confirmamus, in altero vero eas omnes, quæ ad exercendum id munus requiruntur, facultates impertimur. Ex hac nostra gratificandi, ac obsequendi tibi alacritate satis etiam perspicere potes, carissime in Christo fili noster, quam mirifice in tui amorem inflammemur, delectemurque fiducia in Nos tua, ac novas quotidie opportunitates dari Nobis mutuæ hujusmodi inter Nos confirmandæ pietatis exoptemus. Fac igitur, ut, quod vehementer cupimus, maxime persuasum esse Regiæ Majestati Tuæ intelligamus, uberrima semper constitura tibi, et cumulatissima quæque paterni singularis in te animi nostri testimonia. Quam luculentissimam voluntatem ut adhuc testatiorem

nunc tibi faciamus, enixe petimus a Deo Opt. Max. ac precamur, ut suam ipse cœlestis Benedictionis gratiam largiri semper velit Regiæ Majestati tuæ, regiisque tuis liberis, tuæque carissimæ Nobis, ac religiosissimæ domui, regnoque universo, et devinctissimis tibi Populis; ejusdemque auspicem apostolicam Benedictionem Nos tibi intimo nostri cordis sensu, carissime in Christo fili noster, tuisque omnibus, amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 5 *aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 aprilis 1770.

Carissime, etc. Regia plane, teque digna, tuæque eximiæ pietati par liberalitas est illa, qua dilectis filiis religiosis viris seraphicam vitæ regulam profitentibus, qui nuncupantur Excalceati, domum ecclesiamque in Aranvezio magnifice ædificari, omnique præsertim sacra supellectile exornari tuo ære, Carissime in Christo fili noster, voluisti dotatam præterea utramque ita constituto a te censu esse vis, ut perpetui suppetere reditus possint tam ad alendos quotquot habitaturi ibidem erunt, religiosos viros, quam ad domus Dei decorem retinendum, tuendamque Divini cultus pie ac splendide peragendi rationem. Verum cum magis id regiæ pietati ac magnificentiæ tuæ, quam sacris seraphicæ paupertatis institutis consentire videatur, pro animi tui religione postulas a Nobis, ut arctissimum illud ejusmodi legum vinculum apostolica auctoritate relaxemus. Quid jucundius unquam Nobis esse potest, quam in eo Regiæ Majestati tuæ morem gerere, in quo hujusmodi egregiæ liberalitatis, ac in B. Franciscum, quo Nos etiam parente gloriamur, devotionis tuæ extare monumenta possint illustria? Libentissime itaque viros religiosos Excalceatos, qui in illa adeo instructa, victumque suppeditatura Domo degent, illique tam ornatæ inservient Ecclesiæ, ab omni conscientiæ anxietate exemptos esse volumus, ac pontificia dispensatione solvimus ab ea regulæ severitate, qua cautum est, ut omni expertes temporalium bonorum possessione, ac ostiatim quotidianum victum quærentes et emendicantes sanctissimam illam paupertatis hæreditatem a seraphico institutore sibi relictam diligentissime tueantur. Dum illis igitur, ut hoc tuæ munificentissimæ pietatis fructu semper uti possint

potestatem facimus, eosdem magnopere hortamus, ut beati patris spiritum semper retineant tam religiosa vivendi humilitate et divini cultus studio, quam illarum precationum assiduitate, quibus gratos se tibi præsertim exhibeant, te scilicet tuamque regiam Domum universumque regnum omnipotenti Deo semper commendantes. Hoc modo poterunt ipsi et suo erga te muneris, et Nostro de tua tuique catholici regni felicitate desiderio præclare satisfacere; neque enim quidquam optamus magis, Carissime in Christo fili noster, quam ut omnium cœlestium Benedictionum copia semper affluas. Hanc te magis in dies promeriturum tuo pro divina gloria Ecclesiæque utilitate promovenda studio minime dubitamus. Quam de te maxime capimus ex perspectis regiis virtutibus tuis fiduciam, eamque cum singularis erga te paternæ pietatis constantia ita conjungimus, ut cupidissimi simus ejusdem novis semper ac uberioribus amoris nostri indiciis tibi comprobandæ. Ac in hujus pontificiæ voluntatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, Carissime in Christo fili noster, totique regiæ Familiæ tuæ intimo cordis nostri sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 5 *aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXX.

DILECTO FILIO

EMMANUELI PINTO,

HOSPITALIS S. JOANNIS HIEROSOLYMITANI MAGNO MAGISTRO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 aprilis 1770.

Dilecte, etc. Dolorem a te perceptum ob ea, quæ isthic immoderate gesta esse significas, offensionesque inter vos omnes, ac perturbatum rerum vestrarum statum permoleste, ut par erat, accepimus, dilecte fili, pro nostro paternæ caritatis erga te tuumque ordinem studio, quem suis niti pristinis legibus, rectaque servandorum institutorum ratione vigere vehementer optamus. Majorem itaque in modum excitati sumus, ut opera, consilio, atque auctoritate nostra ejusmodi dolori tuo, vestrisque occurramus incommodis, tantaque contentione disruptam animorum tranquillitatem inter vos redintegrari curemus. Proinde dilecto filio apostolico inquisitori diligenter in mandatis damus ea, quæ desiderio tuo præsentique vestrarum rerum tempori maxime convenire, ac vobis opportuna fore præ ceteris arbitramur, minimeque ambigimus, quin eidem de ineunda concordia

nostris verbis accurate vobiscum agenti libenter sitis auscultaturi. Si eum in modum, Nobis et de vestro universim statu sollicitis, et dignitatis tuæ rationem habentibus alacri accesseritis animo, tum potissimum tali vestro erga vos ipsos studio præclare comprobabitis Nobis debitos obsequii in Nos ac observantiæ sensus, et multo cumulatiorem efficietis eam, qua erga vos semper fuimus, paternam benevolentiam nostram, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuoque inclito ordini peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die 7 aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXI.

VENERABILI FRATRI

SIGISMUNDO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 aprilis 1770.

Venerabilis, etc. Plurimis et certissimis perspectum Nobis est argumentis quæ tua sit, Venerabilis Frater, in commissum tibi gregem pastoralis fides ac vigilantia, quamque sedulam naves operam iis omnibus quæcumque ad animarum curam incolumitatemque pertinent; uberius tamen in hac jamdiu percepta de virtutibus tuis opinione confirmarunt Nos litteræ tuæ die prima martii ad Nos datæ, in quibus nobiscum diligenter agis de applicatione Missæ a parochis, vicariis, ceterisque animarum curam actu exercentibus pro populo singulis dominicis et festis diebus facienda, expositisque dubitationibus tuis, ac iis difficultatibus quæ relaxationem hujus legis in nonnullis istius diœcesis locis tibi videntur exposcere, postulas a Nobis, ut iisdem apostolica auctoritate medeamur, tibique facultatem ea applicationum onera pro rerum necessitate minuendi reducendique tribuamus. Magnopere permoti Nos fuimus postulatis hujusmodi tuis, quod et valde te diligeremus ob eximia tua in Nos studia, ac singularem in apostolicam hanc Sedem observantiam, et plurimam habendam esse Episcopalis tam egregiæ sollicitudinis tuæ a Nobis rationem duceremus. Tuas proinde in Nos ejusmodi curas suscipientes accuratissime perquirere voluimus, si quo modo possemus animum nostrum ad præstandum quod tam enixe petis, tibique gratificandum inducere. Sed facile statim perspicere Nobis fuit quid pontificii muneris postularet ratio, qua divinis inhærere præceptis, sacras canonicarum legum custodire sanctiones, ac prædecessorum nostrorum decreta tueri ac servare præcipue constringimur. Atque hæc quidem quemadmodum

Nobis maxime cordi esse debent, ita integrum esse non sinunt. ut optatis tuis, nostræque de te voluntati satisfaciamus. Optime nosti. Venerabilis Frater, quid Tridentini patres Sess. XXIII. Cap. 1, de reform. senserint præcepto divino nempe mandatum esse omnibus, quibus animarum curà commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. Spiritualis igitur curæ pars est sacrificii a parochis facienda pro populis oblatio, in eaque necessario hæc per divinum jus continetur; proinde quænam satis esse causa possit, ut ab eadem disjungatur ac abscindatur? mancam enim tunc illam quodammodo ac imbecillem remanere necesse esset. Quid etiam doctissimus ac sacrarum ejusmodi rerum experientissimus prædecessor noster Benedictus XIV, de hoc ipso judicarit ac sanxerit in sua illa Encyclica anni 1744, quæ incipit : *Cum semper* latere te, Venerabilis Frater, non potest. Ita sacrificii applicationem animarum curam gerentibus pro suo populo impositam esse cum ex Tridentini concilii tum ex apostolicæ sedis decretis confirmat, ut eorumdem vim aliquo modo infirmandi aut declinandi nullum statuat esse relictum locum, teneri proinde vicarios etiam, etsi amovibiles illi sint, aut ad breve tempus ejusmodi curæ addicti, pronuntiat, excusarique vel redituum tenuitate vel immemorabili contraria consuetudine posse neminem. Non nihil tamen indulgentior in illos est, qui paupertate pressi eleemosynam die festo pro applicatione missæ privatim facienda recipiunt. Cum iis enim opportune dispensandi facultatem concedit Episcopo, ita tamen ut totidem missas infra eamdem hebdomadam pro populo applicare teneantur, quos in diebus festis ad peculiarem cujuspiam intentionem obtulerint. Hac ipse etiam uti, Venerabilis Frater, si opportunum visum fuerit temperamenti lenitate per Nos potes. Sed præsertim intendere animum in ea remedia par est, quæ scilicet a sacrosancta Tridentina synodo Sess. VII. Cap. VII et Sess. XXIV, Cap. XIII, sapientissime præscribuntur, quæque sa. mem. Pius V, prædecessor noster, in sua constitutione, quæ incipit : *Ad exequendum pastoralis officii debitum*, anni 1567, pro assignatione fructuum vicariis facienda mandavit confirmavitque superius laudatus pontifex Benedictus XIV, ac necessarias omnes idcirco atque opportunas facultates in eadem illa sua Encyclica concessit. Quam Nos etiam tibi, Venerabilis Frater, apostolicam concessionem dum impertimur, prodesse eamdem multum posse tua sapientia freti non dubitamus. Eam item tibi libenter potestatem damus, ut tuæ diœcesis parrochos ac vicarios omnes quicumque hactenus die quolibet de præcepto sacrum pro populo facere omiserunt, ab illius, quod exinde, ex præterito scilicet tempore, contraxerunt oneris, aliqua parte liberes

atque absolvas, aliam vero partem, quam ab iisdem adhuc deberi volumus, tuoque statuendam judicio pro cujusque census ratione relinquimus, suo quam minime pensent incommodo, atque idcirco nonnisi unum quolibet mense pro populo sacrum, eoque quo libitum magis fuerit die reponere teneantur. Qua quidem pontificia gratia eosdem imposterum valde cupimus ad id ipsum, quod populo suoque muneri debent accurate persolvendum excitari. Atque hæc idcirco fusius agere tecum voluimus, Venerabilis Frater, ut propensissimam in te voluntatem nostram ex hoc ipso intelligeres, quod tantum videlicet rationum vim Nobis obstare necesse fuit, ne simul et postulatis tuis, et nostræ gratificandi tibi cupiditati obsequeremur. Tua itaque in Nos studia majorem in modum confirmabis, si ad tuendam earumdem legum auctoritatem obfirmes sollicitudinem tuam, summaque ope connitaris ad aliquam pro zelo, sedulitate ac prudentia tua ineundam, Deo juvante, viam illius inculcandi præcepti alteque animis omnium, qui animarum curam exercent, inserendi. Demum de nostræ erga te benevolentiæ magnitudine ita certum esse te cupimus, ut ejusdem fructus paratissimos tibi fore semper existimes. Ac in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXII.

DILECTO FILIO

PAULO DE CRUCE,

GENERALI CONGREGATIONIS PASSIONIS JESU CHRISTI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 aprilis 1770.

Dilecte, etc. Ex aliis nostris erga te paterni amoris argumentis facile prospicere potes, dilecte fili, quam libenter tuas exceperimus litteras singularis in Nos ac apostolicam hanc Sedem fidei, devotionis atque observantiæ testes, ac præsertim confirmantes gratam tuam tuæque congregationis erga Nos voluntatem, cum omnipotentis Dei clementiam pro nostra imbecillitate in gravissimo summi apostolatus munere regenda ac fulcienda deprecari nunquam vos intermittere, significes. Nulla re uberius comprobare vestram erga Nos pietatem, neque opportunius quidquam facere potestis et vestri instituti rationis et nostris hisce rebus, quæ divina tantummodo ope præsidioque nituntur. Age igitur, dilecte fili, benemereri semper magis eum in

modum de Nobis deque universa Ecclesia pergas, conjunctisque tuorum omnium votis ejusmodi Nobis auxilium, quo maxime indigemus, exorare non desistas. His præcipue officiis paternæ nostræ de te fiduciæ, præclare respondebis, excitabisque adhuc magis eximiam illam, qua in te tuosque sumus, benevolentiam, cujus cumulatissimos fructus nunquam tibi pro opportunitate defuturos esse pollicemur. Ita enim animo erga te tuamque congregationem comparati sumus, ut eamdem christianis virtutibus in dies auctiorem, meritisque cumulatiorem fieri summopere cupiamus. Jucundissima proinde Nobis fuit a te facta vestrarum, quæ isthic sunt, rerum descriptio, quas cum sanctitatis odore propagari ac excrescere ita gaudemus, ut, quo id magis efflorescere possit, opem, auctoritatem ac gratiam erga vos meam paratissimam semper habituri simus. De qua etsi perspecta vobis nostra voluntate dum certiores adhuc vos facimus, hasque litteras tamquam singularis nostræ in vos pietatis monumentum extare cupimus, invicem a vobis etiam atque etiam contendimus, ut et qua cœpistis virtutis via insistentes, et nostris Nos assidue precationibus adjuvantes hujusmodi paternum de vobis studium cum plurima vestri profectus jucunditate conjunctum fovere semper ac amplificare nitamini. Ac tuæ congregationis initia atque incrementa votis omnibus, ac divinæ benignitatis auspiciis prosequentes apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque tecum in humilitatis ac caritatis spiritu sociatis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 21 *aprilis* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 maji 1770.

Carissime, etc. Dum ad dilectissimam in Christo filiam nostram Aloysiam Mariam regiam Galliarum Principissam tuam per carnem filiam damus litteras, eique tanta, quantam maximam capere animus noster potest, lætitia gratulamur de divini spiritus gratia, quæ illam ad suscipiendum sanctissimæ vitæ institutum excitavit, facere minime possumus, carissime in Christo fili noster, quin hos uberrimos animi nostri sensus in paternum quoque Regiæ Majestatis Tuæ sinum effundamus, nostræque hujus jucunditatis cumulum tecum communicemus, ad quem fatendum quidem est tantæ rei tantæque laudis partem

longe maximam merito pertinere. Duplex siquidem nostri gaudii causa duplicem item a Nobis officii perfunctionem exposcit, cur enim non tibi etiam mirifice gratulemur, cum ad veræ sapientiæ normam rem expendens non solum optimam esse partem a regia filia tua electam videris, sed etiam (quo summopere delectati sumus), singularem præstantiam et christiani animi magnitudinem reipsa prætuleris? Nam etsi pro eximiis illius dotibus carissimam ipsam haberes, ægerrimeque a te divelli ferres, exorari tamen passus es, ejusque religionis atque erga Deum pietatis rationes summo amori, et necessitudini erga illam tuæ anteponendas esse existimasti. Atque illa sane ab his humanæ vitæ fluctibus ac periculis in tranquillissimam virtutis ac sanctitatis stationem confugiens expeditam sibi ad immortale illud cœlestis Patriæ regnum viam aperuit, ac egregium exemplum ceteris dedit omnibus, quam inanes, fragiles ac fugaces, quamque pro nihilo reputandæ sint omnes hujus mundi deliciæ, opes, amplitudines præ æternæ gloriæ felicitate, et quam eædem luctuosissimæ miseriarum ac malorum omnium causæ esse possint, si beatæ illi comparandæ æternitati impedimentum offerant. Sed cum in perficiendo egregiæ filiæ tuæ consilio tam magnæ partes laudesque tuæ sint, minime te certe unquam pœnitere poterit, quod hujusmodi indulgentia tua de religione tam præclare mereri volueris, cum vel idcirco de omnipotentis Dei erga te benignitate confidere plurimum valeas, et præterea eximium tibi comparaveris præsidium in assiduis amantissimæ gratissimæque erga te filiæ orationibus, quæ tuam regiam Domum, tuumque universum regnum, sed præcipue te tuæque animæ incolumitatem, quod tua maxime interesse debet, Christo Domino commendare non intermittet. Religionis tuæ ac sapientiæ erit, Carissime in Christo fili noster, ut ex hujusmodi summo optimæ filiæ tuæ de te studio veram ac solidam utilitatem, Deo juvante ejusque adspirante gratia consequaris. Interea luculentissima hæc atque ex paterna voluntate deprompta erga Majestatem Tuam officia eo excipias animo cupimus, ut ab amantissimo tui, tuæque gloriæ ac veræ felicitatis perinde ac suæ cupidissimo profecta esse existimes. Quod ut tibi persuadeas magis, in pontificiæ singularis caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, Carissime in Christo fili noster, amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 9 *maji* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXIV.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 maji 1770.

Dilectissima, etc. Ex allato Nobis præclaro de te nuntio, dilectissima in Christo filia nostra, tantam jucunditatem percepimus, et tam incredibilis plane lætitiæ vi affecti sumus, ut quamvis magna curarum ac sollicitudinum mole premeremur in hoc summi Apostolatus munere sustinendo, levari molestiæ nostræ omnes, ac amoveri prorsus viderentur. Nam sive intueamur consilii factique tui præstantiam in commutando regalis aulæ splendore cum paupere atque humili Carmelitarum virginum domicilio, sive carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi parentis tui pietatem atque indulgentiam consideremus, sive utilitatem inde in Ecclesiam redundaturam perpendamus, magnas undique atque uberes exoriri Nobis immensi sane gaudii causas intelligimus. Itaque immortales largitori tanti muneris Deo gratias habemus, quod singulare hic christianæ virtutis specimen, quo magis conspicuum esset omnibus, elucere in te voluerit, et Nostri pontificatus initia illustribus hujusmodi exemplis exornarit. Quare non minus Nobis, quam tibi ipsi, dilectissima in Christo filia nostra, in Domino gratulamur de his ubertim in te effusis divinæ misericordiæ divitiis, deque Spiritus sancti virtute, qui te ad illam, quam maturo animo concupisti, assequendam cœlestis vitæ similitudinem et quasi inchoationem perduxit. Cui enim nisi Deo ipsi accepta referenda est tam sancti consilii aut suscipiendi voluntas, aut perficiendi constantia? Nimirum illius divinæ lucis radiis collustrata facile perspexisti fluxa et caduca esse omnia, quæ in terris reputantur amplissima, fallaces mundi delicias atque illecebras, inanes spes ac cogitationes omnes, in Deo solo amando atque inserviendo veram inesse animorum pacem ac jucunditatem. Proinde illi uni inservientem te vere regnaturam arbitrata vitæ in atriis Domini Dei Nostri degendæ suavitatem ceteris rebus omnibus prætulisti. Nunc optatissimum tranquillitatis portum cum assequuta jam sis, reipsa nunc senties hujus divinæ voluptatis ubertatem, atque in mundi fuga victoriam ac triumphum, in paupertate internas spiritus opes, in tui abnegatione veram animi libertatem, in humilitate magnitudinem ac gloriam experieris. Quid enim altius, quid præstantius esse potest, quam in illo summo bonorum omnium fonte desideria sua omnia cogitationesque

ponere, cum illo uno vivere, illius caritate inflammari, in illius spe conquiescere? Age igitur, dilectissima in Christo filia nostra, divinæ erga te gratiæ thesauros agnosce, urge quod suscepisti sanctitatis propositum, assidue animo revolve quem amare, cui servire omnibus diebus vitæ tuæ elegeris, infinitam esse mercedem, quam expectas, immarcescibiles fructus, quos nec ærugo, nec tinea corrumpit. Omnes religiosi instituti labores jucundissimos efficiet hæc una cogitatio, atque in ipsis hujus vitæ angustiis non mediocrem cœlestis illius patriæ suavitatem percipiendam ac prægustandam afferet. Beatissima hæc optimæ, quam elegisti, partis conditio cum Nobis obversetur animo, non possumus non iterum ac sæpius tecum gaudere; tuoque isto tam excellenti bono mirifice lætari, quæ quidem gaudii Nostri ratio eo uberior est et cumulatior, quod actionem hanc tuam plurimo salutis emolumento ceteris etiam futuram non dubitamus. Cum enim tam singulare religionis ac virtutis exemplum magnam in omnibus admirationem commoverit, confidimus in Domino fore, ut plurimum etiam conferre possit ad imitationem excitandam, atque ad æternitatis curam, religionis studium, Deique cultum in ceterorum animis inducendum. Sed quoniam in egregio tuo perficiendo consilio tam præcipuæ, tamque admirabiles partes fuerunt amantissimi parentis tui, ut omnes domesticæ consuetudinis, ac paterni erga te amoris rationes religioni, tuæque utilitati posthaberet, tuæ vicissim pietatis, tuique officii esse debet, ut in referenda pro tanto beneficio gratia nullam curam, nullam diligentiam intermittas. Cui quidem muneri præclare tam satisfacturam te esse existimato, cum a cœlestis tui sponsi divina clementia veram illi felicitatem assidue atque enixe fueris deprecata. Illud præterea valde Nos recreat, quod pro perspectissimo tuo in Ecclesiam studio, in hanc S. Sedem devotione, ac in Nos pietate, de qua præcipue certiores facti sumus a venerabili fratre Bernardino Archiepiscopo Damasceno Nostro Nuncio nunquam defutura pariter sint tuarum precationum subsidia, quibus et Ecclesiæ utilitati, et apostolicæ Sedis firmitati, et imbecillitati præsertim Nostræ consulatur. Quare dum ea vehementer a te officia postulamus, invicem tibi omnes paterni in te studii, ac pontificiæ caritatis fructus ita deferimus, ut nihil esse possit, in quo non obsequi desiderio tuo, tuæque ad virtutem alacritati summopere cupiamus. Interea etsi minime dubium Nobis sit, quin sanctissimas istius instituti leges tamquam suave jugum, ac onus leve pro tui animi voluntate subitura sis, tamen cum fieri interdum soleat, ut exinde in spiritus angustias, ac nimios animi timores incidatur, confessario tuo tam præsenti quam futuro pro tempore facultatem Nostra sponte damus, ut ea regularum relaxatione ac dispensatione

tecum uti possit, prout ipsi videbitur conscientiæ tuæ expediens, atque opportunum fore. Apostolica itidem auctoritate, quo tuæ devotioni magis faveamus, quotiescumque ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum percipiendum accesseris, toties tibi plenariam a Nobis indulgentiam concedi declaramus. Demum et dilectas in Christo filias sacras istas Virgines tuas in Domino socias, quarum precibus valde confidimus, paterna caritate prosequimur, eisdemque pariter plenariam indulgentiam, quoties post peccatorum confessionem sacra Corporis Christi communione refectæ fuerint, benigne largimur, quod perspectæ eorum pietati tribuimus, et plurimæ in eas benevolentiæ nostræ argumento esse volumus, ac præterea participes ejus apostolicæ benedictionis facimus, quam tibi, Dilectissima in Christo filia nostra, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 9 *maji* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 maji 1770.

Carissima, etc. Quæ renunciat Nobis Regia Majestas Tua peracta esse nuptiarum solemnia inter dilectissimam in Christo filiam nostram Mariam Antoniam archiducem Austriæ tuam per carnem filiam, et dilectissimum itidem in Christo filium nostrum Ludovicum Augustum Franciæ Delphinum, plurima Nos eadem affecerunt gaudio; nam et Nostras esse arbitramur, quæ tuæ sunt lætitiæ causæ, et ex tantarum familiarum conjunctione maximas in christianæ reipublicæ bonum, Ecclesiæque catholicæ incrementum extituras opportunitates non dubitamus. Quare magnas tibi de luculento hujusmodi nobiscum peracto officio habemus gratias, et divinam benignitatem enixe obsecramus, ut hoc suis initum auspiciis conjugium uberiori semper cœlestium benedictionum copia prosequatur, auctioresque exinde ac multo cumulatiores faciat in dies cum tuæ, tum nostræ jucunditatis rationes. Ac Regiæ Majestati Tuæ intimo cordis nostri paterni sensu, totique Augustæ familiæ Apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 12 *maji* 1770, *pontificatus nostri anno primo.*

LXXVI.

VENERABILI FRATRI

LUDOVICO JOSEPHO EPISCOPO FRISINGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 maji 1770.

Venerabilis, etc. Nunquam Nobis quidem in animo fuit, Venerabilis Frater, ut quæ in alteros conferimus beneficia, alteris ullo modo obessent; ac si quid hujusmodi forte accidisse videri possit, operam in eo ponimus, ut opportunum aliquod temperamentum adhibeamus, ac æquitatis normam sine ullorum molestia consectemur. Hujusmodi nunc ratio Nos cogit, ut cum pridem canonicis ac capitulo collegiatæ Ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis Monachii, quæ ordinariæ tuæ jurisdictioni subest, nova vestium ornamenta concesserimus, et ornare tanto magis cupiamus capitulum istud tuæ cathedralis Frisingensis Ecclesiæ, ne scilicet ex sublato pristino vestium inter utrumque discrimine detractum aliquid per Nos esse videatur ab hujus, quam potiorem esse agnoscimus, dignitate. Proinde quo magis intelligas, quantum rationes vestræ Nobis sint cordi, tibi, Venerabilis Frater, ac dilectis filiis istius cathedralis Ecclesiæ canonicis optionem facimus, ut aliud quoddam eligatis, ac proponatis Nobis aptum et conveniens Ecclesiastici ornamenti genus, quo canonicos istos ita decoremus, ut neque cujusquam querelæ excitari exinde possint, et illi ipsi sibi restitutum putent, quo antea fruebantur, honoris gradum. Id tanto libentius ac liberalius tibi tuisque Frisingensibus canonicis præstabimus, Venerabilis Frater, quanto magis vestrum erga Nos, ac Apostolicam hanc sedem plenum pietatis, studii ac observantiæ cognoscimus animum, cui prolixa, et cumulata respondentes benevolentia, in ejusdem pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *maji* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

Eodem fere exemplo : Dilectis Filiis Scholastico, Seniori cæterisque capitularibus cathedralis Ecclesiæ Frisingensis.

LXXVII.

VENERABILI FRATRI

CLEMENTI WENCESLAO ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI,

ET EPISCOPO AUGUSTANO, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 maji 1770.

Venerabilis, etc. Jucundissimam Nobis rem nuncias, dum te ad Coadjutoriam præposituræ principatus Elwancensis unanimi suffragantium consensu electum esse scribis, super quo quemadmodum prolixa erga te animi nostri per impertitum Eligibilitatis Breve præcessit declaratio, ita nostræ non solum consequetur per legitimam confirmationem voluntatis accessio, sed ejusmodi etiam adjungetur peculiaris in te amoris testimonium, quod opportunum atque acceptum tibi fore ex dilecto filio comite de Lognasco Ministro tuo intelleximus. Is cum Nobis diligentissime, ut solet, gratos idcirco tuos erga Nos ac erga Apostolicam sedem sensus retulerit, minime ambigimus, quin Fraternitati tuæ invicem de perspecto tibi singulari nostro erga te studio perscripturus accurate sit, eoque modo magis adhuc tuum inflammaturus animum ad ea omnia persequenda officia, quæ et pietati in Nos tuæ, et eximiæ nostræ erga te caritati sunt maxime consentanea. In cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *maii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXVIII.

VENERABILI FRATRI

EMMERICO JOSEPHO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 maji 1770

Venerabilis, etc. Statim rescribimus litteris Fraternitatis tuæ die IX. hujus mensis ad Nos datis, in quibus diligenter a Nobis postulas, ut Eligibilitatis indultum tibi pro Episcopatu Spirensi apostolica auctoritate largiamur. Ex cæteris nostræ erga te voluntatis indiciis facile cognoscere potes, Venerabilis Frater, quam libenter hac etiam opportunitate uteremur animum nostrum novo hoc beneficio tibi confirmandi. Sed ne in eo Fraternitati tuæ gratificari valeamus vehementer

obstat, quod declaratam a te minime videamus eam, quæ maxima ac gravissima esse debet, causam, ut tanto intervallo recedere Nos posse a severissimis sacrorum canonum legibus in animum inducamus. Quæ quidem tuendarum legum ratio coegit Nos nuper, ut alteris etiam Eligibilitatis jus a Nobis flagitantibus morem gerere non possemus. Id Nos quidem tua causa permoleste ferimus, tantoque molestius quanto cupidius et desiderio tuo, et nostro de augenda tua dignitate studio satisfecissemus. Quam quidem voluntatem nostram testatiorem tibi facere, cum res tulerit, semper paratissimi sumus, ac in ejusdem nunc pignus apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *maii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXIX.

DILECTO FILIO

JOANNI CHRYSOSTOMO TROMBELLIO,

CANONICO REGULARI SANCTI SALVATORIS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 maji 1770.

Dilecte, etc. Dissertationum tuarum liturgicarum secundum volumen perlibenter accepimus tanquam novum ac illustre tuæ non minus doctrinæ, quam observantissimæ in Nos voluntatis testimonium. Quod utrumque a te Nobis eum in modum confirmari fuit sane jucundissimum. Nos itidem confirmamus idcirco tibi et plurimam illam, qua te semper presequuti sumus, existimationem, et paternam, qua te singulariter complectimur, caritatem, et gratiam, eumque erga te profitemur animum nostrum, ut pro opportunitate, et egregiorum laborum meritorumque tuorum, et tuæ in Nos pietatis maximam rationem simus semper habituri. Interim apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuæque religiosæ familiæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 26 *maii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXX.

VENERABILI FRATRI

JOANNI BAPTISTÆ ANTONIO ARCHIEPISCOPO AQUENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 maji 1770.

Venerabilis, etc. Accepimus litteras Fraternitatis tuæ, ex quibus

perlibenter intelleximus, quo studio, quaque vigilantia in commissum tibi gregem sis, quamque cupide amplectaris omnes illius curandæ salutis, ac veræ utilitatis in eum inducendæ opportunitates. Proinde cum per jubilæi promulgationem dispensatos a Nobis cælestium munerum thesauros istius Diœcesis populis maxime salutares esse pro tua pastorali sedulitate cupias, magnamque obstare evangelicorum operariorum paucitatem videas ac doleas, ad eamdem producto saltem temporis intervallo pensandam magnopere petis a Nobis, Venerabilis Frater, ut ampliare tibi velimus jubilæi spatium, quodque intra quindecim dierum, seu duarum hebdomodas, seu triginta dies extendamus. Hujusmodi episcopalem sollicitudinem tuam, atque hanc de apostolica benignitate fiduciam inanem esse nequaquam sinimus, atque idcirco, quod a Nobis tam enixe postulas, eo tibi concedimus animo, ut ex hac geminati temporis commoditate maximos in istum gregem divinæ gratiæ ac in te jucunditatis fructus redundare cupiamus. In eo certi quidem sumus tuas omnes operæ, diligentiæ, ac industriæ partes nequaquam esse defuturas, ac plurimam exinde extituram ad pristinas tuas diuturnæ sollicitudinis curas tuorum meritorum accessionem. Ita profecto præclare de Nobis a te mereri existimabimus, qui in gravissimo pontificatus sustinendo munere hujusmodi fidelium populorum pietatis auxilio vehementer indigemus, ac eum in modum confirmari egregie illam, quam erga Nos, atque hanc apostolicam sedem declaras observantiam ac devotionem, cui Nos invicem singulari erga te studio ac benevolentia respondemus. Ac in hujus pontificiæ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 30 *maii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXI.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO AUGUSTO GALLIARUM DELPHINO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 maii 1770.

Dilectissime, etc. Perjucundum Nobis fuit litterarum tuarum officium, ex quo intelleximus eximiam Nostram erga te voluntatem tibi esse perspectissimam. Quæ igitur paterni nostri singularis in te animi argumenta jam dedimus, dum summa alacritate apostolicam dispensationem ad contrahendas cum dilectissima in Christo filia nostra

Maria Antonia archiduce Austriæ nuptias tibi impertiremur, eadem nunc majorem in modum cumulamus, dum illas auspicato initas maximo jucunditatis ac gratulationis nostræ sensu, iisque prosequimur votis, quæ ad tuam, Dilectissime in Christo fili noster, tantæque Domus, ac universi gallici regni felicitatem tanto magis a Nobis referuntur, quo certiorem inde uberioremque Ecclesiæ utilitatem auguramur. Id ex tua in Nos, ac in apostolicam sedem pietate Nobis vehementer pollicemur. Enixe itaque a Dei Optimi Maximi benignitate postulamus, ut rata sint hujusmodi optata nostra, atque hæc tam præclara initia luculentioribus in dies nostræ de te jucunditatis incrementis excipiantur. Ejus proinde cælestis gratiæ largitate maxime roborati cupimus eam benedictionem, quam in novum ac certissimum pontificiæ caritatis pignus tibi, Dilectissime in Christo fili noster, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 30 *maii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 junii 1770.

Carissime, etc. Quam in partem lætitiæ tuæ Nos vocas, dum celebratas esse significas auspicatissimas nuptias dilectissimi in Christo filii nostri Ludovici Augusti Galliarum Delphini nepotis tui cum dilectissima item in Christo filia nostra Maria Antonia archiduce Austriæ, ita eadem affecti sumus, ut non magis tibi, quam Nobis ipsis gratulemur, qui eximio ac plane paterno studio te tuaque omnia complectimur. Jam tum inchoatum hoc in Nobis gaudium fuit, cum impedimentum ad contrahendas has nuptias apostolica dispensatione removeremus, nunc vero eum in modum auctum et cumulatum est, ut Dei Optimi Maximi benignitate plurimas referamus de hac tua tuique Regni felicitate gratias, eumdemque etiam enixe precemur perpetuas esse velit hujusmodi tibi Nobisque lætandi causas. Cupimus quidem Nos, Carissime in Christo fili noster, idque vehementer petimus, ut ipse cælestium Benedictionum copiam super regios sponsos effundat, atque eo præcipue Majestatem Tuam bonitatis suæ fructu cumulet, ut quæ prima, et potissima sunt, ac nunquam interitura bona, eadem tibi uberrime, ac locupletissime cum ceterorum accessione largiatur. Hoc animi nostri sensu luculentius paternæ singu-

laris erga te benevolentiæ nostræ testimonium tibi dare non possumus, neque magis tuæ erga Nos, ac sanctam hanc Sedem pietati ac filiali observantiæ respondere. Ac in hujus eximiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ, regiisque sponsis, tuisque liberis omnibus amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *junii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXIII.

VENERABILI FRATRI

SIGISMUNDO CHRISTOPHORO

ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 junii 1770.

Venerabilis, etc. Accepimus volumen Epistolarum Bavari cujusdam ad amicum suum circa potestatem Ecclesiæ, et Pontificis a te Nobis diligenter transmissum una cum ejusdem censura isthic a tua Universitate facta, in quo pastoralem zelum, sollicitudinem, ac vigilantiam tuam jampridem Nobis perspectam, multo tamen luculentiore nunc indicio declaratum et agnoscimus, et pro merito magnopere commendamus. Etsi opus minime sit, tamen ad tuum hoc tuendæ religionis studium nostram Nos pro Pontificio munere cohortationem adjungendam ducimus, auctoresque etiam tibi sumus, ut eum librum in diœcesi tua statim prohibeas ac proscribas, tuique edicti severitate e fidelium manibus extorqueas, cujus scilicet lectio certissimum eisdem allatura sit detrimentum, cum in illo propositiones falsæ, temerariæ, scandalosæ, injuriosæ, et maledicæ contra summos pontifices, impiæ, erroneæ, sacrilegæ inducentes ad hæresim, et ad schisma, atque alias ab apostolica sede damnatæ contineantur. Tua tamen tantummodo ordinaria facultate id a te faciendum esse judicamus, neque nomen nunc interponi nostrum volumus, ne pondus aliquod iis dare videamur, quæ interdum fortasse, cum neglecta sunt, minus sustinere se possunt, ac facile suam ob levitatem intereunt. Nostras apostolicæ auctoritatis partes ad ulteriora, si necesse erit, tempora reservantes, interea confidimus pestem hanc opera ac diligentia tua oppressum iri quamprimum, atque extinctum, idque tua pastoralis industria ac sapientia Nobis magnopere pollicetur. Sed quicumque futurus sit exitus, quem imperscrutabili Dei judicio relinquimus, tuum hoc studium, ac consilium ut eximia laude apud omnes bonos non carebit, ita nostram erga te mirifice amplificabit

tuis maximis meritis innixam benevolentiam, quam tibi semper magis egregia aliqua significatione confirmare cupientes, interim apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *junii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXIV.

VENERABILI FRATRI

ADAMO FRIDERICO EPISCOPO BAMBERGENSI,

ET ERBIPOLENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 junii 1770.

Venerabilis, etc. Etsi in dierum festorum imminutione quam Nos inducti pauperum opera ac labore sibi victum quærentium necessitatibus per te aliosque nonnullos Venerabiles Fratres Episcopos expositis faciendam Apostolica auctoritate concessimus, servandæ inter vos in cultu Dei uniformitatis rationem habendam duceremus, illuc tamen præcipue intendimus curas, et consilia nostra, ut minimum, quod fieri posset, ab Ecclesiasticæ disciplinæ antiquitus jam per Christianum orbem constabilitæ legibus recederetur. Atque idcirco visum Nobis fuit neque a pristina dierum sede dimovendas esse Sanctorum, de quibus agebatur, commemorationes, neque præcedentes Vigilias cum annexis jejuniis suo loco esse deturbandas. Salvam atque incolumem in hoc esse volumus priscam paternorum canonum, religiosissimarumque Ecclesiæ institutionum vim, cum indigentium necessitati satis jam esset et audiendi sacri, et servilium operum intermissionis dispensatione consultum. Vides igitur, Venerabilis Frater, quam longe, et a sententia nostra et a sacris legibus, et ab ipso uniformitatis spiritu Episcopi distarent, qui inter finitimos tuos, ut innuere videris, in Vigiliarum, et jejuniorum quorumdam in præcedens sabbathum translationem consenserint. Quam quidem scimus sapientissimum etiam prædecessorem nostrum fel. rec. Benedictum XIV etsi sæpe rogatum, nullis tamen rationibus induci unquam potuisse, ut concederet. Noli itaque conformis fieri iis, qui ab universæ Ecclesiæ usu, eaque uniformitate, quæ ab omnibus maxime servanda est et retinenda, et præterea a debita Apostolicæ cathedræ observantia plurimum discesserint. Dum hæc tibi, Venerabilis Frater, pro nostri muneris ratione, proque illo, quo debemus esse in Ecclesiasticam disciplinam, studio rescribimus, majorem in modum te in Domino

hortamur, ne in sacrarum legum vi æstimanda ac tuenda multo lenior, ac remissior esse, quam res ipsa ac Episcopale officium a te postulet, videare. Præter enim Catholicorum offensiones, vitabis etiam Heterodoxorum qui vos undique circumsistunt atque observant, judicia; si enim vos illi viderint humanis ac levissimis prorsus ex causis novitatem hanc in veteres pietatis ac religionis usus inducere, eosdem a Vobis negligi, et contemni facile interpretabuntur. Ac in Pontificiæ caritatis pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *junii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXV.

VENERABILI FRATRI

BASILIO ARCHIEPISCOPO MANILLÆ,

IN INSULIS PHILIPPINIS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 junii 1770.

Venerabilis, etc. Profecturi isthuc propediem sunt dilecti filii Sacerdos Nicolaus Simonetti ex aggregatis Neapolitani Sinensium collegii, et Nicolaus Timoni ejusdem collegii Alumnus nuper ad Sacerdotii ordinem assumptus, quorum opera uti vult Nostra hæc Congregatio de Propaganda Fide in eo collegio, cujus eadem pro Sinensi juventute isthic constituendi consilium jamdiu suscepit, ac nunc opportunum maxime ad perficiendum esse tempus existimat. Plurimum Nos quidem cupidi ejusdem sumus, neque dubium Nobis est, quin Carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici pro egregia ipsius pietate ac religione luculentissimus tantam, tamque præclaram Institutionem juvandi ac provehendi consensus atque ardor accedat. Te etiam, Venerabilis Frater, multo in eam rem studio propendere, ut relatum Nobis est, magnopere gaudemus. Proinde eos Sacerdotes dum Apostolica Benedictione discedentes a Nobis prosequimur, tibi majorem in modum commendamus, a teque vehementer petimus, ut eosdem et advenientes perhumaniter excipias, et illius collegii rem curantes tua semper patrocinii gratia frui velis, quod et Nobis et huic nostræ Congregationi fore a te gratissimum profitemur. Cumulatius vero tuam in Nos observantiam comprobaveris, si prout opus isthic erit, opem atque operam tuam collegio isti præstare semper paratus sis, quem præsertim animum tuum eo nunc maximo officio declarare poteris, si contenderis industria atque auctoritate tua, ut

eadem hæc Congregatio ingentem illam exigere pecuniæ summam possit a clara memoria Cardinalis Tournon sibi legatam; inde etiam expeditior multo fundandi instituendique illius collegii ratio ac facultas accederet. Eo pacto et hanc ipsam Congregationem de Propaganda Fide mirifice tibi demereberis, et Pontificiam, qua erga de sumus, amplificabis benevolentiam nostram; in cujus pignus Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei concredito populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *junii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO EMMANUELI SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 junii 1770.

Carisime, etc. Reddidit Nobis humanissimas Majestatis Tuæ litteras dilectus filius nobilis vir comes de Rivera Minister tuus plenipotentiarius, et quæ in iis postulata sunt, summo eximioque illo studio, quo in tuas res esse semper solet, est prosequutus. Postulas nempe a Nobis quædam, carissime in Christo fili noster, pietate tantummodo tua ac religione inductus, mirificeque confirmas id, quod de te semper gessimus, judicium nostrum, illustre quoddam christianarum, et vere regiarum virtutum in iis omnibus, quæ moliris atque agis, a te specimen exhiberi. Illud etiam summopere Nos delectat, quod eam de Nobis præteferas in postulando fiduciam, quæ cum singulari, atque egregia nostra erga te voluntate præclare consensit, tantamque in Nobis excitat tibi gratificandi alacritatem, ut hoc ipso nostræ plane obsequi cupiditati Nobis videamur. Cum itaque tam distincte, perspicue accurateque exposita ac digesta offeras omnia, quæcumque ad rem pertinent, ut nihil ad ampliorem notitiam accedere, aut desiderari possit, sublatam etiam omnem Nobis esse interponendæ moræ causam gaudemus, quum statim, dum tibi rescribimus, quæ ratio tuorum postulatorum habeatur a Nobis, intelligas. Quapropter Regiæ Majestati Tuæ apostolica auctoritate concedimus, ut Abbatiarum, et pensionum fructus decursos, et adhuc existentes, prout postulas, scilicet earum, ad quas nominatio a te quamprimum est facienda, ea tamen excepta parte, quam in favorem nominandorum, aut evectorum ad titulum relaxandum, judicaveris, earum vero, quarum nominationem justis e causis retinere suspensam voles, usque

ad integrum martium mensem proxime elapsum, tantum decursos impendere ac erogare possis in Hospitales infirmorum Domos, ac in alia illa quæque describis, caritatis Hospitia, quæ scilicet pia opera, ita ut revera sunt, appellantur. Dum huic postulatorum tuorum parti hunc in modum satisfacimus, carissime in Christo fili noster, ita de tua pietate, ac sapientia judicamus, ut pecuniam illam, cujus distribuendi potestatem tibi facimus, utiliter atque optime collocatum iri certi Nos simus; idcirco jucundissimum Nobis erit hujusmodi apostolicæ concessionis usus a te facti descriptionem, quam transmittere polliceris, inspicere, ac nova exinde capere et religionis caritatisque tuæ, et nostræ de te jucunditatis argumenta. Cæteras postulatorum tuorum partes consueta ratione ac via pertractari mandavimus, eisque expensis confidimus fore, ut eodem plane modo egregium hunc ac singularem in te paternum animum, tibi magis magisque confirmemus. Dabimus igitur operam, ut ea ipsa propediem, cum confecta erunt, statim ad te deferantur. Interea ad immortales illas quibus Regiam Majestatem Tuam merito cumulamus laudes, apostolicæ benedictionis ita munus adjungimus, ut illam divinæ erga te tuosque liberos omnemque Regiam Domum benignitatis auspicem esse maxime cupiamus ac precemur. *Datum Romæ, etc., die* 28 *junii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXVII.

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO EPISCOPO ANGELOPOLITANO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 julii 1770.

Venerabilis, etc. Ex quo causam venerabilis servi Dei Joannis de Palafox Angelopolitani olim episcopi impositam jam Nobis suscepimus, ex eo tempore Angelopolitanam etiam Diœcesim ejusque populum carissimum habere cœpimus. Quare eo jucundiores Nobis fuerunt tuæ litteræ, quibus certiores Nos fecisti de suscepto a te tuoque populo ob nostram ad summum Pontificatum evectionem gaudio. Cui vestro erga Nos studioso animo, ac filiali observantiæ et devotioni ut vicem referamus, curabimus sane, ut non frustra nostra causa lætatos vos esse intelligatis. Quod cum in omnibus rebus vestris, tum in præfata causa potissimum vos cognituros confidimus. Nihil enim ardentius a Domino expetimus, quam ut quemadmodum hactenus nostra opera promovere illam, ac provehere dignatus est,

ita nostris vestrisque votis indulgeat, ut per Nos etiam ad exitum divina benignitate tua perducatur. In quo tuis etiam, ac populi tui precibus Nos juvari, nostræque præterea imbecillitati fulciendæ, in gravissimo hoc apostolatus munere sustinendo assiduos vos ad misericordiarum Patrem deprecatores habere magnopere cupimus. Demum in peculiaris pontificiæ erga te caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, ac universo tuæ fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 16 *augusti* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 julii 1770.

Carissime, etc. Post datas ad Majestatem Tuam die IX maji proxime elapsi litteras in quibus sensus nostros caritate, lætitia, gratulatione, cæterisque paterni animi officiis cumulatissimos ob dilectissimam in Christo filiam nostram, Aloysiam Mariam Regiam Galliarum Principissam, ut tuam per carnem filiam ad sanctissimum religiosæ vitæ institutum convolantem testati sumus, relatum Nobis nuper est eamdem tanta jam cupiditate induendi sacrum Carmelitarum virginum habitum inflammari, ut contrahere omnem temporis moram velit, brevique jam sit illum receptura a venerabili fratre Bernardino Archiepiscopo Damasceno nostro et apostolicæ Sedis apud te ordinario nuncio. Mirum quidem tunc in modum in tantæ pietatis, virtutis, ac sapientiæ laudem atque admirationem exarsimus, ac eo magis divinum in illa spiritum, quo prorsus disjungi ab hoc sæculo, conjungique cum Christo sponsa festinat, agnovimus. Propterea tantum in Nobis, ac tam immensum ex hac re renovatum est ac amplificatum gaudium, ut incredibili quodam correpti desiderio simus eam, quam peracturus est idem Nuncius noster, sacram vestitionis cæremoniam per Nos ipsos peragendi, et quam maximam splendoris partem ex pontificia nostra perfunctione ad illius actionis celebritatem conferendi. Sed cum per Nos ipsos tanto locorum intervallo distantes, id revera perfici non posse videamus, ut aliqua saltem ratione nostris hisce optatis satisfiat, nihil potius atque opportunius putamus esse, quam ut idem, Venerabilis Frater, in ea peragenda vestitione nostras partes agat, nostroque nomine munus id præstet; tum enim et plu-

rimum sacri decoris ad eam celebritatem accedet, et Nos ipsi immensæ nostræ in eam paternæ caritati obsequentes interesse videbimur, ac dilectissimam in Christo filiam nostram ad castissimas sponsi Domini nuptias properantem comitari quodammodo ac deducere. Eumdem itaque ad id ipsum nostris in forma Brevis litteris specialiter deputare ac destinare voluimus; quod etsi gratum tibi, Carissime in Christo fili noster, acceptumque fore non dubitemus, tamen a te vehementer petimus ac rogamus, ut hanc etiam ultro ac libenter velis maximam atque egregiam ad lætitiam nostram augendam rationem accedere. Quod quidem libentius facies, si tibi persuaseris, quidquid id est in Nobis jucunditatis ac gaudii, ex summo illo atque incredibili, quo in Majestatem Tuam totamque regiam Domum sumus, studio et caritate proficisci. In cujus pignus divinarum benedictionum omnium auspicem apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ, tuisque liberis omnibus ac præsertim communis hujus nostræ jucunditatis Auctrici intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *julii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

LXXXIX.

VENERABILI FRATRI

BERNARDINO ARCHIEPISCOPO DAMASCENO,

NOSTRO ET APOSTOLICÆ SEDIS AD CHRISTIANISSIMUM REGEM NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 julii 1770.

Venerabilis, etc. Certiores facti sumus eam esse in dilectissima in Christo filia nostra Aloysia Maria Regia Galliarum Principissa ineundi religiosæ vitæ status cupiditatem, ut nullam amplius moram ferre possit induendi sacrum habitum virginum Carmelitarum excalceatarum monasterii S. Dionysii, neque id expectare tempus velit, quod eundem ordinem ingredientium usus postulat, ac propterea brevi fore, ut illum a te sit habitum, Venerabilis Frater, qui noster isthic es et apostolicæ Sedis nuncius, et ejusdem etiam Carmelitani ordinis superior pro uberiori animi sui pietate ac devotione receptura. Quibus illa rebus majorem in modum confirmat Nobis, quo agatur spiritus, quaque virtute ac sapientia imbuta sit, dum tam festinanter, tam cupide, tam alacriter regalis aulæ, in qua nata atque alta est, splendorem, opes et commoda cum claustralis vitæ austeritate humilitateque commutat. Hoc itaque sanctissimi illius propositi illustri, ac ab omni posteritate memorando exemplo ita capti Nos atque illecti

sumus, tantaque immensi gaudii ac jucunditatis vi paternus animus noster redundat atque exuberat, ut nostro huic summo atque incredibili studio obsequentes maxime Nos ipsi interesse, ac sacræ illius vestitionis celebritatem peragere cuperemus, ut quanta maxima poset ad eam actionem etiam ex pontificia perfunctione nostra decoris ac splendoris fieret accessio. Sed quoniam optatis hujusmodi locorum intervalla Nos satisfacere non sinunt, idcirco specialiter ad id ipsum hisce litteris nostris deputamus te, Venerabilis Frater, ac ita destinamus, ut in ea peragenda sacræ vestitionis cæremonia nostras agas vices, nostroque nomine munus id præstes; eo enim modo tamquam Nos ipsi interessemus, ac dilectissimæ in Christo Filiæ nostræ animum ad castissimas sponsi sui Domini nuptias anhelantem præsentes intueremur, maximam atque egregiam videbimur adhuc magis amplificandæ lætitiæ nostræ causam adjunxisse. Præterea spiritualis thesauri largitione commune istius ordinis gaudium multo uberius ac luculentius efficere statuimus; eo enim sacræ vestitionis die omnibus, quæ per totam sunt Galliam Carmelitis excalceatis monialibus rite confessis ac sacra communione refectis, Deique omnipotentis clementiam pro catholicæ ecclesiæ exaltatione, pro carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum rege Christianissimo ejusque liberis, universaque regia domo, regnoque florentissimo, ac potissimum pro tanti gaudii Auctrice sanctissimi nunc instituti tyrocinium ineunte, ut exinde scilicet per divini spiritus majora in dies dona fiet amplius etiam sanctitatis, quam factum sit splendoris ipsi ordini ornamentum, studiose atque enixe deprecantibus plenariam indulgentiam benigne concedimus, tibique, Venerabilis Frater, mandamus, ut hoc nostrum salutare munus diligenter facias omnibus quibus opus est, mature innotescere; ac in pontificiæ nostræ benevolentiæ pignus, apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *julii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XC.

VENERABILI FRATRI

NICOLAO ANTONIO EPISCOPO VERONENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 julii 1770.

Venerabilis, etc. Egregium opus de occultis Dei beneficiis a cl. mem. Augustino Cardinali Valerio Prædecessore tuo conscriptum a te in lucem nunc editum esse, nostroque nomine inscriptum tam Nobis

fuit jucundum, quam esse debuit et pro doctissimi viri, ac de Ecclesia præclare meriti summa celebritate, et pro singulari ipsius operis utilitate. Eximii muneris præstantiam auget Litterarum sancti Caroli Borromei nunquam antea editarum, et laboris industriæque tuæ accessio in tribus Valerii libris in Italicum sermonem elegantissime convertendis. Quo pacto cum illos ad plurimorum cognitionem usumque deduxeris, cum ipso præstantissimo auctore præclari operis laudem dividere, ac communicare merito videri potes. Propterea et singulares tibi gratias, et judicii nostri quam amplissimum possumus, testimonium hisce litteris reddimus. Atque hoc quidem plurimum cumulari existimes. Ex perspecto Nobis illo tuo Bibliothecæ comparandæ instruendæque consilio, quod a studio atque ardore promovendæ communis, ac ad posteros etiam propagandæ utilitatis ac augendi istius Episcopatus splendoris profectum agnoscimus, tuæque doctrinæ, ac Episcopali muneri consentaneum ducimus, ac mirifice commendamus. Ex quo facile etiam intelliges, Venerabilis Frater, quæ nostra sit, et quam prolixa de te existimatio, cui parem respondere benevolentiam, ut persuasum tibi maxime esse possit, valde cupimus suppeditari Nobis opportunitates, quibus egregiam hanc de te voluntatem revera tibi comprobemus. Ac in Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *julii* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCI.

DILECTO FILIO

ANGELO MARIÆ BANDINIO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 julii 1770.

Dilecte, etc. Una cum litteris tuis tria Græcorum Codicum Catalogi a te editi volumina perlibenter accepimus, dilecte fili, tanquam præclarum tuæ non minus erga Nos, ac apostolicam hanc Sedem observantissimæ voluntatis quam doctrinæ studiorumque testimonium. Neque enim luculentioribus indiciis tuum de nostro Pontificatu gaudium significare Nobis potuisti, quam ejusmodi rebus, quæ ad bonarum artium cultum, ac incrementum conversam esse ingenii tui operam atque industriam declarant. Eam a te potissimum probatum iri polliceris in Ecclesiasticis scriptoribus tam Græcis quam Latinis, qui vel adhuc in tenebris lucent, vel mutili ac mendosi per manus hominum

circumferuntur, aut primum in lucem proferendis, aut ab inducto squallore vindicandis, idque te non frustra polliceri abunde Nobis fidem faciunt hactenus collati plurimi tui in rem litterariam labores, ac istius celeberrimæ Mediceæ bibliothecæ merito tuæ curæ fideique commissæ opportunitas. Haud unquam a te Nobis quidquam accidere poterit jucundius, nam verissime de Nobis sentis quod de nostro in litteras amore prædicas. Curabimus Nos certe, ut hoc judicium tuum confirmemus magis in dies egregio nostro in litteratos viros studio, ac plurimorum ingenia ad capessendas colendasque optimas disciplinas favore ac patrocinio nostro excitemus. Ex quo etiam intelligere potes, dilecte fili, qua in te simus pro hujusmodi tuis meritis voluntate, quamque ut ejus amplificandæ ulteriores semper causas extituras non ambigimus, ita et reipsa tibi declarandæ locum Nobis dari cupiamus. Ac in paternæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. ***Datum Romæ, etc., die 28 julii 1770, pontificatus nostri anno secundo.***

XCII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE VI AUGUSTI MDCCLXX.

Venerabiles Fratres. Quod tamdiu optavimus, Venerabiles Fratres, quod a Deo Optimo Maximo precati semper sumus, in quo cogitationes, et curæ nostræ assidue sunt versatæ, illud tandem summo divinæ Clementiæ munere sumus consequuti. Carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Portugalliæ et Algarbiorum Regem fidelissimum paterni Nostri amoris officiis excitare vix cœpimus, cum repente pietatem erga Nos suam ultro alacriterque ad Nos deferentem conspeximus, et pristinam illam, atque a Majoribus suis tanquam præclarissimam hæreditatem sibi transmissam, nimirum suam erga Apostolicam hanc Sedem devotionem novis ac maximis filialis in Nos animi significationibus auctam, et cumulatam lætati sumus. Testatos etiam omnibus ac manifestos præclaros hos suæ in Nos voluntatis sensus esse voluit venerabili fratre Innocentio archiepiscopo Tyri misso ad eum ordinario Nostro Nuncio singularibus honoris atque amoris indiciis nuper excepto. Qui simul ac in Lusitaniæ fines pedem intulit, nova omnino atque inusitata decora, ac ornamenta in sui Apostolici mu-

neris dignitatem collata, et congesta esse vidit. Fidelissimum autem Regem cum primum adiit, eximiæ in illum gratiæ, ac benevolentiæ in Nos amoris, studii, ac officiorum omnium illustria, ac mirifica plane testimonia extiterunt. Quamobrem incredibili animi jucunditate perfundimur, ac immortales Deo omnipotenti gratias reddimus, atque habemus, Venerabiles Fratres, qui temporum ac rerum rationes ita comparatas, ita voluntates affectas esse voluit, ut hæc Nostri Pontificatus initia tantæ rei successu, tamque insigni in Ecclesiam collato beneficio illustraret. Quod quidem eo manifestius Deo ipsi referendum intelligimus, quo magis videmus nihil esse, quod inde Nobismetipsis ac diligentiæ industriæque nostræ tribuamus. Verum ut nullam partem ex hoc tam egregio opere arrogare Nobis possumus, ita amplissimam profecto, ac pulcherrimam veræ gloriæ accessionem esse factam agnoscimus, ac fatemur ad summas Fidelissimi Regis laudes, qui religionem ac pietatem suam tanta in Nos amoris magnitudine palam omnibus comprobaverit. Quæ quo illustrior est ac præstantior illius laus, eo uberior est etiam jucunditatis Nostræ ratio cum quem paterna caritate semper complexi, cuique fausta, gloriosa, atque optima quæque precati sumus, eundem insignitum esse, atque ornatum hujusmodi præcellentibus in Ecclesiam meritis videamus. Verum amplioribus etiam extendi finibus lætitiæ Nostræ rationes intuemur. Certissime enim confidimus, Vobisque recipimus luculentiorem futuram in dies, et clariorem hujusmodi optimam Carissimi in Christo Filii Nostri erga Nos voluntatem, ejusque novis, atque illustrioribus religionis ac pietatis argumentis, atque in Apostolicam hanc sedem, et in universam Ecclesiam meritis Nos una Vobiscum, Venerabiles Fratres, esse perpetuo lætaturos.

XCIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 augusti 1770.

Carissime, etc. Litteris, quas nuper accepimus, certiores Nos fecit adventus in tuam Regiam urbem sui Venerabilis Frater Innocentius Archiepiscopus Tyri noster et Apostolicæ Sedis missus ad Majestatem Tuam Ordinarius Nuncius, unaque diligenter perscripsit, ex quo primum pedem in tuum Regnum intulisset, tantis exceptum fuisse ho-

norificentissimis tuæ benignitatis indiciis tantisque in urbem ornamentorum, ac decorum accessionibus invectum, ut nihil magnificentius, nihil ad suam suique Apostolici muneris gloriam fieri potuerit cumulatius, cum porro primum Majestatem Tuam de more adiisset, amplas atque illustres fuisse ac plane mirificas humanitatis in se ac gratiæ tuæ in Nos vero ac Apostolicam hanc Sedem amoris, devotionis, ac studii declarationes. Cum hæ recitarentur litteræ triumphare quodammodo visa Nobis fuit suscepta ex intima animi caritate, mutuisque officiis constituta jam et corroborata inter Nos pietatis contentio. Proinde incredibilem in modum augeri nostrum, atque exagerari gaudium sensimus, nec contineri nunc possumus, quin idem tibi, carissime in Christo Fili Noster, per has litteras communicemus, unaque maximas ac immortales agamus gratias ob luculentissimas illas, ac partim novas amoris in Nos tui, ac in Apostolicam Sedem devotionis significationes, quibus mirifice confirmas Nobis non solum quo in præsentia sis erga Nos animo, sed etiam quæ tua futura sit hujusmodi egregiæ voluntatis ac initæ Deo ipso auspice atque auctore inter Nos consensionis constantia. Quæ officia nostra ita Regiæ Majestati Tuæ persolvimus, ut alacrius in Nobis quam sit, ac uberius hujusmodi studium desiderare non possis. Desideramus Nos quidem maxime eas opportunitates, quibus nostros hos tibi sensus, quos vix nunc verbis assequi possumus, reipsa magis in dies comprobemus. Interea quod Dei Ecclesiæ Regnoque tuo bene vertat, mutui inter Nos certemus, ut cœpimus, pietatis officiis, eumque in modum divina in Nos uberiora semper ac splendidiora beneficia provocemus. Demum Apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ, Carissimæque in Christo Filiæ nostræ, Conjugi Tuæ Reginæ Fidelissimæ, ac tuis omnibus dilectissimis Nobis in Christo liberis ex intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *augusti* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCIV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMITI DE ŒYRAS,

REGIS FIDELISSIMI SECRETARIO STATUS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 augusti 1770.

Dilecte, etc. Litterarum Venerabilis Fratris Innocentii Archiepiscopi syri nostri et apostolicæ Sedis apud carissimum in Christo filium

nostrum Josephum Portugalliæ, et Algarbiorum regem fidelissimum ordinarii nuncii novissime ad Nos datarum pulcherrimum illud fuit, nobisque jucundissimum argumentum, dum non solum advenisse jam se isthuc scribit, sed et cum regni fines ingrederetur, et cum principem iniret urbem, et præcipue cum ad Majestatem suam primum sibi datus esset aditus, perhonorificis Regis erga se benignitatis ac gratiæ erga Nos vero ac sanctam hanc Sedem amoris, studii, pietatis ac officiorum omnium significationibus ita exceptum atque amatum fuisse, ut ad sui apostolici muneris gloriam neque splendidius neque cumulatius quidquam accedere potuerit. Ea re Nos incredibiliter lætati sumus, cum tantis tamque luculentis regiæ voluntatis monumentis, tam bene confirmari mutuam inter Nos animorum conjunctionem videremus. Renovatum proinde nostrum hoc gaudium, tantisque accessionibus mirifice auctum, dum nostris litteris Majestati Suæ Fidelissimæ significamus, eique luculentissima ac maxima, quæ possumus gratiarum officia ex intimo animi sensu persolvimus, facere minime possumus, dilecte fili nobilis vir, quin eodem tempore ex ea plurima egregiaque parte, quam in constringenda arctius mutua inter nos benevolentia habuisti, conjicientes quid nunc etiam in eadem publice ac tam præclare declaranda confirmandaque præstiteris, gratissimæ tibi nostræ omnique paterna caritate ac gratia cumulatissimæ voluntatis exhibeamus testimonia. Quæ quidem cum tanta tuæ erga Nos pietatis ac devotionis fiducia conjungimus, ut quo præcipue suasore ac impulsore nostrum illud gaudium exortum primo esse, ac nunc auctum agnoscimus, constantibus ejusdem consiliis majori in dies incremento amplificatum iri non dubitemus. Hujusmodi amplissimorum erga Nos, ac apostolicam hanc Sedem meritorum tuorum eam semper a Nobis haberi rationem cognosces, quæ par sit egregiæ singularique nostræ in te paternæ benevolentiæ, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *augusti* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCV.

DILECTIS FILIIS

CAPITULO ET CANONICIS CATHEDRALIS

ECCLESIÆ KIOVIENSIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 11 augusti 1770.

Dilecti, etc. Jampridem isthinc per vim abductum Venerabilem

Fratrem Andream episcopum vestrum ægerrime ferimus adhuc longe in custodia destineri, neque posse suo adesse ac consulere gregi, quod illi præ cæteris, quæ perfert putamus esse molestissimum. Huic nunc dolori nostro accessit cumulus ex obitu Venerabilis Fratris Antonii episcopi Coronensis, cui interim fuerat istius Ecclesiæ cura, et episcopatus administratio commissa. Vobiscum itaque, quos ea morte perculsos arbitramur, luctum hunc dividentes, statim ad hanc etiam reparandam Kioviensis ecclesiæ jacturam apostolica sollicitudine excitamur, ac proinde ex peculiaribus facti circumstantiis nostram mentem digne moventibus, attento dicto obitu Antonii Gorczynski episcopi Coronensis, apostolica nostra auctoritate, durante tamen tempore violentæ detentionis episcopi Kioviensis, et Czernicoviæ confirmamus, et quatenus opus sit, deputamus ad regimen diœceseos, et procurationem mensæ totiusque episcopatus administrationem dilectum filium Cajetanum Rosciszenski scholasticum cathedralis, ita ut a nemine sub quocunque prætensi juris, et privilegii prætextu ab eadem administratione exturbari valeat, ac in omnibus, et per omnia servata forma, et cum omnibus facultatibus, quibus ex epistola in forma Brevis sac. mem. Clementis XIII, data die XXIII aprilis MDCCLXVIII prædictus Antonius Gorczynski confirmatus et deputatus fecit. Ex hac sollicitudinis nostræ ratione, quam in ecclesiam istam conferimus, cupimus persuasum etiam vobis sit, dilecti filii, de paterna nostra erga vos vestrumque collegium plurima caritate, in cujus pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 11 *augusti* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCVI.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMMANDATORI DE ALMADA

FIDELISSIMI REGIS APUD SANCTAM SEDEM MINISTRO PLENIPOTENTIARIO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 augusti 1770.

Dilecte, etc. Cum perspecta sit pietas Nobis tua, dilecte fili nobilis vir, ac plurima erga sanctum Josephum de Cupertino tui animi devotio, et cum eadem valde cum nostra congruat (mirifice enim et illius virtutes admiramur, et patrocinio adjuvari confidimus) ipsam studio etiam erga te nostro fovere, atque auctiorem alacrioremque quodammodo reddere decrevimus. Mittimus proinde tibi ejus sancti

effigiem *affabre a dilecto filio Josepho Bosi depictam, cujus et colorum varietas et delinationis artificium Nos mire delectat*, atque ita mittimus, ut multo pretiosiorem nostra benedictione eamdem reddamus. Præterea quod maxime pietati tuæ fore gratum arbitramur, tibi dum eamdem penes te habere volueris, seu alii, quicumque ipsa ex tuo dono potitus sit, quoties confessus ac sacra Communione refectus ante eamdem rite oraveris, seu oraverit, toties Indulgentiam plenariam apostolica nostra auctoritate benigne concedimus. Atque hoc etiam sit, dilecte fili nobilis vir, nostræ singularis erga te paternæ caritatis argumentum cujus magis etiam confirmandæ gratia apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ peramenter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 16 *augusti* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 septembris 1770.

Carissime, etc. Gratificati libentissime Regiæ Majestati Tuæ sumus, ut dilectum filium nostrum Joannem de Cunha Archiepiscopum Eborensem luculento apostolicæ remunerationis testimonio prosequeremur, ac in sacrum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptaremus, neque dubitamus, quin hæc etiam eximiæ pontificiæ in te voluntatis significatio tibi futura sit acceptissima. Nunc, quod superest, actionem hanc nostram de illo ornando complentes, Purpureum Biretum eidem transmittimus per dilectum filium Cæsarem Lambertinum intimum Cubicularium nostrum. Hunc quidem adolescentem etsi et generis splendore et propriis etiam egregiæ indolis morumque laudibus instructum injuncto hoc munere dignissimum existimemus, habet tamen ille inter cetera singulare hoc decus, ut sa. mem. Benedicti XIV. prædecessoris nostri sapientissimi Pontificis sit fratris nepos. Qui sane Pontifex quanti Majestatem Tuam fecerit, quamque præclaro Te Regnumque tuum studio complexus semper fuerit, cum perspectissimum tibi sit, erit nunc Regiæ humanitatis tuæ, si eundem tam benigne exceperis, ut gratam tibi magni patrui sui memoriam esse, ac plurimum apud te valere sentiat. Quod profecto Nobis ita erit jucundum, ut quidquid in illum conferes benignitatis ac clementiæ tuæ,

nostra quoque causa collatum id esse arbitraturi simus. Eandem illam etiam sui muneris partem diligentissime obiturum confidimus, quam ipsi præcipue mandavimus, ut cumulatissimos scilicet paternæ nostræ caritatis sensus luculentissime confirmet Majestati Tuæ, cui apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

Idem arg. Reginæ, Infantibus Portug. etc.

XCVIII.

DILECTO FILIO NOSTRO

ALOYSIO CONSTANTINO SANCTÆ ROMANÆ

ECCLESIÆ PRESBYTERO CARDINALI DE ROHAN

EPISCOPO ARGENTORATENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 septembris 1770.

Dilecte, etc. In iis actionibus tuis, de quibus, quam gratæ scilicet Nobis teque dignæ fuerint, significavimus tibi per venerabilem fratrem Johannem Baptistam Archiepiscopum Iconii nostrum, et apostolicæ Sedis ad Tractum Rheni ordinarium Nuncium, tuque deinde nobiscum per litteras egisti, non possumus, dilecte fili noster, in rescribendo non fateri perspicue Nos agnoscere et nobilissimum animum tuum, et plane consentaneam Episcopali ministerio, quod tanta cum laude geris, sapientiam ac virtutem. Hos de te sensus ex ceteris rebus tuis jamdiu percepimus, nunc vero majorem in modum confirmavimus, tibique eas reddimus atque habemus gratias, ut majores etiam in dies, si res tulerit, actura Nos esse confidamus. Ex quo vides, dilecte fili noster, quantam de virtute animi tui geramus opinionem, quantique episcopalem tuam erga Nos, et Apostolicam hanc Sedem observantiam, studium ac fidem faciamus. Gratissimum Nobis erit, si tibi persuaseris parem tuis egregiis ac singularibus de Ecclesia meritis in Nobis esse erga te caritatem, cujus fructus tibi, quotiescumque locus fuerit, amplissimos pollicemur. Ac in hujus Pontificiæ erga te cumulatissimæ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

XCIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 septembris 1770.

Carissime, etc. Etsi pro singulari sapientia tua, et eximia in Nos atque apostolicam Sedem pietate tantis ac tam luculentis indiciis jampridem Nobis cognita ac perspecta, summa atque amplissima jam omnia a Regia Majestate Tua speraremus, tamen ex nuper allato Nobis nuncio de reintegrata omni pristinæ necessitudinis, mutuorumque inter Nos officiorum consuetudine, tanta voluptate affecti sumus, ut si nova atque inexpectata hæc Nobis contigissent, majorem lætitiæ ubertatem afferre non potuissent. Quemadmodum enim et ad Regni ac nominis tui gloriam, et ad Ecclesiæ dignitatem magnopere pertinere arbitrabamur, atque idcirco summa alacritate atque ardore animi cupiebamus, ut manifesta aliquando fierent omnibus præclara tua in Nos studia, atque Nobis invicem libera ac patefacta esset ratio paternæ nostræ in te propensissimæ cumulatissimæque voluntatis palam faciendæ, ita cum consequuti nunc illud per te simus, inusitata omnino atque incredibili magnitudine jucunditatis perfundimur. Quo egregio tuo facto tibi gloriosissimo Nobisque optatissimo amor in te noster, qui summus semper fuerat, tam mirifice est auctus, ut nihil carius, nihil jucundius habeamus, quam de te cogitare, te intueri, actionisque tuæ præstantiam assiduo animo recordari. Quamobrem tibi æque ac Nobis ipsis de excellenti tua laude, quam maxime possumus, gratulamur, atque immortales tibi gratias et reddimus et habemus, majores tamen animo concipimus, quam explicare ulla verborum ac orationis vi possimus. Sed Christum Dominum, cujus vicem, licet immerentes sustinemus divinæ suæ gratiæ divitiis te pro ingentibus his tuis de Nobis meritis remuneraturum confidimus. Ille te tuamque regiam domum ex veteri Majorum tuorum instituto, religione atque in Ecclesiam pietate ac studio præstantissimam præsidio suo tueatur atque muniat. Ille carissimam in Christo filiam nostram Mariam Annam Victoriam conjugem tuam Reginam Fidelissimam ac Dilectissimos in Christo filios nostros optimos liberos tuos omni virtutum laude florentes tibi, te illis invicem regni sancte feliciterque administrari gloria ornatissimum diutissime servet incolumem. Hanc optimam atque expeditissimam referendæ tibi gratiæ viam esse arbitramur,

ut prout facimus pro tua tuæque regiæ domus felicitate, ac perpetua inter Nos conjunctione misericordiarum Patrem, ac Regum Regem deprecari nunquam desistamus. Hæc nostra apud Deum subsidia Majestati Tuæ nunquam defutura pollicentes nostri devinctissimi animi egregium pignus cælestium munerum auspicem apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, universæquæ regiæ domui tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

C.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMITI DE ŒYRAS,

REGIS FIDELISSIMI SECRETARIO STATUS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 septembris 1770.

Dilecte, etc., Incredibiliter sane lætati sumus allato nuper ex Lusitania nuncio de reintegrata inter Nos, ac carissimum in Christo filium nostrum Josephum Portugalliæ et Algarbiorum regem fidelissimum pristina necessitudinum ac officiorum omnium consuetudine, patefactaque utrinque non magis rerum aliarum, quam summæ caritatis, ac mutuæ pietatis communicandæ via. Ex quo optimi regis eximium erga apostolicam Sedem, ac universam Ecclesiam animum, etsi antea etiam plurimis argumentis perspectissimum, tamen eum in modum confirmari Nobis tam cupide ac libenter cognovimus, ut eum diem, quo tam egregium factum ad nos est perlatum, faustissimum Nobis habendum ex omnibus, quos unquam vidimus, ac lætissimum arbitraremur.

Præclare Nos etiam novimus, quæ tuæ in eo et inchoando et perficiendo negotio quam præstantes ac eximiæ partes fuerint. Proinde operam hanc omnem qua et Nobis maxima observantiæ ac pietatis studia, et luculentissima fidei atque industriæ tuæ officia Regi detulisti, summa tuarum laudum prædicatione et gratiarum actione prosequimur; quod ita a Nobis fieri puta, ut majori cumulatiorique animi contentione præstare non possimus. Gratissimos hujusmodi omnique officiorum genere cumulatissimos sensus nostros dum Regi per litteras, ut debemus, declaramus, eosdem verborum vi, prout illi a Nobis concipiuntur, assequuti plane non sumus. Petimus a te itaque, ut in hoc etiam Nos adjuves ac eam Majestati Tuæ paternæ nostræ voluntatis effigiem exhibeas, qua ille maxime lætatur, tuoque in Nos summo

amori eximie responderi a Nobis intelligat. Quod dum præstabis, Nosque hac quoque re valde devincies, vehementer cupimus, ut eodem tempore, et de luculentissimo animo in te nostro, studioque ac caritate plane singulari cogites. Ita enim tibi persuaseris nihil magis a Nobis expeti, quam hanc tibi tam gratam voluntatem reipsa declarandi locum; neque enim quidquam decoris ornamenti esset, quod ad tuam laudem per Nos non cumulatissime accederet. Ac omnia tibi familiæque tuæ fausta semper ac felicia a Dei benignitate deprecantes apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ*, 20 *septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CI.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV

ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXIV SEPTEMBRIS MDCCLXX.

Venerabiles Fratres. Non sine divino consilio evenisse putamus, Venerabiles Fratres, ut quæ vobis significare die vigesima hujus mensis decreveramus, ad hodiernam diem differre debuerimus. Hæc enim dies, illa est, qua sex ab hinc lustris noster in urbem adventus nostrorum cum superiorum voluntate decretus fuit, auctoritateque ac jussu confirmatus. Hæc ipsa est dies, qua licet immeriti prorsus, ac renuentes, huic vestro sacræ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegio adscripti fuimus. Hæc postremo dies illa nunc est, quam elegit Dominus, ut exultemus, et delectemur in ea.

Quod enim certissime confidebamus, Venerabiles Fratres, vobisque receperamus, futura cumulatiora in dies præclara illa Carissimi in Christo filii nostri Josephi Portugalliæ et Algarbiorum regis fidelissimi in Nos studia, ejusque novis atque illustrioribus pietatis indiciis, ac in Ecclesiam meritis Nos una vobiscum perpetuo lætaturos, reipsa fuit id jam apertissime luculentissimeque comprobatum. Amplas ipsa spes pollicitationesque nostras, pleniores etiam sunt atque uberiores rerum exitus consecuti. Egregia pristina illa inter Nos Regemque Fidelissimum non solum est redintegrata necessitudinum officiorumque omnium consuetudo, verum etiam admirabili quodam caritati ac pietatis consensu major, quam unquam antea fuerat, stabilita ac roborata conjunctio. Cum hæc vobis futura prædiceremus, non incerta atque ex cupiditate ac desiderio nostro profecta divinatione,

sed intimo ac firmissimo quodam judicio movebamur, gravissimis causis, summaque ratione suscepto. Maximum ac certissimum habebamus fiduciæ omnis nostræ initium, ac fundamentum, ipsum Carissimi iu Christó Filii Nostri jampridem Nobis tot verissimis indiciis declaratum animum, illius religionem, pietatem, fidem cum singularibus suis, suorumque Majorum, totiusque Regiæ Domus in hanc sanctam Sedem studiis conjunctam.

Sed quanquam in hæc intuentes optimos rerum omnium eventus jam tum cogitatione præciperemus, tamen allato nuper e Lusitania faustissimo nuncio tam inusitata ac tam incredibili jucunditate perfusi sumus, ut si nova, ac inexpectata ista Nobis accidissent, majorem capere lætitiæ fructum non potuissemus, illo auspicatissimo die nullum unquam Nobis neque jucundiorem illuxisse, neque lætiorem diem. Uno eodemque tempore observabantur animo hæc omnia : optimi Regis eximia ac singularis virtus, hoc præstantissimo opere i mensa ad immortalem ejus nominis gloriam facta accessio, Ecclesiæ utilitas, Apostolicæ Sedis dignitas, omnium bonorum plausus, ac in Vos potissimum summa inde redundatura lætitia. Quæ singula ingentem jucunditatis causam afferebant, universa summi gaudii nostri magnitudinem mirum in modum cumulabant.

Cujus igitur sapientia, religione, atque erga Nos pietate hæc est animorum in Nos profecta jucunditas, quanta alacritate, qua mentis contentione danda a Nobis erit opera, ut eidem Nos memores, ut gratissimos, ut illius felicitatis, ac gloriæ cupidissimos declaremus? Quæ caritatis, atque amoris studia, quæ laudis, honoris, atque existimationis ornamenta in eundem erunt conferenda, quem gloriosissimi clarissimique facti auctorem esse agnoscimus? Sed in commemorandis egregiis illius de Nobis meritis minime sunt ab ipso disjungendæ Carissimæ in Christo Filiæ Nostræ Mariæ Annæ Victoriæ illius præstantissimæ optimæque Conjugis Reginæ Fidelissimæ laudes. Cum illa eximiam Regis æmulata voluntatem singularibus studiis exarserit, ut de Nobis, ac de Ecclesia universa præclarissime mereretur, suæque in Nos pietatis hoc præcipue tempore illustriora monumenta posuerit, summis a Nobis est et immortalibus commendationum et gratiarum actionibus exornanda. Pari præterea animo in omnem Regiam Nobisque dilectissimam Domum affectos Nos esse oportet; cujus ad veteres præcellentes virtutes accedunt inde nova nunc ac maxima gloriæ, et in Nos meritorum incrementa. Quæ vero et quanta esse debet nostra etiam de dilecto Filio nobili viro Comite de Oeyras Fidelissimi Regis secretario Status laudum, atque honorum prædicatio? Cujus præter cæteras commendationes nunc maxime illustria ergas Nos studii atque

observantiæ, et erga Regem singularis obsequii ac fidei testimonia extiterunt. Perhonorifice itidem est a Nobis nuncupandus dilectus Filius nobilis vir Commendator de Almada ejusdem Regis apud Nos Minister Plenipotentiarius, quem pios ac præclaros Regii animi sensus ad Nos sæpe deferentem perlibenter excipimus, quemque ob suam in eo perfungendo munere operam ac diligentiam plurimi facimus. Demum omnes Regiæ civitatis ordines, ac omnis Ulyssiponensis populus, qua erga Nos, et hanc Beati Petri Cathedram intima animi devotione flagraret, eximie gaudio illo, ac pœne triumpho declaravit, quo elatus ac inflammatus fuit, cum Regis exemplo, ejusque sapientissimo facto ac ab omni posteritate commemorando ad suam erga Apostolicam Sedem palam expromendam pietatem excitaretur.

Quæ quidem omnia vobiscum, Venerabiles Fratres, pro ea quæ inter Nos est conjunctione, communicanda nunc duximus, ut diffusiorem ac splendidiorem quodammodo lætitiam hanc nostram faciamus. Præstantissimo hoc Fidelissimi Regis opere existimate jucundissimum vobis esse munus impositum, ut gratam vestram, atque in illum studiosissimam voluntatem publicis etiam lætitiæ signis præferatis, ut omni laudum genere illum pro tam insignibus meritis prosequamini. Sed illam unam præclarissimam atque expeditissimam gratiæ referendæ viam esse putate, si Dei benignitatem pro ipsius incolumitate, Regiæque Domus gloria, Regnique felicitate deprecari nunquam desistatis.

Nos profecto in id maxime semper incumbemus, ut in dies magis possit, quanta in ipsum sit caritatis, studii, atque amoris nostri magnitudo, cognoscere. Interea Deo Optimo Maximo pro collato Nobis suæque Ecclesiæ tam excellenti beneficio, quantas maximas possumus, gratiarum laudes publice persolvemus. Illuc vero summa paterni animi contentione effusissimas nostras ad Deum preces assidue dirigemus, illuc etiam Populi hujus Fidelissimum Regem, ac omne Lusitanum nomen summis laudibus extollentis, universæque Almæ Urbis Nostræ miro gaudio elatæ vota convertemus, ut quanto ampliora sunt optimi Regis de religione merita, tanto auctiores suas suique Regni fortunas atque copias, et veræ ac solidæ gloriæ fructus divinæ gratiæ munere lucupletiores esse intelligat.

CH.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 septembris 1770.

Carissime, etc. Etsi libenter Majestatem Tuam rogamus de regio tuo Ecclesiæ Nobis commissæ præstando patrocinio cum ejusdem rationes postulare id videntur, multo tamen libentius gratias agimus, cum præstantis animi tui studia illuc egregie conversa et collata esse intuemur. Id nuper a te, carissime in Christo fili noster, factum esse maxima cum voluptate perspeximus. Cum enim opportunitate temporis usi, quo venerabiles fratres Galliæ episcopi in comitiis congregati statuere aliquid contra impias scriptorum, quæ quotidie vulgabantur, opiniones vellent, eosdem tibi pro Dei causa consultantes vehementer commendassemus, tua illi religione, tuo patrocinio freti ea suscepere consilia, quæ res ipsa postulabat; tuque ipse sapientissimis jussis, atque auctoritate tua præclara, ac egregia regiæ jamdiu in te perspectæ fidei, ac virtutis documenta renovasti. Incredibiliter sane, cum hæc Nobis referrentur, lætati sumus, ac omnipentis Dei opem præsto esse agnovimus, qui suum Numen contemnentium temeritati atque insaniæ eum in modum restiterit. Tibi itaque ejus causæ vindici ob hujusmodi tuæ gloriæ incrementum tam enixe, ac tam cupide gratulamur, tantasque habemus, ac tam immortales gratias, ut alacriore ac luculentiore animi nostri sensu id ipsum præstare, ac præ Nobis ferre nequeamus. Videmus enim ea re consultum a te optime esse et religioni, quod maxime intererat, et tuæ tuique regni securitati, et populorum a Deo tibi commissorum, intimæ tranquillitati ac quieti. Qua ratione siquidem salva atque incolumis esse res omnis publica potest, cum quæ sanctissimo religionis jure septa, et munita sunt, eadem per summam absurdissimarum opinionum immanitatem convellantur? Hæc Nos mirifice in ea confirmant fiducia, nihil imposterum in hoc genere accidere posse, in quo non ante tibi gratiarum actionis, quam commendationis officium sit a Nobis deferendum. Ad has publicas et gravissimas grati tibi animi nostri declarandi rationes accedit etiam peculiaris, Nobisque jucundissima causa humanitatis patrocinii, ac gratiæ tuæ qua venerabilem fratrem Bernardinum archiepiscopum Damascenum nuncium apud te nostrum pro regia animi tui benignitate, ac in Nos pietate complecteris. Egregie ab eodem satisfieri suo a Nobis imposito muneri perspicue intelligimus, cum tan

gratum tibi acceptumque illum esse videamus. Etsi igitur propensi vehementer simus ad illum merito beneficiis nostris exornandum, multo tamen tua commendatione propensiores efficimur, ac quidquid in ipsum ornamenti collaturi erimus, id a Nobis libentissime præstari pro tuo hujusmodi honorificentissimo erga eum studio operam dabimus, ut cognoscat, ac Majestati Tuæ gratias referat. Ac in paternæ singularis caritatis argumentum apostolicam benedictionem, carissime in Christo fili noster, tibi amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 26 *septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CIII.

VENERABILI FRATRI

CAROLO ANTONIO ARCHIEPISCOPO RHEMENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 septembris 1770.

Venerabilis, etc. Justissimus est dolor tuus, Venerabilis Frater, planeque consentit cum nostro, quo jamdiu afficimur ob pravas ac impias, quæ vulgantur in dies, opiniones, quibus et religionis, et reipublicæ, et omnis prorsus humanitatis fundamenta convelluntur. Proinde ex quo ad hanc beati Petri cathedram conscendimus, illud maxime semper curavimus, ut tam monstrosi ac venenati absurdissimorum ingeniorum partus nostrarum proscriptionum auctoritate aut præfocarentur statim, aut saltem e manibus hominum extorta minus offensionis, ac detrimenti parerent. Ad quam gravissimam Nobiscum suscipiendam curam ceteros etiam universi orbis Episcopos epistola encyclica ad eosdem die XII decembris MDCCLXIX data diligenter excitavimus. Cum vero perlatum ad Nos esset de habendis Cleri vestri gallicani comitiis, in quibus certum Nobis erat pro nostra plurima et doctrinæ vestræ, et episcopalis vigilantiæ existimatione vos esse de avertendis ejusmodi malis in medium accuratissime consultaturos vehementer exarsimus, ut opportuna vobis carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis christianissimi, cujus in religionem animus Nobis erat perspectissimus, præsidia pararemus. Ad eumdem igitur tunc litteras dedimus, quibus quanta maxima potuimus apostolici animi vi, ac obsecratione ab eo contendimus, ut vos religionis. Deique causam pertractantes commendatissimos sibi esse vellet, regiaque voluntate sua incœpta et consilia vestra sustentaret ac fulciret. Lætati quidem summopere postea sumus ipsum christianissimum regem, et suæ in Deum fidei, et nostræ de ipso expectationi præclare,

ut scitis, satisfecisse, eique nunc maximas atque immortales idcirco agimus atque habemus gratias, quod tanto studio tuenda religionis unaque regiæ potestatis jura susceperit. Quapropter, Venerabilis Frater, cum ad hæc tanta vobis præsidia comparata, vestra etiam tam præclara in importunam illam scribendi opinandique licentiam decreta accesserint, delectati maxime sumus, eas nunc vestras extitisse episcopalis operæ, atque auctoritatis partes, quibus, quantum in vobis est, illa possit coerceri, atque opprimi tandem impietatis audacia. Id Nobis majorem in modum persuadet vestra omnium in tam salutare consilium consensio, quod enim conjunctim tanto animorum ardore, tantaque sapientia statuistis, minime dubitamus, quin quisque porro sit pro sua virili parte summa opera, sedulitate, industriaque curaturus. Mirifice itaque probamus, ac commendamus has vestrorum comitiorum actiones, quæ de summa fidei ac religionis nostræ versatæ sunt, in iisque Episcopali vestro muneri plane consentaneam sollicitudinem, zelum, ac vigilantiam agnoscimus. Quarum laudum partem in te maximam jure redundare existimamus, qui eisdem præfueris comitiis, eorumque consiliorum potissimus auctor fueris. Quod vero etiam de hisce decretis vestris ad Nos pro tuo munere perscripseris, gratum id Nobis vehementer fuit; una enim quæ tua sit erga Nos, ac Apostolicam hanc Sedem observantia ac fides luculento ejusmodi officio declarasti. Quare te cum ceteris Venerabilibus Fratribus collegis tuis plurima nostra prosequimur caritate, atque iis extollimus, quæ vestro in Ecclesiam studio, ac in tuendum commissum vobis gregem diligentiæ sint dignæ, maximis scilicet ac verissimis laudibus, quibus eam etiam conjungi hortationem nostram existimate, quæ vos etsi sponte ea, quæ ad divinam gloriam conducunt, capessentes adhuc magis incitet, ac inflammet. Hujusmodi nostros sensus vehementer a te cupimus, ut cum iisdem collegis tuis nostro nomine communices, ac participes etiam ipsos facias Apostolicæ benedictionis, quam in pontificiæ cumulatissimæ voluntatis pignus tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum, etc.,* 26 *septembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CIV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM
REGI FIDELISSIMO
CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 27 septembri 1770.

Carissime, etc. Cum publice persolverentur Deo Optimo Maximo

a Nobis una cum universa civitate laudum actiones pro singulari Majestatis Tuæ in Nos pietate præclarissimo illo opere palam omnibus facta, pro quo tibi summas atque immortales egimus, ac semper habebimus gratias, cumque pro incolumitate tua, felicitate ac gloria certatim omnes vota faceremus, ac omnibus lætitiæ signis almam hanc Urbem nostram editis quanto elati essemus gaudio, testaremur; eam etiam prætermittere noluimus animi nostri declarationem in qua mystica summæ in Domino jucunditatis ratio continetur. Rosam igitur auream a Nobis solemnibus cæremoniis consecratam detulimus ad Lusitanæ Nationis Sancti Antonii templum, tota pœne urbe ad celebritatem Nobiscum confluente, eamque dono ibidem reliquimus, ut esset immensæ illius lætitiæ, nostrique gratissimi, suique ac omnis Regiæ Domus amantissimi animi, ac in omnem istum populum potestati tuæ subjectum paternæ, propensissimæ voluntatis perpetuum atque illustre monumentum. De quo nunc tibi, Carissime in Christo fili noster, perscribimus, ut nostri erga te amoris magnitudinem hoc quoque testimonio ex ipsa religione deducto, ac in posteritatem omnem sancte pieque asservando intelligas. Sed iis rationibus omnibus, quascumque excogitare Nos valemus, patentiores profecto clarioresque reddere sensus erga te nostros possumus, æquare tamen eosdem, prout a Nobis percipiuntur, non possumus. Hoc tamen ipsum, si de Nobis Majestati Tuæ persuasum fuerit, summo ejusmodi desiderio, ac studio nostro tunc esse quodammodo satisfactum arbitrabimur. Ac ex intimo paterno corde depromtam Regiæ Majestati Tuæ, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis sub annulo Piscatoris die 27 septemrbis* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 10 octobris 1770.

Carissima, etc. Etsi Apostolicæ Majestatis Tuæ postulatum, quod in humanissimis litteris ad Nos die XII maji proxime præteriti a te datis, ac per dilectum filium nostrum Alexandrum cardinalem Albanum Nobis redditis continebatur, et reipsa gravissimum, et delibera-

tu difficillimum foret, nequaquam tamen passi essemus, ut tandiu responsum nostrum desiderares, nisi illo ipso tempore, quo ad te jam perscriptam daturi eramus epistolam, allata ad nos quædam essent, quibus auditis suspendere consilia nostra, et cunctari aliquantulum necesse esse videremus. In iis tum ad te perscribendis litteris spectabamus maxime in animi tui virtutem ac religionem, qua præclare cognosceres, quantum est Romanorum Pontificum sententiæ in iis, quæ ad Ecclesiam fidemque spectant, deferendum; ac proinde plurima cùm fiducia declarabamus tibi, quid te toto illo Munkacsiensi negotio sentiremus; multæ scilicet objici Nobis, ne vicarium Munkacsiensem ab omni episcopi Agriensis potestate eximamus. Animum præterea nostrum valde in eo repugnantem esse, ut idem ab omni episcopi latini jure omnino subtrahatur, aut intra eos tantummodo juridictionis fines includatur, intra quos episcopi suffraganei suis sunt Metropolitanis subjecti. Hujusmodi animi nostri sensu tibi primum patefacto, illud deinde subjiciebamus, descensuros nihilominus tandem Nos esse ad constituendum aliquem ex latinis vicariis illi inspectorem seu moderatorem, qui diversus ab Agriensi sit de cujus animi duritie plurimæ tibi ab eodem vicario querelæ quotidie deferuntur. Ad quod consilium inducebamur in te intuentes, carissima in Christo filia nostra, cui Munkacsiensium rerum, locorumque ratio exploratissima esse poterat, ac prorsus acquiescebamus diuturnæ tuæ in regno sapientissime moderando sapientiæ, summoque illi ab insita virtute fideque tua profecto studio, quo tantum abest, ut quidquam promoveas, quod in spirituale tuorum populorum detrimentum redundare possit, ut quamlibet etiam offensionis, ac periculi speciem evitandam diligentissime cures. Cum ita animo comparati essemus, ac in eam tibi rescriberemus sententiam, certiores isthinc facti fuimus, Venerabilem Fratrem Carolum episcopum Agriensem in eam spem venisse, fore, ut ipso, tibi referente, facile intelligas, vicarium Munkacsiensem longe ab eo distare, ut vindicari a pristina subjectione ullo modo mereatur, plenamque periculi rem esse, si, pro quo tantopere ille contendit, exemptionis beneficium reportavit. Alius paulo post allatus Nobis est nuncius, prope esse, ut Majestas Tua pro sui animi religione a consilio illo de vicariatu in episcopatum erigendo jam recedat, ac illis contentam videri minime contemnendis nec mediocribus concessionibus, ad quas Munkacsiensi vicario conferendas paratum se esse Agriensis episcopus est professus: hoc enim sua liberalitate palam facere ille omnibus voluit se nulla rerum temporalium cupiditate aut ambitione esse inductum, sed sui tantummodo pastoralis muneris ratione cogi, ut omnem im-

eo det operam ne sancta illa Græcorum, qui in sua diœcesi sunt, cum Latinis unio ad vanum nomen, ac inanem rei speciem redacta æternam animis perniciem imposterum importet, quæ etiam illos facile comprehendat, qui suam perficiendæ rei manum minus consulte admoverint. Mirari profecto non debet Majestas Tua, si his allatis nunciis non solum Nos continere ab omni deliberatione voluerimus, sed etiam plurimas egerimus Domino gratias, eumque maxime tum precati sumus, ut compleat ipse quod cœpit, ac ejusmodi indita tibi plena sapientiæ ac religionis consilia cumulatissima bonorum omnium remuneratione prosequamur. Hujusmodi nostros e singulari paterna caritate depromptos ac erga te gratissimos sensus Venerabilis Frater Antonius Eugenius archiepiscopus Ephesinus apostolicus noster apud te ordinarius Nuncius tibi communicatos minime dubitamus, quin ad Majestatem Tuam detulerit, eosdemque Nos ipsi eramus tibi tum, tamquam nihil præterea agendum ea de re superesset, luculentissime per litteras nostras declaraturi. Sed ab eodem certiores nuper facti de iis, quæ dignata est illi communicare Majestas Tua, dum præsentem negotii statum explicaret, et per se ipsam, et multo etiam diffusius per dilectum filium Baronem Plumeghen, nostri nunc officii esse ducimus omnem iterum tractare rem, ac in deliberationem adducere, ut id tandem consilii capere possimus, quod maxime opportunum sit, quodque res ipsa, prout nunc est, potissimum postulare videatur. Illo igitur quo semper uti solemus, animi candore, quemque regiis virtutibus tuis peculiarem in modum deberi a Nobis agnoscimus, id nunc tibi perspicue affirmamus, facile victum iri nostram illam, quam superius innuimus, mentis repugnantiam, ne petitæ episcopatus erectioni consentiamus, si Augustam Majestatem Tuam ita persuasam esse videamus iis rationibus, quas pro Munkacsiensi Vicariatu in suis offert litteris, ut in semetipsam recipere minime vereatur quidquid deinde fuerit ex illa novitate a Nobis inducenda consecutum. Sed quoniam ea est religio tua, ut pro rei gravitate cavendum tibi maxime esse existimes, atque idcirco omne hoc judicium a Nobis liberrime proficisci velis, æquum etiam tibi profecto videri debet, ut Nos quoque in tantæ rei faciendo judicio Nobis ipsis caveamus, ne in illud porro incidendum discrimen sit, ut in extremo die Christus Dominus e manibus nostris exquirat suo sanguine redemptas, ac Nobis a se commissas animas, quæ ob nostram illam facilitatem fortasse perierint, dum easdem credimus suspectæ illorum pastorum custodiæ, quos ipsa Ecclesiæ jura ab aliorum, qui propius omnia inspecturi, ac moderaturi sint, auctoritate liberos esse non sinunt. Rogamus igitur majorem in modum ac obsecramus

Regiam Majestatem Tuam æquissimo ferre animo velit, ut omnia quæ ad judicium causæ illius pro opportunitate, ac æquitate faciendum pertinere possunt, ab utraque parte ad nostram cognitionem deferantur, iis enim in examen adductis, ac rite perpensis certiori sententia rem hanc ad exitum perducere, Deo juvante, valebimus. Hisce omnibus tibi, carissima in Christo filia nostra, quæ primo, quæ consequente, quæ postremo tempore ea de re sentiremus, candide perspicueque jam declaratis, ac tantummodo nunc commemorato tibi illo de Focaras exemplo, quod Nobis ante oculos obversatur, ac in mentem etiam revocato constante ipsius Ecclesiæ de hujusmodi rebus judicio, quod refertur confirmaturque a sa. mem. Benedicto XIV non minus zelo, quam doctrina præstante prædecessore nostro in suo illo præclaro opere de Synodo diœcesana lib. II, Cap. XII a § IV ad § VIII. Reliquum jam est, ut ex Nobis intelligas Nos esse, quid sensura postremo de tota re Munkacsiensi ipsa sis, a te cupidissime expectaturos. Interea precibus ad Deum nostris pro Majestatis Tuæ, totiusque Augustæ Domus felicitate conjungimus apostolicæ benedictionis salutare munus, quod ibi, carissima tin Christo filia nostra, intimo paterni cordis sensu, amantissime impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis sub annulo Piscatoris die* 10 *octobris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CVI.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO PETRO PATRIARCHÆ ANTIOCHENO MARONITARUM

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 10 octobris 1770.

Venerabilis, etc. Ex gratulationis tuæ officio multa erga apostolicam hanc Sedem observantia, et erga Nos pietate cumulato perlibenter agnoscimus, qui tuus sit in Ecclesiam animus, quamque consentanea pastorali muneri tuæque personæ, quam geris, studia. Quæ quidem opportuna, ac publice etiam utilia magis esse non poterunt, quam si eadem, ut cum universa tua Nobis dilecta natione facis, enixis precibus ad misericordiarum Patrem pro nostra munienda imbecillitate assidue fusis prosequi non intermittas. Nos enim hujusmodi ope vestra indigemus, eamque proinde quanta animi contentione possumus a vobis poscimus ac flagitamus; ita enim probaturi luculenter eritis, Nobisque clarissimis indiciis confirmaturi pristinam vestræ Gentis, ac semper, ut scribis, addictissimam Beati Petri Cathedræ vo-

luntatem. Quod vero de nostra erga vos benevolentia confiditis, vobisque pollicemini, id præclare cum nostra erga vos pontificia caritate consentit. Quales igitur erga vos simus, ex vestra in Nos observantia, ac devotione existimate. Cum enim tam fideles obsequentesque filios vos esse profiteamini, nostram parentis experturi semper eritis benevolentiam, semperque vobis præsidia apud Nos præsto esse omnia, neque ullos caritatis nostræ fructus in hoc etiam collegium vestrum, et quicumque sunt, qui ad vestram Nationem pertinent, vobisque conjunguntur, pro opportunitate defuturos sentietis. De qua nostra voluntate uberius certiores vos faciet dilectus filius Cæsareus de Neustadia Missionarius Cappuccinus, qui mandata ad Nos vestra diligentissime nobiscum peragere sategit. Demum apostolicæ tuæ sollicitudini ac curæ commissum tibi gregem accuratissime commendantes in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, universæque isti nationi peramanter impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis sub annulo Piscatoris, die* 10 *octobris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CVII.

DILECTO FILIO

CHASTENET DE PUYSEGUR,

PRÆPOSITO GENERALI CONGREGATIONIS DOCTRINÆ CHRISTIANÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Castelli Gandulphi, 10 octobris 1770.

Dilecte, etc. Et te et istam tuæ curæ iterum commissam congregationem paterno plane complectimur animo, deque vestrum omnium erga Nos, ac apostolicam hanc Sedem observantia, pietate, fideque persuasi vestras res omnes commendatissimas Nobis esse profitemur. Hujusmodi nostri erga vos animi testis esse locupletissimus potest dilectus filius Valentinus vestræ congregationis sacerdos, quem suo merito plurimi facimus, et cujus proinde crebra consuetudine perlibenter utimur. Magna ipsius esse erga te tuamque congregationem studia pristinis jamdiu sæpe confirmata officiis præclare novimus. Idem igitur vestris rebus, de quibus acturus est, valde favore Nos, vestrique ac sui etiam multam habere rationem operam dabimus, ut semper intelligat. Minime vero unquam patiemur, ut venerabilis servi Dei Cæsaris de Bus Institutoris vestri ex Generalis Capituli decreto resumpturus, et renovaturus causam, peculiaria præsidia nostra, ac quantum in Nobis est, non impares eis, quos in sa. mem. Benedicto XIV

sapientissimo prædecessore nostro expertus est, benevolentiæ fructus desiderare possit. Valde enim cupimus iis præsertim satisfacere op-tatis vestris, quibus ut ad divini cultus incrementum, et domesticæ virtutis imitationem congregationi vestræ plurimum ornamenti ac de-coris accedat, pie egregieque contenditis. Ac in hujus pontificiæ vo-luntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, univer-sæque congregationi tuæ peramanter impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis, etc., die* 10 *octobris* 1770, *pontifi-catus nostri anno secundo.*

CVIII.

DILECTIS FILIIS

SOCIETATIS SORBONICÆ THEOLOGIS ET MAGISTRIS

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 17 octobris 1770.

Dilecti, etc. De singulari vestra in Nos pietate persuasum Nobis antea erat, vosque perspecta egregia in catholicam religionem fide, et in Apostolicam Sedem observantia pro certo habebamus summo studio Nobis esse devinctos : tamen id ipsum e litteris, atque e pos-tulationibus vestris, quas addictissimi Nobis animi significationibus conjungitis, luculentius cognovimus. Itaque et multa cum jucunditate easdem excepimus, et libentissime adducimur, ut voluntati vestræ satisfaciamus, præsertim cum una Nobis ipsis, nostræque in Vos be-nevolentiæ vobis invicem declarandæ desiderio obsequamur. Quare quod a Nobis diligenter expetitis, quodque vestro etiam nomine di-lectus filius noster Joachimus titulo Sancti Silvestri in capite sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis de Bernis postulavit, ut depic-tam ad Vos effigiem nostram mitteremus, eamdem accurate effor-mari, atque isthic transmitti mandavimus. Quid enim Nobis esse gratius potest, quam quos in religionis integritate naviter tuenda Nobis conjunctissimos esse scimus, quosque pro filiali in Nos devo-tione plurima caritate prosequimur, cum iisdem una quodammodo versari, eorum curis, ac exercitationibus, pro veritate ac sanctitate doctrinæ susceptis interesse atque assidere, et locorum longinquita-tem, ut animi conjunctione, ita vultus similitudine, atque oris quasi præsentia corrigere et compensare. Utinam in externis oris lineamentis in tela exprimendis intimos etiam mentis affectus adumbrare artifices possent; tunc sane confideremus, fore, ut iis sensibus, quibus ani-mati erga vos sumus, abunde contenti vos sitis. Facile enim cognos-

ceretis Nos summorum pontificum ac regum, quorum imagines apud vos asservantur, in benevolentiæ erga vestram societatem contentione cedere nemini. Verum cum artificum solertia illud assequi non possit, idem opera nostra ut præstemus, in Nos ipsi recipimus. Curabimus certe, et quæcumque ab amantissimis parentibus in liberos proficisci possunt, ea ut in vos pro rerum ac temporum opportunitate conferamus. Neque enim unquam in Vobis diligendis, atque etiam ornandis, aut merito vestro, aut cupiditate nostræ defuturi simus. Æque in hujus voluntatis pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, universæque societati peramanter impertimur. *Datum in arce Gandulphi Albanensis diœcesis, etc., die* 17 *octobris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CIX.

VENERABILI FRATRI

SIGISMUNDO CHRISTOPHORO

ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 20 octobris 1770.

Venerabilis, etc. Cognitus Nobis est jamdiu, vehementerque probatus tuus in pastorali peragendo ministerio, ac in omni Ecclesiæ retinendo tuendoque jure studiosissimus animus : sed eumdem hoc tempore multo etiam luculentiore indicio perspicimus ex iis omnibus quæ de isto vestro Venerabilium Fratrum congressu ad Nos afferuntur. Optime sane consilio indictus ille fuit, ut his difficillimis temporibus in commune consultaretis, quæ aptior sit evitandorum, atque minuendorum Ecclesiæ detrimentorum ratio, ac ut dictis a quoque sententiis mutuisque etiam inter vos exhortationibus excitaremini, ne quid a vobis in tanto discrimine lente ac remisse fiat, sed omnia constanter ac fortiter ex muneris vestri ratione, ex rerum gravitate, atque ex ipsa temporis opportunitate decernantur. Præclaras illic esse novimus actiones tuas, quæque et episcopali officio, et pristino tuo in Ecclesiam studio egregie consentiunt. Majorem itaque in modum hisce laudibus tuis delectati sumus; cum enim antea te ob tuam plurimam in gerendo episcopatu, fidem maxime diligendum a Nobis, ac plurimi faciendum esse statuerimus, novis modo eximiisque exornari te meritis mirifice sane et gaudemus, et Nobis etiam ipsis gratulamur. Cum adeo igitur nostrum de tua virtute judicium auxeris, eas maximas, quas debemus, tibi laudes commendationesque

reddimus, eoque te, quo possumus, verissimo amplissimoque honoris præmio prosequimur et cumulamus. Id quidem tanto etiam libentius facimus, quod tuam hanc cogitandi agendique rationem magnopere profuturam esse ad optatum congressus vestri exitum consequendum confidimus; de quo Nos ita solliciti sumus, ut maximas illuc pontificii animi nostri curas conferamus. Perge igitur, Venerabilis Frater, eaque insiste, qua cœpisti, via, Nosque de vestrarum Ecclesiarum rebus summopere laborantes atque anxios ita adjuva, ut collegas tuos, quantum opera, consilio, atque auctoritate vales, ad unanimem pro vestro tuendo jure libertateque Ecclesiæ asserenda contentionem accendas. Mirum est enim, quantum ad universam, de qua agitur, rem intersit, ut in isto congressu, in quem plurimorum oculi conversi sunt, quamdam inter vos animorum conjunctionem sanciatis, idque ad cæterorum etiam exemplum, de episcopali, quod geritis ministerio, vestraque dignitate sentiatis omnes ac statuatis, quod tanti muneris ratio, quod sanctissimæ ac vetustissimæ leges, quod fides vestra, quam Deo, quam Ecclesiæ Populoque vestræ curæ commisso obligastis, a vobis postulant. Hæc non hortandi tui causa, quod minime necesse est, sed tuæ gloriæ confirmandæ augendæque cupiditate dici a Nobis existima, pignusque nostræ hujus singularis erga te voluntatis habe apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis diœcesis, etc., die* 20 *octobris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CX.

VENERABILI FRATRI

HENRICO JOANNI EPISCOPO RUREMUNDENSI

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 24 octobris 1770.

Venerabilis, etc. Cum tuus episcopatus, in quem recenter ingressus es, curas ejusmodi esse videamus, quæ maxime tanto pascendi Christi gregis ministerio conveniant, libentissime tibi nostram pontificiæ auctoritatis opem, quam per litteras ad Nos datas, postulas, præstamus, tuamque gerendæ pastoralis procurationis rationem, quantum in Domino possumus, expeditiorem facere vehementer optamus. Proinde quod primo petis, iisdem plane permoti causis, quibus sapientissimus prædecessor noster sa. me. Benedictus XIV, quod ille pro locis fœ-

deratorum ordinum dominio in Belgio subjectis declaravit, Nos iisdem declaramus pro Præsidio Militari istius civitatis Gheldriæ, quæ tuæ Diœcesis pars est, ac Borussico Acatolico Principi paret, valida scilicet esse illa matrimonia, quæ ibidem non infrequenter, ut scribis, contrahuntur, inter partes unam catholicam, et alteram hæreticam; etsi eadem illicita sint, atque idcirco ab Ecclesia damnata et interdicta ita, ut parochi nedum consensum ac præsentiam ullo modo præstare possint, debeant etiam, quantum in ipsis est, intervertere omnino has nuptias, atque impedire. Si vero nihilominus clandestine contractæ fuerint, vinculum illud perpetuum erit, et pars catholica porro, si facti pœnitens veniam a Deo precetur, poterit admitti ad sacramenta, impositis eidem salutaribus pœnitentiis.

Postulas porro, ut, in duabus tuæ diœcesis parochiis, quæ in temporalibus Palatini juris sunt, festis illis diebus, quibus servilia opera exerceri posse Benedictus XIV, ut scribis, concessit, a sacro etiam audiendo populum eumdem liberum esse permittamus. Nos igitur iis incommodis permoti, quæ emanant in pauperes, ac in eos præsertim, qui opera ac labore in colendis agris vitam ægre sustentant, illi, quam Nobis commendas, tui gregis portioni consulere volentes, Fraternitati tuæ per præsentes litteras committimus, ut omnes utriusque sexus fideles ibidem existentes iis diebus, quibus servilium operum exercitium est permissum, ab onere etiam audiendi sacrum dispensare, si, et quatenus necessarium duxeris (super quibus conscientiam tuam oneramus) auctoritate apostolica possis, et valeas. Quia tamen vehementer optamus, ut populus aliquo studeat externo pietatis opere compensare, quidquid ita fuerit ab externa itidem celebritate imminutum; committimus idcirco Fraternitati tuæ; ut eidem vel aliquot preces, vel aliud quodpiam externum pium exercitium injungas, cui vacare debeat eo die, quo ab audiendo sacro dispensatur. Cæterum per hanc concessionem nostram non intendimus aliquid innovari circa ritum et servitium chori, circa celebrationem divinorum officiorum, et præsertim circa obligationem jejunii in illis ipsis feriis observandi, qui præcedunt festa eorum sanctorum, qui peculiari hac cultus prærogativa potiuntur. Idque potissimum cum ad eum, cui spectare debemus finem, minime necessarium sit, sollicitudini ac vigilantiæ tuæ commendamus. Magnopere demum hortamur Fraternitatem tuam, ut illum præsertim populum, cui hæc impertita dispensatio fuerit, tanto majori pietatis ardore, devotione, ac spiritus humilitate ad reliquos festos dies celebrandos ac sanctificandos accendas. Ac in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo, peramanter

impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis, diœcesis sub annulo Piscatoris, die* 24 *octobris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXI.

VENERABILI FRATRI

SIGISMUNDO CHRISTOPHORO

ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 novembris 1770.

Venerabilis, etc. Officium, fidem, ac diligentiam tuam in pastorali ministerio jamdiu clarissimis indiciis perspeximus, Venerabilis Frater, nunc vero vehementer confirmari Nobis gaudemus præclaro illo studio, quo celebrem sanctissimæ Mariæ Virginis Effigiem in Ellend arduo atque alpestri salisburgentium montium loco positam, ad quam tamen devote pieque colendam quotannis plusquam triginta peregrinorum millia confluunt, non solum perincommoda via delatus visitaveris, ac veneratus sis, sed etiam (quod plurimum ad augendam loci religionem conferre arbitratus es) illam ecclesiam Dei Matri dedicatam sollenni ritu consecraveris. Quo is ipse tam bene invectus contitutusque erga Beatam Virginem cultus adhuc magis foveatur, ac amplificetur in dies, nostram nunc exigis pontificiam operam, precesque ad Nos enixus dirigis, ut ibidem privilegium Altaris quotidiani perpetui apostolica auctoritate concedamus. Nos quidem etsi rarissime ac gravissimis de causis hujusmodi beneficium impertiendum esse arbitremur, has ipsas tamen, quæ nostrum maxime moveant animum, rationes præcipue reperimus in perspectissima Nobis fraternitatis tuæ pietate, religione, ac sapientia, singularique in commissum tibi gregem sollicitudine; quibus Nos deesse videremur, nisi et hisce æquissimis optatis tuis, et tantæ de pontificia benignitate fiduciæ, pari cupiditate satisfaceremus. Igitur quod a Nobis per supplices tuas preces postulasti, benigne concedimus, et impertimur per alias nostras in forma Brevis litteras, quas hisce nostris conjungimus. Id quidem prolixiore animo idcirco etiam facimus, ut novum hoc nostræ luculentissimæ erga te voluntatis specimen habeas, quantamque et virtutis tuæ et tuorum erga Nos ac Apostolicam hanc Sedem meritorum rationem habeamus, magis magisque intelligas. Cæteros etiam uberrimos Fraternitati tuæ præsto semper futuros esse pro opportunitate benevolentiæ nostræ fructus, ut amplius tibi persuadere possis, habes certis-

simum pignus in apostolica benedictione, quam tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 10 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXII.

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 novembris 1770.

Ad perpetuam rei memoriam. Omnium saluti paterna caritate intenti sacra interdum loca, atque ea præsertim, ad quæ plurima fidelium multitudo devotionis gratia confluit, spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde Fidelium defunctorum animæ Domini Nostri Jesu Christi, ejusque Sanctorum consequi meritorum suffragia, et illis adjutæ e Purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Supplicationibus itaque, Venerabilis Fratris Sigismundi Christophori archiepiscopi Salisburgensis Nobis super hoc porrectis inclinati, volentes ecclesiam in Ellend sitam, ubi celebris Sanctissimæ Mariæ Virginis effigies asservatur, et colitur, confluente quotannis plusquam triginta millia peregrinorum multitudine ab eodem Venerabile Fratre pro sua pietate ac devotione visitatam, et solemni ritu consecratam, ac parochiali ecclesiæ Embachensi subjectam, et in ea situm Altare speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quandocumque sacerdos aliquis secularis, vel cujuscumque ordinis, congregationis et Instituti regularis sacrosanctum Missæ sacrificium pro anima cujuscumque Christi fidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad supradictum Altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur; itaut ejusdem Domini Nostri Jesu Christi, ac Beatissimæ Virginis Mariæ Sanctorumque omnium meritis tibi suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur, concedimus et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. *Datum Romæ, etc., die* 10 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXIII.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO EUGENIO ARCHIEPISCOPO EPHESINO

ORDINARIO NOSTRO, ET APOSTOLICÆ SEDIS IN GERMANIA NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 novembris 1770.

Venerabilis, etc. Exposuit Nobis carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariæ Regina Apostolica, necnon Bohemiæ Regina Illustris in Romanorum Imperatricem Electa Vidua, in amplis suorum regnorum Ditionibus, eum esse festorum dierum numerum, ut plurimum obesse cum utilitati publicæ, tum religioni ipsi videatur; nam et necessarias agricolarum, artificumque operas sæpe impedit, et ob hominum pravitatem magis fovet otium, eaque quæ ex otio oriri vitia solent, quam pietati divinoque cultui conducat. Anno quidem MDCCLIII sapientissimus prædecessor noster sa. mem. Benedictus XIV, nonnullis idcirco diebus festivis, ipsa ita postulante, Populum eidem subjectum ad audiendum sacrum solummodo teneri decrevit, alia vero non exercendorum servilium operum leges solvit: sed experientia porro compertum esse ait ac comprobatum, nullos ex ea concessione fructus extitisse; neque imposterum extituros putat, nisi plures adhuc festivi dies per Nos imminuantur, ac prorsus tollatur, quod hactenus reliquum erat, sacri iis diebus audiendi onus. Cum hæc igitur Augustissimæ Reginæ nomine a Nobis diligentissime postulentur, tamque graves afferantur causæ, facere minime possumus, ut pro nostra etiam singulari in eam caritate eidem tam studiose, et de religione, et de publica utilitate Nobiscum agenti non obsequamur. Nullam itaque interponeremus rei per Nos suscipiendæ ac decernendæ moram, nisi ea Nos retineret cogitatio, in tanta regnorum amplitudine, ac Populorum conditionis necessitatisque varietate accidere facile posse, ut una eademque concessione non tam bene consuleretur omnibus, quam si ita nostra moderaremur Decreta, ut cuique nationi ac populo, quæ convenientiora, et ad divinum cultum, et ad civilem societatem essent, ea maxime largiremur. At cum omnia singillatim cognosci a Nobis atque expendi in tanta locorum distantia facile non possint, totam hujusce rei tractationem mandandam tibi, Venerabilis Frater, duximus, cum tuæ fidei, diligentiæ consilioque sine ulla dubitatione prorsus acquiescamus. Tu isthic loci es, ubi facilius omnia, quæ ad rem pertinent, inspicere, docerique possis, eaque porro decernere, quæ ad divini cultus, et ad publicæ populorum

necessitatis rationes exacta sint. Quo quidem pacto satisfactum maxime erit ejus Regiæ Apostolicæ Majestati, quæ ita suis prospicere cupit, ut populorum pietati, ac æternæ saluti cavendum esse pro sua religione ac sapientia præcipue ducat. Postquam igitur quæ capienda esse videbuntur consilia, cum eadem communicaveris, eique placere videris, volumus, et apostolica auctoritate tibi per hasce litteras nostras committimus, ut pro populis regnisque, quæ illius ditioni extra Italiam subjiciuntur, festorum dierum numerum adhuc imminuere, et ab onere etiam sacri in iis audiendi dispensationem facere, prout opportunius esse judicaveris in Domino valeas. Quod dum perages, illud majorem in modum cupimus, omnino cures, ne festa etiam Annunciationis et Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis imminui sua Majestas velit, quod facile profecto ipsi persuaseris, cum eodem tempore et pietati suæ qua erga eorum Mysteriorum memoriam esse debet, et Nobis ipsis id ab ea vehementer optantibus maxime morem geret. In illud præterea anni tempus eadem incidunt festa, quod impedit, ne suo mota loco in proximiorem Dominicum diem transferantur. Alterum enim in Quadragesima plerumque, semper alterum in Adventu celebratur, quorum temporum Dominici dies ita sacri et colendi sunt, ut aliorum festorum conjunctionem ex veteri Ecclesiæ ritu non ferant. Tuum igitur erit omnem dare operam, ut in hanc nostram sententiam, ne quid scilicet de iisdem ullo modo innovetur, pium Apostolicæ Reginæ animum omnino inducas. Ac in pontificiæ caritatis pignus Apostolicam Benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXIV.

VENERABILI FRATRI

JOACHIMO ARCHIEPISCOPO THEBARUM,

REGIS CATHOLICI CONFESSARIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 novembris 1770.

Venerabilis, etc. Oxomensem diœcesim in qua Sanctus Dominicus Ordinis Prædicatorum fundator, et sanctissimi Rosarii recitationis institutor natus est, ac in cujus etiam cathedrali ecclesia Canonicus extitit, exornare voluimus beneficio Apostolica, ut scilicet imposterum ejusdem Rosarii festum ibidem sub Ritu duplici primæ classis celebrari posset, atque idcirco litteras in forma Brevis expediri mandavimus, quas nunc hisce nostris conjunctas, Venerabilis Frater, ad

te transmittimus, ut cum eam gratiam patriæ tuæ impertiti simus, multo libentius tua causa factum id a Nobis esse intelligas. In quo cum pietati tuæ tum etiam nostro erga te studio obsecuti sumus, cujus semper majoribus pontificiæ caritatis indiciis declarandi opportunitatem quamque cupidissime consectamur. Id enim præter præclarum, quo apud Carissimum in Christo filium nostrum Carolum Hispaniarum Regem Catholicum fungeris munus, tua erga Nos egregia observantia perspectaque de Apostolica Sede merita maxime a Nobis postulant. Atque hoc loco præterire minime possumus, quin tibi, quod gratissimum fore certi sumus, significemus, causam Venerabilis Servi Dei Joannis de Palafox ita nunc instrui ac parari, ut eum plane ejusdem exitum, quem maxime cupimus, futurum esse valde confidamus. Hoc etiam habe in nostræ erga te luculentissimæ voluntatis pignus, quod adhuc cumulamus magis Apostolica Benedictione, quam Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 17 novembris 1770.

Carissima, etc., Etsi in gravissimam deliberationem inducti essemus postulato Apostolicæ Majestatis Tuæ de Munkacsiensi vicariatu in episcopatum erigendo, magnasque dubitandi causas haberemus, quas litteris die 10 octobris ad te datis attulimus, tamen quid ipsa postremo sensura pro tua sapientia ac religione esses, cupidissime Nos expectaturos esse iisdem litteris declarabamus. Cum itaque isthinc certiores nunc facti simus de non intermisso ejusmodi studio tuo, quod a te retineri sine maxima ratione non potuit, quam quidem ab imminenti rerum a te perspecto periculo, et ab ipso unionis Græcorum cum Catholica Romana Ecclesia retinendæ necessitate repeti præcipue, ac deduci intuemur, statim omnem dubitationem abrumpere, tibique obsequi decrevimus. Vicit igitur in Nobis sapientiæ tuæ ac religionis existimatio, atque ita vicit, ut præteritæ quidem tuæ experientiæ optimæ, ut scribis, rerum magistræ innitamur, sed potissimam tamen ponamus spem in vigilantia ac sollicitudine a te exinde

ad unionis incrementum conferenda. Quod itaque a Nobis tantopere flagitas, Carissima in Christo filia nostra, efficere parati jam sumus, in eam scilicet Nos venisse sententiam tibi significamus Græcanico Populo, qui Diœcesis Agriensis fines incolit, ac Latinæ Ecclesiæ per unionem est addictus, Græci Ritus Episcopum largiendi. Eidem tamen hanc imponemus legem, ut Archiepiscopi Strigoniensis Metropolitani tui auctoritati jurique subjectus sit, et ad cætera ab eo præstanda officia, illud etiam adjungemus, ut bis quotannis circa solemniora Domini festa ad eumdem, ac in ipsius defectu ad viciniorem Episcopum accedere debeat, totiesque in ejusdem manus professionem fidei rite emittendam renovare. Quam cautionem Nos in tam gravi re adhibendam esse ducimus, ut hoc majore religionis vinculo illius conscientiam ad confirmandam Nobiscum fovendamque unionem magis magisque constringamus; quam quidem ad publicam etiam Populorum Regnique tui securitatem vehementer conducere cum tibi pertuasissimum esse certi simus, minime ambigimus, quin ad consequendum utriusque pariter incrementum sis omnem regiam curam, operam atque auctoritatem tuam maxime collatura. Atque hæc de tua pietate, religione, ac virtute fiducia summopere Nos in suscepto consilio confirmat, quodque faciendum decrevimus, id multo cupidius alacriusque præstituri sumus, ut etiam luculentissimam erga te voluntatem nostram novis hujusmodi uberioribus Pontificiæ caritatis argumentis magis testatum faciamus. Superest nunc, ut eum ipsa proponas Nobis ac nomines virum, quem magis idoneum esse ad illud pastorale munus judicaveris, ut eundem Nos in Episcopum Clero Populoque Munkacsiensi præfuturum eligamus. Ac apostolicum benedictionem Regiæ Majestati Tuæ, totique Augustæ Nobis carissimæ Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 17 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXVI.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 novembris 1770.

Carissima, etc., Vix intelleximus ex Venerabilis Fratris Antonii Eugenii Archiepiscopi Ephesini ordinarii Nuntii nostri litteris, qua in sententia de Munkacsiensi nogotio Majestas Tua esset post acceptam

Epistolam nostram die X octobris ad te datam, quamque certa voluntate cuperes, ut vicariatus ille in episcopatum constitueretur, cum omnem statim dubitationem abrumpendam decrevimus, tibique per aliam nostram ad te die XVII hujus mensis datam significavimus paratos jam esse Nos obsequi desiderio tuo, ac proinde Clero Populoque Munkacsiensi Nobiscum per unionem conjuncto Apostolica auctoritate suum Græci Ritus Episcopum largituros. Redditæ porro sunt Nobis humanissimæ tuæ die VI hujus mensis datæ, ad quas nunc hisce nostris rescribimus, in iisque, etsi jam perspectam exploratamque, tamen a te ipsa aperte declarari Nobis voluntatem tuam ita cognovimus, ut delectati vehementer simus præstitisse jam Nos tibi, quod petis, ac illa quasi responsione nostra postremam hanc tuam epistolam prævertentes palam tibi fecisse, quantum in ea tam gravi re sapientiæ, pietati ac religioni tuæ deferremus. Quæ judicii de te nostri ratio ita Nos in suscepto consilio confirmat, ut, quem optamus, rei exitum certissime Nobis polliceri non dubitemus. Neque ambigimus, quia Deus Optimus Maximus qui suæ gloriæ causa Majestatem Tuam id cupere, Nosque agere cognoscit, præsenti ope ac præsidio Decreta hæc nostra comprobaturus sit. Ac in singularis nostræ erga te paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 24 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXVII.

DILECTO FILIO

IGNATIO MULLER, CANONICO REGULARI LATERANENSI

VIENNÆ ABBATI,

SANCTÆ DOROTHEÆ IMPERATRICIS, REGINÆ APOSTOLICÆ CONFESSARIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 novembris 1770.

Dilecte, etc. Perspecta Nobis insignia tuarum virtutum, doctrinæque merita, ac amplissimum, quo fungeris apud Imperatricem Reginam Apostolicam munus faciunt, ut non solum propensi ad preces tuas benigne recipiendas simus, sed easdem etiam ratas facientes, et tuæ de Nobis fiduciæ, et plurimæ Nostræ erga te paternæ benevolentiæ perlibenter obsequamur. Itaque quod a Nobis vehementer postulas tuæ spirituali tranquillitati consulere volentes, teque a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis tam a jure, quam ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existas, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum

harum serie litterarum absolventes, et absolutum fore censentes, justis de causis, Nobisque notis concedimus tibi apostolica auctoritate, ac indulgemus, ut Abbatis, seu Præpositi officium dimittere, ac resignare, et ut in quacumque Domo regulari, sive tui, sive alterius ordinis commorari, si ita pro tuæ conscientiæ tranquillitate opportunum judicaveris, possis et valeas. Non obstante tuo stabilitatis jurato voto, ac non obstantibus itidem constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, tuique ordinis statutis, decretis, indultis, ac privilegiis, quamvis specialem et individuam mentionem requirerent, quibus tenore præsentium derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Atque hoc quidem indultum eo etiam tibi largimur libentius, Dilecte fili, quo aditum ad alios itidem Pontificiæ benevolentiæ fructus, si quibus opus fuerit, percipiendos, tibi eo ipso patere intelligas. Ac in paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXVIII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

CAROLO EUGENIO DUCI WIRTEMBERGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 novembris 1770.

Dilecte, etc. Redditæ Nobis sunt per dilectum filium Bernardum Giordani tuæ litteræ, in quibus parentis tui sequutus vestigia debitum Nobis filialis observantiæ ac devotionis officium persolvis, quas partes etiam a te sibi commissas diligentissime Nobis coram detulit idem Giordani, atque impositum sibi novum a te munus ita inchoavit, ut præclarum suæ erga te fidei, et erga Nos obsequii testimonium dederit. Eumdem Nos antea et novimus et dileximus; nunc vero tua hic apud Nos peragentem negotia tanto etiam libentius excipiemus semper et audiemus, quanto nunquam a te, nisi quod tua nobilitate pietateque in sanctam hanc Sedem dignum sit, allaturum confidimus. Qua vero paterna Nos respondeamus caritate, quamque inclitæ Domui Tuæ fausta ac felicia omnia precemur a Domino, ipse itidem tibi pro sua fide ac diligentia confirmabit; quo suo officio majorem etiam apud Nos erit initurus gratiam. Ab ipso quoque intelliges, quid agendum Nobis esse, tibique judicemus de his, quæ ad Nos per ipsum pro tuo religionis studio accuratissime deferenda curasti. Ac plurima te paterna prosequentes benevolentia apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 28 *novembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXIX.

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO CONRADO CASIMIRO,

TITULI SANCTÆ MARIÆ DE POPULO PRESBYTERO,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,

CARDINALI DE RODT, EPISCOPO CONSTANTIENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 decembris 1770.

Dilecte, etc. Jucundius nullum esse potest officium tuum, quam quo Ecclesiæ Nobisque gratularis de redintegrata hisce temporibus, inter Apostolicam hanc Sedem, et Lusitaniæ Regnum pristina necessitudinum omnium consuetudine. Eo ipso præclara tua esse erga Nos studia tuosque jam antea perspectissimos in Sanctam hanc Sedem observantiæ, fidei, ac devotionis sensus isto gaudio a te percepto perspectiores multo illustrioresque declarasti. Quod quidem Nobis, qui te ob tuorum meritorum præstantiam majorem in modum diligimus, quæque a te proficiscuntur omnia perlibenter excipimus, est gratissimum. Illud tamen tua erga Nos freti pietate a te magnopere petimus, ut quæcumque ex eo facto prodierit gloria, eam omnem cum immortali gratiarum laude referas ad auctorem tantorum bonorum Deum, et quæcumque etiam imposterum desiderari nosti, ab eodem postules, ab ejusque erga Nos benignitate expectanda tantummodo existimes. Nostræ Nos certe imbecillitatis conscii perspicuam præsentemque ejusdem opem in laboribus curisque nostris pro sua gloria susceptis ad ejusdem incrementum provehendis et sentimus et agnoscimus. Permolesta porro Nobis accidit quæ altera est epistolæ tuæ pars, ex qua te justis de causis assidue angi cognoscimus. Quæ quidem causæ ex te ipso conjicere facile potes, quanta nostrum animum doloris acerbitate percellant. Sed cum quod muneris nostri est, pro nostra fide ac religione egerimus, omne a Deo solamen, ac levamen fidenter expectandum esse judicamus. Quod vero ad tuas querelas de Salemii Abbate pertinet, earumdem causas brevi tolli posse non diffidimus. Allatum enim ad Nos est ipsum Abbatem controversias omnes amica tractatione tecum componere velle, comparatumque ita esse, ut ineundarum mutuo conventionum æquitate prorsus acquiescat. Minime dubitamus, quin tu, dilecte fili noster, æquas daturus ultro sis accepturusque conditiones, ut eum in modum omnes illæ tandem controversiæ molestiæque tuæ de medio prorsus

auferantur. Ad hanc igitur viam finiendarum litium libenter suscipiendam cum nostra hortatione non indigeas, illuc convertimur, ut ea te plurimum profecisse quamprimum a te ipso certiores fieri cupidissimos Nos esse significemus. Interim in Pontificiæ singularis erga te benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, tuæque fidei commisso Populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima decembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXX.

DILECTIS FILIIS

NOBILIBUS VIRIS ANTIANIS ET VEXILLIFERO

REIPUBLICÆ LUCENSIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 decembris 1770.

Dilecti, etc. Postulationum vestrarum, quas et epistola proxime præterito Junio data, et dilecti filii Philippi Bonamicii familiaris nostri, vestrique Patricii, Patriæ rerumque ad eam pertinentium studiosissimi opera ad Nos detulisti, quantam rationem habuerimus ex aliis litteris nostris in forma Brevis, quas ad vos transmitti mandavimus, facile intelligetis. In iisdem ea Decreta fecimus, quæ ad tuendum ac augendum istud publicum Misericordiæ Nosocomium maxime accommodata arbitrati sumus. Cum ageretur de bonis omnibus Monasterii Canonicorum Regularium de Frigionaria concedendis diutius sane in re diligenter inquirenda, et ad æquitatis rationes exigenda detineri Nos oportuit. Verum neque judicium hoc nostrum, neque responsum, quod litteris nostris reddimus, diu prorogatum visum iri putamus, cum eodem perfecta atque absoluta illa vobis afferantur, quæ publicæ utilitati, ac indigentium inopiæ sublevandæ consentanea tantopere exoptastis. Qua in re illud vobis maxime persuasum esse debet, rationum vim et gravitatem in capiendo consilio in primis fuisse certe a Nobis spectatam; tamen apud Nos plurimum valuisse studium vestrum, atque hunc ipsum christianæ caritatis ardorem, quo a vobis inopum præsertim calamitati consuli videbamus. Habete igitur, dilecti filii Nobiles viri, cum eo apostolicæ auctoritatis Decreto conjunctum etiam hoc nostrum de vestra pietate judicium; quo plurimam quoque ad paternam nostram benevolentiam fieri accessionem existimate. Ac in ejusdem uberius argumentum apostolicam

benedictionem vobis, filii dilecti Nobiles viri, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima decembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXI.

DILECTO FILIO

BEDÆ ABBATI S. GALLI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 decembris 1770.

Dilecte, etc. Non est cur Nobis gratias agas ob donatum tibi sacrum martyris corpus, cum præcipue obsecuti ea re simus studio erga te nostro, quod maxime inflammatum est, cum per dilectum filium Advocatum Dominicum Calzamiglia idem idcirco a Nobis accuratissime postulasti, ut hoc assertæ sanctissimæ Christi fidei monumento istorum populorum et fidem confirmares, et divinum cultum, religionem ac pietatem augeres. Quod te pro tua sollicitudine ac sedulitate curaturum cum non dubitemus, non minus Nobis ipsis quam tibi illæ Nos largitione satisfecisse arbitramur. Accedit quod nihil gratius Nobis esse potest, quam cum paternam nostram caritatem non mediocri aliquo indicio revera declaramus iis qui filialem de Nobis plurimam præseferunt fiduciam; cum debita erga Apostolicam Sedem observantia et fide conjunctam. Unde facile cognoscere potes, dilecte fili, quam prolixa sit, et cumulata nostra erga te voluntas, quantumque placeat Nobis ut sacrum illud munus nostræ etiam erga te caritatis certissimum pignus habeatur. Hujusmodi nostros de te sensus cognitos fecimus eidem dilecto filio Calzamigliæ, quid pro perspecta sua in tuas res diligentia eosdem tibi per litteras luculenter confirmabit. Demum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, iisque qui tuæ fidei commissi sunt, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *decembris* 1770, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXII.

DILECTO FILIO

JOANNI BAPTISTÆ MARTINI ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM SANCTI FRANCISCI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 januarii 1771.

Dilecte, etc. Post primum a te Nobis transmissum alterum nunc

volumen tuum de Historia Musices perlibenter accepimus; Nobis enim memoriam revocavit, integritatis, et consentientium religioso Instituto morum constantiæ. Ad quas tuas laudes cum accedat singularis tua in rebus musicis intelligentia, pergratum sane Nobis fuit tuum hujusmodi munus, quod tam miram in eo genere ingenii tui vim, eruditionis copiam præseferret, et tam præclaras Nobis causas tui, quem vehementer diligimus commendandi daret. Magnopere cupimus, ut quamprimum reliquæ egregii ejusdem operis partes absolutæ, ac perfectæ in lucem prodeant, quo cum singulari tuæ laudis accessione clariora ac perspectiora sint omnibus initia ac progressus suavissimæ artis, celebrandis etiam divinarum rerum Mysteriis ab Ecclesia rite consecratæ. Demum nostram veterem erga te benevolentiam eamdem esse scito, qualem sæpe antea perspexisti, neque ipsius fructus, si quibus opus erit, luculentos atque uberes tibi unquam a Nobis esse defuturos. Dabimus certe operam, ut paternum animum nostrum erga te propensissimum semper intelligas. Ac in hujus voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 12 *januarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXIII.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO,

DUCI BAVARIÆ, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1771.

Dilectissime, etc. Quæ vertente anno renovas pro Nobis vota, filialem ea animum tuum, nostrique perstudiosum præseferunt. Quam Nos hujusmodi voluntatem ex nostra etiam æstimamus, qua erga te sumus, Deumque Optimum Maximum precamur, ut veræ solidæque felicitatis muneribus te semper augeat, detque illam quam magnopere exoptare te scribis, quaque nihil præstabilius esse potest, amplissimam consequi in promovendis Religionis Ecclesiæque universalis commodis gloriam; ut in hac scilicet egregia laudis contentione non solum Majorum tuorum æmuleris virtutem, sed vincas. Atque hinc itidem tibi maxime illud et certissime constare debet, eam, qua te complectimur, paternam caritatem uberiorem, quam sit in Nobis cumulatioremque esse non posse. In cujus voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque

Electorali Domui intimo paterni cordis sensu impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *januarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo,*

CXXIV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 januarii 1771.

Carissime, etc. Quam declaravit Regia Majestas Tua in Nos pietatem humanissimis litteris, quibus natalitiorum festorum novique anni opportunitate fausta Nobis ac secunda omnia precari et vovere se scribit, eamdem ex filiali profectam animo, novisque hujusmodi indiciis confirmatam ita excepimus, ut majorem in modum paterna nostra erga te excitari augerique Pontificiæ caritatis studia sentiremus. Illud itaque persuasissimum tibi ac certissimum esse debet vota de Nobis tua in teipsum tuumque regnum esse potissimum redundatura; maximam enim felicitatis esse nostræ partem existimabimus, si post tot tantasque perturbationes redditam tibi tuisque populis tranquillitatem et pacem, optimeque compositas religionis una et regni rationes videamus. Id Nos assiduis a Deo Optimo Maximo obsecrationibus petimus, eamque Majestatis Tuæ nomini ex divino beneficio accedere gloriam cupimus, ut illius benignitati Nos præcipue gratias agere debeamus. Ac in cœlestis præsidii auspicium, nostræque voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, universoque Poloniæ Regno amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *januarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXV.

DILECTIS FILIIS

VEXILLIFERO ET PRIORIBUS CIVITATIS NOSTRÆ

SANCTI ANGELI IN VADO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 januarii 1771.

Dilecti, etc. Etsi pergratum Nobis est pro ea, qua in vos sumus, pietate studia erga Nos vestra novis observantiæ, amoris, fideique indiciis testatiora Nobis in dies fieri, veremur tamen, dilecti filii, ne vos iis Nobis tribuendis, quibus Nos minime affici debemus, nimis intenti

esse atque efferri videamini. Neque enim ullis Nos famæ ac gloriæ monumentis capimur, nisi quibus infirmitas nostra ad Dei promovendam gloriam, Ecclesiæque curanda commoda proficere possit. In animis igitur vestris, non in marmore insculptos esse Nos delectat, accendique vos ad fundendas pro Nobis preces, non ad nostras excolendas laudes perlibenter audimus. Atque id cum summa a vobis publice peractum esse cura ac devotione scribatis ex hoc præcipue singularia erga Nos studia esse vestra perspicimus, ac potissimas invicem vos amandi paternæque in vos nostræ voluntatis propensionem augendi rationes ducimus. Illa vero cetera, quæ tam effuse conferre in Nos voluistis, grate a Nobis acceptum iri existimate, si sensu ipso, atque oculis vos magis adhuc ad divinam Nobis opem vestris obsecrationibus impetrandam excitare poterunt. Ac in paternæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 23 *januarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXVI.

DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ NOBILI MULIERI

ANNÆ COLUMNÆ BARBERINI,

DUCISSÆ SFORTIÆ, CÆSARINI VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 februarii 1771.

Dilecta, etc. Ex precibus tuis quas Nobis per supplicem Libellum admovisti perspicue agnovimus, ac majorem in modum lætati sumus, gratiam Dei, per quam jamdiu vitam tuam ab hoc seculo segregare voluisti, majores in te, ac uberiores assidue Sanctitatis fructus educere. Jam inde cum in conjugali degeres statu, præclarum in te cæteris effulgebat Christianarum virtutum exemplum; Divino enim inducta Spiritu jam tum mundi hujus vanitate percepta, contemptisque illecebris, ac pompis omnibus, Deo ipsi unice animum tuum divinisque rebus addixeras. Cum defunctus porro fuisset vir tuus, liberioremque jam vitam ad susceptæ rationi vacandum in viduitate nacta esses, elucebat magis in dies, ac efferebatur divinus ille, quo flagrabas ardor, dum omnibus pietatis, humilitatis, caritatis officiis accuratissime fungereris. Sua nunc vero in te dona multo amplioribus beneficiis divina bonitas, ac misericordia cumulat, eamque præmonstrat, qua maxima proficias, ac in virtutibus progrediaris, viam. Sanctissimum enim injecit tibi desiderium, ut in assidua Jesu Christi Crucifixi Passionis, et

Mortis meditatione ipsi tantummodo vivere, seu potius una cum Ipso crucifigi, et commori possis. Cum itaque intellexeris nuper a dilecto filio Paulo de Cruce institutum, a Nobisque apostolica auctoritate comprobatum esse Passionis Christi nuncupatum ordinem, et constitutum etiam in civitate nostra Cornetana ad ejusdem leges pro mulieribus recipiendis Monasterium, illuc repente convolare jam cupis, ibidemque sacro accepto habitu, tuam in Jesu Christo vitam abscondere. Petis igitur a Nobis, tanquam a tuo in Christo Parente, ut judicium interponamus nostrum, idque novum vitæ institutum suscipiendi potestatem tibi, si in Domino videbitur, concedamus. Nos sane et propositum hoc tuum vehementer, ut par est, collaudamus, et Sancti Spiritus afflatu hunc tibi immissum animum esse, tantoque ardore inflammatum certissime cognoscimus. Divina proinde ejusdem in te molimina, quæ ad augendam animæ tuæ securitatem, ac profectum, ad illius ordinis initia optime constituenda, ad omnium exemplum, ad Ecclesiæ utilitatem, ad Dei gloriam sine ulla dubitatione referri videmus, tantum abest, ut vel impedire ullo modo, vel etiam retardare velimus, ut consilio, omnique ope, opera, atque auctoritate nostra eadem provehere, teque tua sponte tam præclare currentem, nostra itidem cohortatione, ac laude magnopere incitare contendamus. Sequere igitur, dilecta in Christo Filia Nobilis Mulier, vocantem te Deum, ad sanctissimas Christi sponsi propera nuptias, illum occupa, sanctitatis portum unde expeditissimus extet ad cœlestem immortalemque gloriam transitus. Quare Nos te hinc quamprimum emigrandi cupidam, atque illuc summa animi alacritate festinantem, paterna apostolica benedictione ita prosequimur, ut eandem lætissimo divinæ benedictionis auspicio extituram tibi esse facile confidamus. In quidem illic in Christi Domini pasceris divitiis, ejus Passioni, ac morti conjuncta, ipse vero monialium ordo, cujus nuper a Nobis probatæ, sancitæque sunt leges, fausta capiet tua accessione primordia, quæ ut divino consilio referenda esse arbitramur, ita opportunitatem hanc præterire non debemus, ut non solum te primam esse cum cæteris in Christo sororibus tuis illius monasterii, atque ordinis fundatricem, ac institutricem velimus, sed te primam etiam ejusdem superiorem Pontificia auctoritate constituimus, per hasce apostolicas in forma Brevis litteras, quæ ad te transmittuntur, teque primum illius monasterii, ex quo illuc adveneris, præsidem facimus, et declaramus. Illud etiam tua pietate prudentiaque freti benigne indulgemus, et concedimus, ut novorum itidem monasteriorum fundationes, quarum postmodo factarum in tuum ordinem acceptatio expetatur, acceptare ipsa, tuoque ordini aggregare valeas. Facile Nos ad credendum indu-

cimur fore, ut hujusmodi concessionibus, ac beneficiis erga te nostris mirifice ejusdem ordinis incremento, ac splendori consultum per Nos sit. Dubium enim Nobis esse non potest, quin novæ illæ leges non tam severitate, atque imperio, quam suavitate, atque exemplo tuo in consuetudinem, ac mores ita transituræ sint, ut illa potissimum ordinata tamquam castrorum acies sanctissimæ disciplinæ, ac virtutis decorem, atque ordinem tueri facile semper, ac retinere possit. Id Nos quidem vehementer cupimus, ac idcirco nostra auctoritate ac in vos gratia illud efficiemus, ut nulla tam egregiis, ac Dei gloriam conversis incœptis, et consiliis vestris a Nobis præsidia deesse unquam possint. Nos vero invicem non mediocre, neque intermissum a te, tuisque in Christo sororibus imbecillitati nostræ subsidium habituros speramus in assiduis obsecrationibus, votisque ad Deum pro Nobis, proque universa Ecclesia faciendis; quod tibi, dilecta in Christo filia Nobilis Mulier, pro ea, qua in te sumus eximiæ, ac singularis paternæ caritatis magnitudine etiam, atque etiam, ut summo animi studio, atque ardore peragas, commendamus. Atque hanc caritatem in te nostram eo nunc maxime officio declarandam ducimus, ut tibi illud præcipue ante oculos semper propositum esse cupiamus, omnem virtutem, ac sanctitatem Deo ipsi acceptam esse referendam, te quidem humanæ infirmitatis consciam cum timore, ac tremore salutem tuam operari debere, nihil tuæ esse virtutis ac laudis agnoscere, quantumcumque in via Domini profecisse te videris, nihil tuis viribus, tuisque meritis arrogare, sed in eum tantummodo confidere, ejus opem implorare, ejus fide, ac præsidio niti, illi virtutem, illi sanctitatem, illi gratiarum laudes, illi gloriam omnem tribuere. Hæc Christianæ humilitatis species mirum in modum animæ tuæ securitatem, et in hac etiam mortali vita veram, ac solidam jucunditatem certissima immortalitatis spe sustentabit. Et si quando subtracta hæc ipsa fuerit animæ tuæ jucunditas, quod fieri interdum Deo volente solet, atque hac etiam ratione servos suos tanquam aurum per ignem probante, ariditatem tamen spiritus, et quandam hujusmodi desolationem ea ipsa humilitate solaberis, teque patientiæ vi, ac animi fortitudine ita obfirmabis, ut divinæ voluntati tanto constantius inhærescas, quanto magis cœleste solatium interceptum tibi esse senties. Demum uberiorem semper, ac novam cœlestis gratiæ accessionem tibi a Christo Domino precantes, apostolicam benedictionem Nobilitati Tuæ, eisque omnibus dilectis in Christo filiabus, quæ tecum una sunt, tanquam prudentes Virgines Christo sponso venienti obviam exituræ, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 9 *februarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 februarii 1771.

Carissime, etc. Quæ nostra est cum Regia Majestate Tua, cumque universa Borbonica Familia studiorum paternæque caritatis conjunctio, eodem hoc tempore præteriri profecto non sinit officium nostrum, quo plurimam illam partem, quam de vestris rebus capimus, tibi, carissime in Christo fili noster, quantum possumus, luculentissime declaramus. Cum itaque Nobis de bello, quod impendebat, quodque omnem fortasse Europam corripuisset, tua præsertim opera declinato, firmataque jam pace pulcherrimus nuper allatus esset nuntius, tanto tamque mirifico correpti gaudio sumus, quanto certius a Dei benignitate profectum esse in Nos maximum hoc, atque immensum beneficium cognovimus. Non solum igitur ipsi tam propitio Nobis, tantique boni auctori Deo summas statim atque immortales gratiarum laudes persolvimus, sed extemplo ad sanctorum duodecim Apostolorum templum perreximus, ut ibidem Beato Francisco Seraphico Parenti nostro, quem summa devotione colimus, cuique post Deum præcipue incolumitatem vestram, Regnorumque felicitatem quotidie commendamus, et debitum grati animi redderemus obsequium, et magis adhuc ad tantæ Domus tuenda atque illustranda decora nostris obsecrationibus accenderemus. Id Nos quidem cumulatissimo, ac singulari, quo affecti erga vos sumus, paterni studii, amoris, atque alacritatis sensu peregimus, unaque incredibile sane est, quo laudum cumulo simus egregias illas tuas de pace cogitationes et curas prosecuti, admiratique virtutem ac sapientiam tuam, qui populorum securitatem, ac quietem victoriis et triumphis omnibus, quoscumque post acre ac diuturnum bellum agere unquam potueritis, præferendum esse arbitratus sis. Proinde ad præstantem tuam, tuæque Domus tantis antea bellis partam gloriam esse nunc factam præclaram hujusmodi potioris certe ac solidioris gloriæ accessionem tibi, carissime in Christo fili noster, majorem in modum gratulantes, apostolicam benedictionem, quæ omnium cœlestium benedictionum incrementum afferat, Majestati Tuæ, Regiis Liberis, universæque Borbonicæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *februarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXVIII.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

PETRO LEOPOLDO, ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

ET ETRURIÆ SIBI SUBJECTÆ MAGNO DUCI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 februarii 1771.

Dilectissime, etc. Allatum Nobis est Rempublicam Ragusinam in maximis ob bellum, quod inter Russos et Turcas geritur, versari periculis, jamque Russos duces plurima eidem Mari intulisse damna, multoque etiam majora illaturos minari. Irati illi idcirco fortasse sunt quod ab eadem Turcas adjutos fuisse suspicentur. At ipsa neutri parti adhæsisse se noscens, pace frui se, ut cæteræ nationes existimabat. Ea vero repente facta denunciatione ita territa, et consternata est, ut se parum distare ab interitu putet, nisi aliqua excusatione, ac precum ratione, irritatos contra se animos lenire possit. Legat idcirco duos de senatorio ordine viros, qui propediem isthuc adventuri sunt, teque, dilectissime in Christo fili noster, statim adituri suæ Reipublicæ nomine, tuamque suæ causæ opem, auctoritatem, patrocinium precaturi. Vehementer illi in pietate tua, ac perspecta animi magnitudine confidunt, sibique persuadent fore ut quæ semper in Augustis Majoribus suis certissima suis rebus habuerunt præsidia, eadem hoc summo suo tempore ab humanitate, clementiaque tua sint recepturi. Nos certe hujusmodi eorum ad te confugiendi consilium ita probamus, ut nostras etiam paternas eos coram te commiserandi, tibique commendandi partes summo studio suscipere, atque agere statuamus. Nostro Nos videremus Nobis deesse muneri, si pro Catholica illa natione, in quam propenso animo esse debemus, et sumus ab excidio, atque interitu vindicanda opem tuam fidenter interpellare ac rogare cunctaremur. Prodesse illis profecto facile potes, si apud supremum Russiæ classis ductorem qui isthic in hibernis est, tibique plurimum debet, aliquod poscueris erga eos studii tui, et commendationis officium, illique ostendens salvos eos esse te cupere, nec indignos putare, quibus pacatis, et quietis esse liceat. Nihil ipsis hoc gratiæ tuæ, et benignitatis declaratione optatius esse, atque opportunius poterit, nihil quod periculi gravitatem aut certe minuat, aut etiam prorsus avertat. Sed quæ aptior sit hujusce rei consequendæ ratio, ipse pro tua sapientia facilius in re præsenti intelliges, cum ex illorum legatorum precibus ejus Reipublicæ statum cognoveris, eam autem rationem adhibere ut velis perspectus Nobis animus tuus certissime

persuadet. Quo igitur ejusdem animi tui clementia ac magnitudo te induxerit, illud certe, et ad confirmanda de tua pietate omnium judicia, et ad tuam augendam gloriam plurimum valebit. Neque enim quidquam potest esse gloriosum magis, ac regium, quam miseram, ac pene afflictam Rempublicam sua præsente ope, præsidioque fulcire, ac sustollere. Nobis certe id gratissimum feceris, nostræque de te fiduciæ respondens paterni animi caritati mirum in modum obsecundaveris. Dum id Nobis pollicemur omnia fausta tibi, ac felicia a Deo Optimo Maximo precantes, apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, Tuisque Liberis, ac universæ Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *februarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 februarii 1771.

Carissime, etc. Cum nuper ad Nos allatum fuerit de amoto, quod imminebat, bello, deque pace egregio Majestatis Tuæ consilio, sapientissimaque opera feliciter confirmata, incredibilem sane, et quam verbis assequi vix possumus, animo nostro voluptatem percepimus. Quemadmodum enim Deum esse pacis largitorem credimus, nihilque eo munere utilius ac præstantius in hac vita hominibus ab illo dari arbitramur; ita simul ac turbari res, ac ad bellum spectare cognovimus, ad eumdem preces nostras extemplo convertere voluimus, utque hujusmodi calamitatem a populis averteret, teque auctore concordiam stabiliri, ac firmari vellet, implorare nunquam intermisimus. Vota isthæc nostra fuere tandem excepta, nostrique gemitus a misericordiarum Patre exauditi. Regnis pristinam tranquillitatem redditam, summoque nostro gaudio Regiæ Majestatis Tuæ gloriam inde mirifice amplificatam videmus. Itaque, ut Deo Optimo Maximo immortales idcirco gratias ageremus, statim Nos ad templum Sanctorum Duodecim Apostolorum contulimus, ibique Seraphicum Parentem nostrum, cujus patrocinio maxime nitimur, Beatum Franciscum, quem exoratorem in expetendo beneficio adhibueramus, in reddenda etiam gratia adjutorem habere studuimus. Hos tibi, carissime in Christo fili noster, paterni animi sensus, atque hanc Nobis a te profectam jucunditatem ita communicamus, ut una Majestati Tuæ, atque adeo Nobis ipsis

pro tanta veræ laudis ac gloriæ accessione, quam triumphis ac victoriis omnibus prætuleris, eximie gratulemur. Cupimus enim ita tibi persuasum esse, nihil ad tuam, tuæque Regiæ Domus felicitatem pertinere posse, quod ad Nos item non pertineat, summasque Nobis lætitiæ rationes non afferat. Atque hanc admirandæ et summis præconiis extollendæ sapientiæ tuæ Nobis nunc opportunitatem dari maxime lætamur, et ab ea certissime confidimus ampliores in populum tuum jucunditatis fructus, et in te luculentiora in dies felicitatis ac gloriæ incrementa consecutura. Ad Nos quidem vehementer cupimus, idque Deum Optimum Maximum enixe rogamus, cujus cælestis benedictionis auspicem apostolicam benedictionem Majectati Tuæ Regiisque Liberis, ac universæ Carissimæ Nobis Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *februarii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 martii 1771.

Carissime, etc. Nihil ad Majestatem Tuam, Regiamque Nobis Carissimam Domum pertinere ullo modo potest, quod paternum animum nostrum singulari tibi studio conjunctissimum non vehementer afficiat ac percellat. Facile proinde potes ex ipso dolore tuo cognoscere, quanta acerbitate acceptis litteris tuis die XIV januarii datis perculsi fuerimus, quibus lugubri sane officio tristissimum nuncias Nobis obitum Regiæ Principis Mariæ Franciscæ Dorotheæ tuæ secundum carnem, nostræ vero in Christo dilectissimæ filiæ. Quam Nos partem vestri hujus luctus pro paterna nostra vobiscum necessitudine jure capturos existimasti, eamdem cumulatissime cepimus, effusumque quodammodo in Nos animum tuum ita sensimus, ut et illius desiderio, et tuo dolore maxime commoveremur. Pro ea igitur, quam declaras, de hujusmodi nostra pietate fiducia obsecuti statim non minus nostræ voluntati sumus, quam tuæ, atque ad exorandam Dei Optimi Maximi clementiam pro defunctæ Principis immortali requie cogitationes omnes, curasque nostras convertimus. Leniri aliquantulum posse communem hunc dolorem nostrum putavimus, si una et in divinam misericordiam, et in illius mores ad Christianæ religionis instituta

ex domestica disciplina, ac suorum exemplis compositos intueremur. Ad hanc firmam spem nostram, Regiam scilicet puellam terrenam hanc fragilemque vitam cum cælestis gloriæ stabilitate commutasse, accedat etiam mirifica illa ex divina fide hausta consolatio, ut nimirum voluntatem nostram ad Domini voluntatem omnia in bonum disponentis, arbitriumque conformemus. Id nostræ religionis rationes, id ipsam etiam, qua orbati sumus, filiam tamquam utilissimum animæ suæ, ac certissimum nostræ in eam pietatis argumentum a Nobis exposcere existimemus. Habes porro ipse alios, quibus solari desiderium illius potes, Liberos ac suavissimos Nepotes tuos, in quos convertens animum, tuamque Regiam Domum egregie fultam ac munitam divina benignitate videns prorsus conquiescas. Illi ut salvi tibi, ac sospites vigeant, et ad perennem Regiæ Majestatis Tuæ jucunditatem, et ad certissimum Christianæ Reipublicæ præsidium ita cupimus, a Deoque precamur, ut illud affirmare non dubitemus, ejusmodi vota nostra cum tui ipsius cumulatissimis votis contendere. Eadem nunc in eximium paternæ caritatis argumentum cum apostolica benedictione conjungimus, quam tibi, carissime in Christo fili noster, totique regiæ familiæ suæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die 7 martii* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXI.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

EPISCOPIS BERYTI, HELIOPOLIS, CONSTANTIÆ, TRIPOLIS, ALEPPI, CÆSAREÆ, ARCÆ, LUSTRÆ, ET CYPRI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 aprilis 1771.

Venerabiles, etc. Plurima paterni animi jucunditate accepimus epistolam vestram, quam unanimi gratulationis officio ad Nos communiter transmisistis, ac in eadem perlibenter intelleximus pietatem in Nos vestram, observantiam ac fidem, et pastoralem præterea sollicitudinem, qua de commisso vobis populo maxime estis affecti. Quæ omnia tanto jucundiora fuere, quanto studia hæc vestra opportunius Nobis acciderunt; partim enim Pontificium hoc impositum Nobis onus episcopali vestra diligentia valde sublevatum iri, partim etiam etiam vestras pro Nobis ad Deum obsecrationes præclaræ Nobis utilitati futuras non dubitamus. Quapropter, Venerabiles Fratres, et debitas vobis idcirco gratias habemus, et cumulatissimas, quas possumus, reddimus pietatis, studii, atque amoris vices, vosque etsi

locorum spatiis disjunctos, fide tamen et caritate Nobiscum conjunctissimos esse et agnoscimus et gaudemus. Vestris itaque rebus omnibus perinde ac nostris afficimur, ac singulari cura complectimur ea omnia, quæcumque ad vos, vestrarumque ecclesiarum rationes pertinent, neque quidquam magis cupimus, quam ut reipsa ac Pontificia opera nostra testari vobis valeamus propensam erga vos, vestramque nationem, ac plane paternam, qua vos prosequimur, voluntatem. Quam ut uberius vobis comprobemus, postulatorum vestrorum rationem habentes apostolica auctoritate facultatem singulis vobis benigne concedimus hisce nostris in forma Brevis litteris, bis quolibet anno Pontificiam benedictionem impertiendi populo vestræ cujusque fidei commisso, alterum scilicet quavis Resurrectionis dominicæ die, alterum vero alia solemni per annum festivitate, quam judicio arbitrioque vestro deligendam relinquimus. Habete hoc, Venerabiles Fratres, in luculentissimæ nostræ erga vos caritatis fiduciæque indicium, neque minus ex prolixissimo in vos animo proficisci existimate apostolicæ benedictionis salutare munus, quod Fraternitatibus Vestris, vestræque custodiæ concredito gregi peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *aprilis* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXII.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO EPISCOPO MALACITANO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 aprilis 1771.

Venerabilis, etc. Collegium Sancti Clementis a celeberrimo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Albornotio in civitate nostra Bononia pro Nationis Hispanæ Alumnis institutum, ob egregias ejusdem et pietatis et literarum laudes plurimum diligimus. Verum propterea singulari caritate idem præsertim prosequimur, quoniam in inclitam vestram nationem, quam summis Pontificiæ benevolentiæ studiis complectimur, non mediocrem ab eodem redundare utilitatem agnoscimus. Summorum enim virorum, qui inde prodierunt, fama et celebritate ut hactenus magnopere illius auctam esse gloriam videmus, ita et deinceps æque amplificatum iri cupimus, ac vehementer confidimus. Quamobrem optamus, ut ii qui in eodem collegio eximiam navatam a te operam omnibus probaverunt, non deesse suo labori, ac virtuti fructus sentiant, utque eorum præmiis ceterorum etiam ardor, ac industria ad laudem incitetur. Proinde cum dilectus filius

Doctor Thomas de Paulo Palanco in eodem collegio magnam morum atque ingenii sui opinionem relinquat, idemque ad petendum in Ecclesia ista Malacitana canonicatum lectoralem isthuc se conferat, Fraternitati tuæ eumdem magnopere commendare voluimus. Cum itaque optimo, quod speramus, experimento scientiæ suæ facto meritus a te fuerit, ut patrocinio suo adesse illi velis, id a te exposcimus, ut suffragii tui prærogativa, quam doctrinæ atque ingenio hominis pro æquitate tua tribueres, propter commendationem hanc nostram eumdem libentius exornes, et quæcumque intra æqui justique fines illi impertiri potueris, nostra etiam causa prolixe conferas. Hæc Nobis jucundissima fore profitemur, quæque merito ac virtuti illius largiere, ea Nos tamquam commendationi nostræ tributa putaturos, nullamque nostri propterea tibi grati animi significandi opportunitatem emissuros. Interim in uberrimum Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *aprilis* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXIII.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO PRINCIPI ASTURIARUM

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ die, 18 aprilis 1771.

Dilectissime, etc. Revertenti isthuc e Neapolitana Legatione dilecto filio Magistro Alphonso Clementi de Arostegui Capellano nostro, et causarum Palatii Apostolici Auditori, cum Nos Roma pertransiens pro sua erga Apostolicam Sedem observantia inviseret, tradidimus pictam Beatæ Mariæ Virginis imaginem, ut eandem tibi nostro nomine deferret. Voluimus, ut hoc etsi exiguo, pio tamen ac ad divinum cultum spectante munere penes te habere posses nostri erga te singularis amoris, ac paterni studii monumentum, quotiescumque in illud inspiceres, quod te pro tua pietate quotidie facturum non dubitamus, toties recordareris nostri, qui te una cum carissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum rege Catholico parente tuo, totaque Regia Domo tanta caritate complectimur, quanta major et cumulatior esse non possit. Novimus sane quam præclara animi tui sit jam ab ipsa stirpe ducta, ac domesticis exemplis magis magisque confirmata indoles, quam insitus religionis, omnisque virtutis colendæ, ac solidæ comparandæ laudis ardor; unde Nobis de te cogitantibus, patriumque

in te animum gerentibus mira profecto, et communis cum Parente tuo, ac pene par existit jucunditas. Habe igitur, dilectissime in Christo fili noster, hujusmodi Pontificiæ erga te voluntatis sacrum hoc pignus, tuæque in Deum, ac in Beatam Virginem pietati consentiens. Quam pietatem tuam, ut pro nostra facultate foveamus magis, eidem imagini, quo acceptior tibi esse possit, salutare nostræ benedictionis pretium adjunximus, ac tibi, unaque dilectissimæ in Christo filiæ nostræ Aloysiæ Mariæ Asturiarum Principissæ conjugi tuæ, cui plurimam in Domino salutem dicimus, pro omnibus Christi Domini ac B. M. V. festis diebus, ac quoties confessi et sacra communione refecti coram eadem imagine precationes vestras devote fuderitis, toties ut plenariam peccatorum indulgentiam lucrari possitis, Apostolica auctoritate concedimus ac largimur. In hujusmodi obsecrationibus vestris minime dubium esse Nobis potest, quin nostri etiam, ac Sacrosanctæ Dei Ecclesiæ memores esse pro vestra religione studeatis. Illud invicem vobis persuasum esse maxime debet, nunquam Nos ad Deum vota pro vestra felicitate intermittere; atque illud potissimum optare atque orare, ut procreari a vobis Liberos in tantam amplissimorum Regnorum hæreditatem, ac maximam publici boni spem et fortunam quam primum Nos lætari, gratularique vobiscum possimus; ac summas idcirco atque immortales Deo O. M. gratias referamus. Atque hujus divini beneficii auspicem apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque regiæ conjugi amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 18 *aprilis* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXIV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO DUCI BAVARIÆ,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 maji 1771

Dilectissime, etc. Litteræ tuæ ad Nos die IX Martii datæ mirifica jucunditate animum nostrum affecerunt; ex iis enim perspicue intelleximus, quæ tua sit de nostra erga te paterna singulari caritate fiducia, quamque tibi persuadeas cordi Nobis maxime esse quæcumque ad te, tuæque inclitæ Electoralis Domus dignitatem pertinent, cui tantum abest, ut quidquam detractum velimus, ut ornatiorem in dies eamdem fieri ac florentiorem cupiamus. Gratissimum igitur Nobis

fuit, dilectissime in Christo fili noster, ea te de Nobis omnia polliceri, quæcumque eximio hujusmodi nostro in te paterno amori maxime consentiunt. Paratos Nos itaque existima illa, de quibus nobiscum tam studiose agis in Nos ipsos suscipere, ac semina omnia controversiarum inter te, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Collegium, nostra auctoritate abscindere, atque ea imposterum rite servanda decernere, ut ipso Decreto nostro satisfactum tibi esse, ac Electorali Dignitati consultam facile videri possit. Sed dum tibi nostrum hunc, qualem maxime cupis, declaramus animum, una etiam plurimam, quam fovemus de tua in Nos filiali pietate fiduciam patefacimus; ac proinde a te vehementer petimus, ut quid amor in Nos tuus vicissim nunc a te postulet, deliberes ac decernas. Optime nosti, dilectissime in Christo fili noster, quam pro imposito Nobis munere solliciti esse debeamus de iis omnibus, quæ ad Ecclesiæ jura, pastorale ministerium, ejusque exercendi libertatem pertinent, et quam ægre idcirco tulerimus edicta illa, quæ in eo genere isthic facta crebro ad Nos afferebantur. Etsi valde res ipsæ displicerent, inducere tamen in animum nunquam potuimus, ut quidquam de te, quem maxime diligimus, secus ac tuam, tuorumque Majorem pietatem deceret, suspicaremur, qua in cogitatione magis adhuc confirmati sumus, cum de hujusmodi rebus site componendis a dilecto filio nostro Cardinali Pallavicino Secretario Status, et itidem a Secretario tuo dilecto filio Nobili viro Comite Paumgarthen agi cœptum esset. Nunc declarata invicem utriusque nostri inter Nos plena amoris pietatisque fiducia quid accommodatius, ac opportunius esse potest, quam ut eodem tempore ad omnes eas, quæ intercedunt, causas tollendas resecandasque incumbamus? Id igitur a te majorem in modum cupimus, teque etiam atque etiam obsecramus, dilectissime in Christo fili noster, ut quo Nos animo postulata tua excepimus, eodem tu hæc nostra excipias, interque Nos mutuo contendamus ut una constare possit, quam magna habeatur ratio, et tuorum meritorum a Nobis, et a te eorum omnium, quæ ad Nos Ecclesiæque universæ jura referuntur. Eo pacto et tua erga Nos pietate mirifice lætabimur, et quod enixe optamus, paternam cumulatissimam tibi voluntatem perspicue comprobabimus. Interim in singulare Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque inclitæ Electorali Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 4 *maji* 1771, *pontificatus nostri anno primo.*

CXXXV.

DILECTO FILIO

PETRO CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ

PRÆSIDENTI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 11 maji 1771.

Dilecte, etc. Cum per dilectum filium Philippum Carcanum significaveris Nobis de generalibus vestris comitiis, quæ pro successore tuo creando brevi habituri estis, voluimus pro singulari paterna nostra erga congregationem vestram benevolentia ea ad te scribere, quæ ad vestrum omnium utilitatem pertinere censemus, quæque cum a te erunt cum Abbatibus, et discretis nostro nomine communicata, gratissima omnibus futura arbitramur. Quid enim gratius, ac jucundius vobis esse debet, quam si vos ad illa excitemus, quæ vestra maxime intersunt, veramque vestram laudem ac gloriam continent? Quæ si in monasticæ vitæ disciplina accurate retinenda unice sunt posita, tunc ea certe vos assecutos, putate, si cum vobis præsidem eligatis, qui prudentiæ, obedientiæ, ac sanctitatis præclarum antea specimen dederit, qui ad virtutem, ad sacrarum litterarum studia, in quibus ipse præstet, alios facile impellat, qui denique omnis laudis ac religionis ardorem suo ipse exemplo in omnium animis possit accendere. Neque enim rerum vestrarum statum clarum ac florentem obtinere, et tueri unquam poteritis, nisi virtute ac doctrina congregatio vestra vigeat, neque vigere hujusmodi ornamentis poterit, nisi qui præsit omnibus, cæteros in consectanda instituti vestri norma suis ipse egregiis factis retineat. Quem igitur inter tot eximios vestræ congregationis viros præstare maxime hisce laudibus videtis, hunc vobis a Spiritu sancto ostendi quem eligatis existimate. Non privati commodi rationes, non cujusvis gratia vos ab hac publica, et maxima vestra utilitate quærenda removeat. Tunc singulis erit optime provisum, cum bene universis consulatis. Verum ne in hac vestra gravissima actione a recta judicandi ratione aberrare possitis, Deum unum consiliarium atque auctorem in suffragiis vestris ferendis adhibete, Patremque luminum, ut vobis præsto sit, et sententias vestras dirigat, implorate. Atque, ut aliorum etiam ad Deum precibus suffragatorum consilia juventur, patefactis Ecclesiæ thesauris Fidelium subsidia vobis adjungimus. Quapropter omnibus utriusque sexus fidelibus, qui per eos dies cum generalis conventus vester habebitur, monasterii, in quo

congregati fueritis, ecclesiam, vel quamvis aliam ex ecclesiis monasteriorum vestræ congregationis devote visitaverint, et Sacramento Pœnitentiæ primum expiati Sanctissimam Eucharistiam sumpserint, et pro exaltatione Sanctæ Matris Ecclesiæ, et congregationis vestræ incolumitate et incremento pias Deo preces obtulerint, plenariam omnium peccatorum indulgentiam fidelibus defunctis, per modum suffragii etiam applicandam pro una vice tantum de Ecclesiæ thesauro elargimur. Demum tibi, dilecte fili, omnibusque monachis tuæ congregationis, ac iis præsertim, qui suffragium in generalibus comitiis daturi sunt, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 11 *maji* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXVI.

DILECTO FILIO

MAURO FATTORINI, ABBATI ORDINIS CAMALDULENSIUM

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 maji 1771.

Dilecte, etc. Quod sa. mem. Prædecessores nostri primum Benedictus XIV, et deinde Clemens XIII, curandum decreverunt, ac doctissimo viro Mauro Sartio Abbati ex tua Camaldulensi congregatione mandarunt, ut de claris Archigymnasii Bononiensis professoribus scriberet, idem, illo vita functo, a te ad perficiendum ejusdem Clementis auctoritate esse susceptum vehementer gaudemus; nam qui jamdiu in doctissima illa urbe floruerunt viri, et præclaras artes docuerunt, eorumdem celebrari litteris, ac ad posteros transmitti nomen æquissimum esse judicamus, et minime ambigimus tanto muneri parem esse doctrinam, ingenium, atque operam tuam. Libentissime itaque id excipiemus opus, et quibus in Pontificatu successimus, illorum etiam in ejusmodi eruditos labores animum transmissum Nobis esse profitemur. Quin sponte etiam nostra vehementer favemus litteris, eaque omnia, quæ ipsarum splendorem augere possint, singulari studio complectimur. Idcirco et nostram illam civitatem omni doctrinarum genere excultissimam semper dileximus, et nunc maxime cupimus, ut hoc ejusdem antiquum decus, ac in tradendis disciplinis claritatem omnes agnoscant ac deprædicent. Quare non solum probari a Nobis commendarique laborem hunc tuum existima, sed paratissimos etiam Nos esse ad ejusdem, ut appellas, primitias, quas Nobis offers, atque inscribis, tuendas fovendasque patrocinio nostro, eaque Pontificiæ erga te benevolentiæ accessione, quæ plurimum, pro tua

in Nos observantia, atque obsequio valere possit ad te magis magisque ad persequendam perficiendamque operam excitandum. Ac in paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *maji* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXVII.

ALLOCUTIO

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS PAPÆ XIV

AD PATRES MINORES CONVENTUALES, IN COMITIIS GENERALIBUS, APUD BASILICAM SANCTORUM XII APOSTOLORUM, DIE XVIII MAJI MDCCLXXI CONGREGATOS.

Mira sane atque incredibili jucunditate Nos afficit conspectus hic vester, dilecti fili; gratissimam enim Nobis animo commovet privatæ Nostræ, atque a prima ætate tranquille actæ vitæ recordationem, cum una vobiscum in atriis Domini versaremur, una Sanctissimi Seraphici Patris vestigiis insisteremus. Hujusmodi pristinæ inter Nos conjunctionis memoriam cum animo repetimus, singularem omnino qua complexi semper vos sumus, caritatis ardorem excitari in Nobis experimur. Hinc corona hæc, et frequens hic vester consessus maximum est gaudium et jucunditas Nostra : præsertim cum vos in Spiritu Sancto congregatos, eaque agentes, ac de iis solicitos intuemur, quæ maximam universi Nobis carissimi Ordinis vestri utilitatem comprehendant. Quid enim est, quod vestra magis interesse potest, quam gravissima, quæ in his comitiis proposita vobis est, cura atque opera unum ex vobis eligendi, qui in omni virtutum genere exemplo sit cæteris, ac universos in optimis vivendi institutis ad accuratam legum vestrarum normam diligentissime retineat? Cujus quidem actionis vestræ quæ ratio sit, quam ardua, ac difficilis, præclare novimus, summamque in ea recte perficienda curam, integritatem, intelligentiam requiri. Verum æque cognoscimus, qui vester sit in communem Ordinis rem animus, atque et pristinis hujusmodi actionum exemplis non dubiam conjecturam facere possumus, quanta nunc etiam sitis, quam paria rerum gravitati studia allaturi. Id ipsum Nobis maxime persuadet unius cujusque vestrum optime Nobis cognita, et perspecta virtus. Nulla enim veriora, atque ad optimum unum inter omnes seligendum aptiora esse possunt, quam judicia bonorum.

Quippe eximia inter se caritatis societate conjuncti cum de se modice sentiunt, ac sibi ipsis singuli nihil arrogant, tum in aliorum perspicienda virtute sunt solertissimi. Proinde vos nec privati commodi rationes, nec cujuspiam gratia, neque ulla partium studia a vera vestra laude, atque utilitate possunt deducere. Tum recte singulis fore provisum putatis, cum præclare erit consultum universis, tum beatam ac florentem publicam rem vestram futuram, cum sanctitate, et doctrina vigebit : hunc vero excellentem virtutis statum tum potissimum habituram, cum eum ducem, ac præsidem nacta fuerit, qui sit omni integritatis doctrinæ, gravitatis, sanctitatis genere ornatissimus. Siquidem is poterit cæteros naviter ad omnem laudem impellere, qui, quod a reliquis efflagitat, ipse antea eximium obedientiæ ac humilitatic specimen dederit, qui simplicitatem prudentiæ, lenitatem severitati, religionem ac pietatem mansuetudini summæque in omnes caritati conjungat, qui increpare, et obsecrare, docere atque hortari apte sciat, qui denique spiritualis vitæ ardorem excitare, et illam sanctitatis præstantiam a primo parente, atque institutore deductam in omnium animos derivare possit. Magnum profecto ac singulare est quidpiam, unum hæc cuncta posse complecti, quæ in tanto munere gerendo requirimus. Sed extant ampla, atque illustria, quæ consectetur exempla eorum, qui hujusmodi laude jampridem claruerunt, et hujus ipsius, quem præsentem intuemur, quemque ob eundem magistratum recens egregie gestum fatemur a Nobis plurimum et commendari, et diligi. Hos itaque imitemur, et quorum gradu insistet, eorundem præstantiam referat. Facta præsertim, et consilia Seraphici Patris omnia, et illud sancte vivendi tamquam clarissimum sibi lumen ad sequendum proponat, ac assidue contempletur. Sed cælestem opem exquirat maxime atque imploret : confugiat ad sanctitatis, et bonorum omnium auctorem Deum ipsum, cui uni inserviet, cujus causam sustinebit : ejus præsidio se muniat, qui vires ad eadem, quæ postulat, largissime impartitur, cum illius ope unice confidimus. Hunc igitur, quem hæc aptissime præstaturum cognoscitis, dilecti filii, ostendi vobis a Domino, quem eligi ipse velit, existimate. Spiritus Sanctus de cælo delabentis, atque apostolorum corda inflammantis memoria, quam nunc opportune recolimus, vestros etiam excitari, atque incendi animos palam facite : illum unum auctorem, et consiliarium in suffragiis ferendis adhibete. Date hoc Nobis : hoc vestræ virtutis præsenti testimonio nostram de vobis præclarissimam opinionem, ac eximiam in vos benevolentiam amplificate. Eandem jamdiu quidem in vos susceptam augeri maxime in dies, atque adolescere semper sensimus : et cum deinde ad apostolicam

cathedram, etsi immerentes divinitus evecti fuimus, eo mirabilius progressam esse videmus, quo major Nobis ornandi vestri, vobisque gratificandi facta est potestatis accessio. Facite itaque, ut ex hac vestra actione intelligamus nostra in vos studia, ac paterni animi summam caritatem optime esse collocatam. Nos equidem a vestra in Nos pietate id Nobis omnino pollicemur, atque invicem vobis profiteri possumus, Præfectum vestrum omnia in Nobis, atque in Apostolica Sede præsidia esse habiturum, eosque benevolentiæ nostræ fructus, qui maxime ad Ordinis vestri splendorem, ac sanctitatis et doctrinæ incrementum pertinent, consecuturum.

CXXXVIII.

DILECTÆ IN CHRISTO FILIÆ NOBILI MULIERI

ANNÆ COLUMNÆ BARBERINI,

DUCISSÆ SFORTIÆ, CÆSARINI VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 25 maji 1771.

Dilecta, etc. Certiores facti sumus a venerabili fratre Prospero Celestino episcopo Narniensi te die 17 hujus mensis ab illo Sanctæ Restitutæ monasterio discessisse, et Cornetanam nostram civitatem petiisse, ut novum istud passionis Christi monasterium ingressa, optimum posses de salute tua Deique vocatione consilium exequi. Gaudemus sane divinæ te voluntati, ejusque gratiæ stimulis obsecutam tandem esse, ac ad eam salutis viam, quæ Domino placeat ineundam comparari majorem in modum tibi gratulamur. Vehementer enim ad rei summam interesse scimus, ne divinas de nostra æterna salute rationes aliis, aut nostræ aut aliorum voluntatis rationibus impediamus, ac retardemus. Atque ejus tui in monasterium ingressus felix inde capimus etiam auspicium, quod in eos inciderit dies, quibus Sancti Spiritus e cœlo delabentis, ac Apostolorum corda inflammantis memoriam celebramus, cujus enim te vocantis afflatus, jam antea senseras, ejusdem cumulatiora hoc tempore non dubitamus in te futura dona, quibus in suscepta ratione conforteris, ac multo quam antea robustior fias, et confirmatior. Id quidem tanto certius assequeris, quanto prius illi cor tuum consecraveris, ac prorsus integram tuæ voluntatis sacrificium obtuleris, neque unquam intermiseris preces ad eum fundere, in eoque cogitationes, spes, rationesque tuas omnes collocare. Hæc sunt, dilectissima in Christo filia nobilis mulier, nostra de tua salute consilia, hæc ex intimo paterno corde deprompta vota,

quibus ut uberiorem in te divinam benedictionem eliciamus, ejusdem auspicem apostolicam benedictionem tibi peramanter impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die* 25 *maji* 1771, *pontificatus nostri anno secundo.*

CXXXIX.

VENERABILI FRATRI

MICHAELI PETRO PATRIARCHÆ CILICIÆ ET SYRIÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 25 maji 1771.

Venerabilis, etc. Redditæ Nobis sunt litteræ Fraternitatis tuæ die XXV martii ad Nos datæ, in quibus commendas Nobis venerabilem fratrem Joannem episcopum Mardensem, cujus diuturnam ac egregiam in vinea Domini operam fuisse, et nunc adversariorum iniquitate fugere inde coactum ad Nos esse testaris. Nos et tuæ commendationis, et ejusdem de Ecclesia meritorum plurimam habemus rationem; proinde ipsum perbenigne excepimus; quemadmodum et ex ipso cognosces, et ex nostra de Propoganda Fide Congregatione. Libenter etiam alteri tuo postulato annuimus, receptusque jam est in Propogandæ Fidei Collegium nepos tuus, ubi studiis vacare possit, eaque discere, quæ ad te porro reversus tuos in isto monasterio clericos utiliter doceat, teque in tanta curarum mole versantem sua auxiliari opera sublevet. Ex his omnibus vides, venerabilis frater, quam propensum in te geramus animum, quem in Dominico agro impigre ac sedule laborantem agnoscimus quamque parata in Nobis præsidia sint iis omnibus, qui se Catholicæ fidei tuendæ ac propagandæ, divinæque amplificandæ gloriæ devoverunt. Ac in singularis in te Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 25 *maji* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXL.

CARISSMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 junii 1771.

Carissime, etc. Certiores a Majestate Tua facti celebratas esse faustissimas nuptias inter dilectissimum in Christo filium nostrum Lodovi-

cum Stanislaum Provinciæ Comitem nepotem tuum, ac dilectissimam itidem in Christo filiam nostram, Mariam Josepham Aloysam neptem carissimi in Christo filii nostri Caroli Emmanuelis Sardiniæ Regis Illustris, atque in hujus lætitiæ tuæ partem a te vocati, ea plane jucunditate accedimus, qua majorem capere paternus animus noster, ac uberiorem non potest. Summus est noster erga te, tuosque regios omnes liberos amor, singularisque pietas, qua universæ Borboniæ Domui Tuæ fausta semper ac felicia omnia precati sumus, proinde nihil magis paternæ huic caritati nostræ votisque consentit, quam eandem videre Regiam Domum novis augere conjugiis, ex quibus amplissima possit una cum insitis virtutibus ad istius Regni felicitatem soboles propagari. Eandem ad Ecclesiæ quoque Sanctæque hujus Sedis decus ac tutamen extituram certissime Nobis pollicemur cum ex majoribus suis, ac ex te ipso præsertim exempla repetet religionis, ac in Nos pietatis illustria. Jure igitur ut lætitiæ, ita etiam gratulationis, cujus tibi officium persolvimus, plurimam in ipsos partem redundare cognoscimus et gaudemus. Facile idcirco tibi persuadeas, carissime in Christo fili noster, mirifica a Nobis ad eam rem afferri studia, eaque, quæ tu maxime cupias, cumulari vota, ut hæc scilicet nostra tecum communis jucunditas ex his auspicatissimis initiis magis in dies amplificetur ac excrescat. Nos sane præripimus hanc spem ex præstantissima nubentium adolescentium indole, ex utriusque Regiæ Domus amplitudine ac fortunis, et ex renovata illa necessitudinis conjunctione, quam olim per gloriosissimos Parentes tuos coaluisse semper lætabimur. Quæ quidem desideria expectationesque nostræ ut divina benignitate rata sint, ejusdem benedictionis auspicem et apostolicam benedictionem Majestati Tuæ, regiis Sponsis, Liberisque tuis omnibus universæque Borboniæ Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 5 *junii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLI.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVII JUNII MDCCLXXI.

Venerabiles Fratres. Complures Lusitaniæ ecclesias cum hodie proposituri simus ac de iisdem decreta facturi, rerum et locorum opportunitate admoniti non possumus, Venerabiles Fratres, summa cum

animi jucunditate non recordari carissimi in Christo filii nostri Josephi Portugalliæ et Algarbiorum Regis Fidelissimi, de quo sæpe antea vos allocuti sumus et commemorare nova ac illustria suæ erga Nos atque hanc Apostolicam Sedem conjunctionis, amoris, pietatis testimonia. Eadem nunc potissimum Nobis declarat atque exhibet summa illa nostri erga se studii, singularisque caritatis fiducia, qua petit a Nobis, ut Bullam Cruciatæ pro tuenda propogandaque religione institutam renovemus, atque auctoritate apostolica confirmemus. Acceptissimum quidem est Nobis quidquid ab illius, quem eximie diligimus, sapientia proficisci unquam potest; cum vero idipsum, ut sæpe fit, ejusdem religionem, atque in Nos pietatem præ se fert, tum vero mirifica in illum benevolentiæ accessione incendimur. Ac propterea hujusmodi præclaros regiæ virtutis sensus a Nobis intime perceptos vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, quos ejusdem recentibus erga Nos meritis, atque constanti erga Ecclesiam animo perinde ac Nos ipsos gaudere non dubitamus. Verum ut non inane, ac infructuosum sit commune gaudium hoc nostrum, conari debemus, ut illud ad ipsius gloriæ ac felicitatis incrementum referamus. Quod præclare a Nobis fieri poterit, si a Deo Optimo Maximo præsidia atque ornamenta omnia ipsi, ejusque Liberis ac universæ Regiæ Domui non intermissis precibus implorabimus.

Habemus propterea, Venerabiles Fratres, alteram cujus in partem vos advocamus, immensæ jucunditatis causam ex faustissimo ad Nos nuper ab Oriente, atque a Chaldæis allato nuncio, nimirum ab eorum Patriarcha Simeone divinæ gratiæ lumine illustrato jam diu receptos in illa gente impii Nestorii errores fuisse rejectos atque omnino repudiatos. Idem ipse plenas observantiæ atque obsequii dedit ad Nos litteras in quibus luculenter suam Nobis probat de Sanctissima Trinitate fidem, divinam in Christo atque humanam naturam in unitate Personæ conjunctas profitetur, Mariam Christi Matrem Dei Genitricem appellat et colit. Nos porro Beati Petri successorem, et Christi Vicarium, Romanamque hanc Sedem Ecclesiarum Matrem ac Magistram agnoscit, in Apostolicæ Petræ, a qua fuerat abscissus, firmitate stabiliri postulat, pacis et caritatis tesseram a Nobis expetit. Decreta nostra, legesque, quas daturi sumus, expectat. Incredibilis lætitiæ, quam propterea percipimus, magnitudo mirum in modum augetur illa gaudii ubertate, quod inde in universam Ecclesiam redundaturum videmus; quæ quanto acerbiorem antea ex miserrimo filiorum dissidio dolorem hauserat, tanto ampliorem ex eorumdem inopinato reditu nunc animi jucunditatem capiet. Nos sane in hac illorum accessione nullis paternæ pietatis, studii, caritatis officiis deerimus. Interim Deo

O. M. immortales gratias reddimus, quod Pontificatus nostri tempora hoc felicissimo ac optatissimo Ecclesiæ successu exornaverit. Sed eundem lætitiæ nostræ, ac præclarissimi operis auctorem assidue deprecabimur, ut quod cœpit, ipse perficiat, ac firmam et constantem faciat Pastorum et Populorum nobiscum in fidei et concordiæ unitate consensionem. Vos æque conjunctis Nobiscum studiis nostram operam adjuvatuos confidimus, Venerabiles Fratres, ut quem ex hujusmodi divinæ gloriæ incremento communem capturi sumus lætitiæ fructum, eundem vestris etiam ad Deum obsecrationibus referamus.

CXLII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 junii 1771.

Carissime, etc. Illud Nobis maxime semper in votis erat pro mirifica ac singulari, qua erga Majestatem Tuam, omnemque Regiam Domum sumus paterna nostra caritate, atque illud præsertim a Deo O. M. assidue precabamur, ut a dilectissimo in Christo filio nostro Carolo Principe Asturiarum tuo per carnem filio procreari tandem liberos in tantam amplissimorum Regnorum hæreditatem, ac maximam publici boni spem et fortunam videremus, et communi idcirco tecum summo eximioque gaudio lætaremur. Illud ipsum cum die 18 aprilis ad eundem dilectissimum in Christo filium nostrum literas daremus, quibus exiguum sane sed pium Beatæ Mariæ Virginis Imaginis munus ad eum transmissum prosequebamur, a Nobis potissimum optari atque orari significaremus, expectarique quam primum, ut immortales propterea Deo ipsi gratias referre deberemus. Utinam nunc, carissime in Christo fili noster, assequi verbis possimus, quanta exuberet lætitia paternus animus noster, ex quo redditæ Nobis sunt tuæ litteræ exoptatissimum afferentes nuncium, dilectissimam nimirum in Christo filiam nostram Aloysiam Mariam Asturiarum Principissam nurum tuam quinto jam mense prægnantem esse, excitantesque Nos ad agendas divinæ benignitati gratias, ac ad nostra pro fausto felicique partu vota cumulanda. Incredibile sane est, quantum hujusmodi officio, tuaque filiali de Nobis fiducia delectati sumus, quantosque stimulos id ipsum contendentibus Nobis omnique illuc studio properantibus addidisti. Statim manus ac mentem in cœlum extulimus, quantasque potuimus Deo gratiarum laudes per-

solvimus, ac jam inchoatum hoc beneficium suum, eique subnixas spes nostras, ut fortunatiore compleat semper ac perficiat exitu, eo ardore et precati sumus et precari numquam intermittemus, quem animus noster capere intra se, et continere maximum potest. Id a Nobis et Regiæ tuæ Domus amplitudo ac dignitas, et tuorum Regnorum populorumque felicitas, et ipsius Nobis a Deo commissæ Ecclesiæ ratio, atque utilitas vehementer exposcit; sed majorem in modum excrescere hoc officium nostrum atque amplificari sentimus illa immensi amoris magnitudine, qua affecti erga te sumus, qua tua omnia perinde ac nostra complectimur, quaque in te studia, vota, spes, jucunditates, ac necessitudines nostras ex certissimo animo decreto jamdiu collocavimus. Quam nostræ tecum pietatis, atque amoris conjunctionem magnopere cupimus, carissime in Christo fili noster, hac etiam tanti boni opportunitate propiorem quodammodo, multoque adstrictiorem fieri. A te itaque vehementer petimus, ut ultro libensque ratum facere velis desiderium hoc, quo flagramus, ut scilicet Regium Infantem, quem in tanti nominis Regnique spem genitum iri confidimus ac Deum ardentissime rogamus, in spirituali regeneratione per Nos ipsos suscipiamus, ac ad Parentis animum, quem gesturi in eum sumus, Patrini etiam personam, ac munus adjungamus. Hac nova nostræ confirmandæ necessitudinis ratione Nos mirifice lætabimur, a Deoque ipso enixe postulabimus, ut eandem ille auspicatam esse velit, suæque in te, tuosque Liberos benignitatis constantibus ac perpetuis indiciis comprobet. Eam uberiorem adhuc fieri per apostolicam benedictionem cupimus, quam Catholicæ Majestati Tuæ, Regiis Liberis, universæque carissimæ nobis Domui intimo paterni animi sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, die* 20 *junii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLIII.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO EUGENIO ARCHIEPISCOPO EPHESINO,

ORDINARIO NOSTRO ET APOSTOLICÆ SEDIS IN GERMANIA NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 junii 1771.

Venerabilis, etc. Transmittimus tibi, Venerabilis Frater, Apostolicas in forma brevis litteras nostras, quas singulatim ad Venerabiles Fratres Episcopos, suam Episcopalem sedem ac diœcesim constitutam habentes in iis extra Italiam locis, qui Austriæque ditioni subjacent;

quibus in litteris, prout a Nobis postulavit carissima in Christo Filia nostra Maria Therésia Hungariæ Regina Apostolica, nec non Bohemiæ Regina illustris in Romanorum Imperatricem electa vidua, novam sancimus de imminutione festorum dierum legem, atque indici populis, qui eidem subjecti sunt, ab iisque servari mandamus. Harum litterarum verba ipsa, ut vis legis perspecta tibi esset, sequenti tenore subjicimus Venerabili Fratri Josepho archiepiscopo Colocensi : Clemens Papa XIV. Venerabilis Frater salutem et apostolicam benedictionem paternæ caritati. Inseratur subsequens breve usque ad verba : Benedictus Stay. Hic est nostrarum ad episcopos epistolarum tenor, quas in iis ipsis reddendas Venerabilis Frater, suam cuique curabis, sed cum alii etiam sint exteris in regionibus episcopi qui aliquam suæ diœcesis partem habent in iis extra Italiam locis, qui Austriacæ ditioni subjiciuntur; delegamus idcirco Fraternitatem tuam, tibique committimus ut per tuas litteras hanc ipsam legem iisdem nostro nomine pro illis tantummodo locis recipiendam servandamque denuncies. Quod quidem etiam eadem, quam tibi demandamus, auctoritate præstabis cum iis Abbatibus, qui nullius diœcesis sunt cæterisque præpositis, quicumque juribus episcopalibus gaudent illis pariter in locis, qui extra Italiam Austriacæ Domus temporali Dominio subjacent. Hæc sunt, Venerabilis Frater, quæ tibi idcirco præscribenda ac mandanda libenter decrevimus, quod eadem pro perspecta tua sedulitate ac fide accuratissime a te confectum iri non dubitamus. In quo cum plurimum nostro de te judicio satisfeceris, tum etiam vehementer auxeris eam, qua te majorem in modum prosequemur, pontificiam benevolentiam nostram, in cujus itidem pignus apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *junii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

Vigore præsentium expeditæ fuerunt, ab apostolico Viennensi nuntio suæ litteræ, cum annexo Apostolico Brevi ad sequentes :

Ad Electorem Trevirensem; Ad Electorem Coloniensem; Ad Archipiscopum Rhemensem; Ad Archiepiscopum Cameracensem; Ad Episcopum Leodiensem; Ad Episcopum Metensem; Ad Episcopum Verdunensem; Ad Abbatem Sancti-Lamberti congregationis Benedictinæ; Ad Patrem Rectorem collegii Greciens. Societatis Jesu ordinarii Millostadiens.

CXLIV.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO ARCHIEPISCOPO COLOCENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 junii 1771.

Venerabilis, etc. Paternæ caritati, qua Christi fideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorumdem temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus præsertim illi ad spiritualia consectanda fieri propensiores alacrioresque possint; utraque enim ita componi et constitui debent, ut altera obesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter etsi præcipue ad divinum cultum, animarumque salutem nostra Apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ex minime neglecta temporalium rerum opportunitate non solum impedimenta, si qua sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adjumenta comparari posse cognoscimus. His inductum rationibus fel. rec. Benedictum XIV sapientissimum prædecessorem nostrum fuisse scimus, qui ad preces carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungariæ Reginæ Apostolicæ nec non Bohemiæ Reginæ Illustris in Romanorum Imperatricem Electæ Viduæ indulsit, ut fideles populi *istius civitatis et diœcesis* quibusdam festivis diebus servato in eorumdem festorum vigiliis, in quibus præceptum erat, jejunio, ac audita tantum in iisdem Festis Missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus vacare possent. Sed ex eadem dispensatione illud postmodo, sicut accepimus, evenisse deprehensum est, ut alii in suo artificio nimis occupati præceptum audiendi Missam omnino negligerent, alii vero ea obligatione jejunandi in vigiliis, et audiendi sacrum in festis occasionem caperent a laboribus abstinendi, et otio indulgendi. Quæ incommoda agnoscens, ac ægre ferens eadem carissima in Christo filia nostra pro ea qua est in Deum pietate, ac in subjectos sibi populos studio, obviam iisdem ire nunc statuit, proindeque a Nobis enixe flagitat, ut eosdem Christi fideles etiam a præcepto jejunandi et audiendi Missam iis diebus, quibus operi vacare permittitur, solutos esse Apostolica auctoritate velimus. Nos igitur ejusdem votis, quantum in Domino possumus obsequendum, et populorum conscientiæ consulendum esse judicantes, Fraternitati tuæ committimus ac mandamus, *ut in ista civitate ac diœcesi tua Austriacæ Ditioni subjectis,* hanc aliam de festis diebus legem, in quam maturo consilio, ac expensis omnibus

descendimus, auctoritate nostra Apostolica denuncies ac edicas. Retineantur nempe, ac celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes item cum sequenti, aliique per annum dies Dominici, nec non Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis et Corporis Christi, tum quinque dicati Beatæ Mariæ Virgini, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis; præterea retineantur festa sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, omnium Sanctorum, S. Stephani Protomartyris, et unius tantum principalioris Patroni; sed si alicubi plures Patronos æque principales haberi contigerit, diligenter inquiras, necesse est, Venerabilis Frater, quinam ex dictis principalioribus Patronis potiorem cultum ac venerationem in ea vel civitate, vel oppido, vel pago habeat, et in ejus tantum propria die Festivitatis præceptum designes. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto Christi fideles sacris adesse, a servilibus operibus abstinere et jejunium, in eorundem Vigiliis, quibus adnexum sit observare debeant ac teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes et servilia opera, quemadmodum Benedictus XIV concesserat, permittimus et indulgemus; sed insuper eosdem Christi fideles a quacumque Vigiliæ seu jejunii diebus præcedentibus, dummodo aliunde vel ratione Quadragesimæ vel ratione quatuor temporum non præcipiatur, et audiendi Missam in prædictis festis obligatione absolvimus et liberamus. Sed quoniam dum Populorum conscientiæ consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentiæ providemus, Sanctorum venerationem, et salutarem Christi fidelium pœnitentiam minuere, non intendimus; ideo Sanctorum ac Solemnitatum officia et Missas tam in iisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri, et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari mandamus; sacrum vero jejunium, quod in prædictis vigiliis habebatur, ad quartas et sextas ferias Adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus et constituimus. Ut autem non solum clerici et divites homines seculares, qui etiam diebus non festivis sacrosanctæ Missæ sacrificio, ac divinis officiis, quod vehementer cupimus adesse possunt; sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum Apostolorum ac Martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servent, ac venerentur, volumus ac præcipimus, ut die 29 junii ultra præcipuam sancti Petri et Pauli solemnitatem, etiam aliorum Apostolorum, et die 26 decembris ultra præcipuum sancti Stephani festum etiam aliorum Sanctorum Martyrum memoria celebretur. Quare die 29 junii, in calendariis ecclesiasticis ita fes-

tum inscribendum erit S. Petri et Pauli et commemoratio omnium Apostolorum, ac tam in officio quam in Missa addetur Commemoratio de communi Apostolorum, die vero 26 decembris ita notetur festum S. Stephani Protomartyris, et Commemoratio omnium sanctorum Martyrum, ac tam in officio quam in Missa addenda erit Commemoratio de communi plurimorum Martyrum. Hæc Nos, Venerabilis Frater, non minus spiritualem, quam temporalem istius populi utilitatem intuentes sancienda esse judicavimus; in quo plurimum sollicitudini, ac pastorali vigilantiæ tuæ confidimus, qui illud profecto sedulitate, studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo major sit in populorum animis pietatis fervor ac devotio. Proinde vehementer cupimus ac in Domino Fraternitatem tuam hortamur, ut Populos tibi commissos diligenter edocendos cures, quæ ad justam legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore quaque humilitate spiritus adstare Sanctissimo Altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus et Christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant; et ne per eos dies Christi fidelium corda graventur crapula et ebrietate, et secularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut profana quæque, lubrica, et minus religiosa a publicis locis amoveantur; contra vero in conspectu illa sint, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem pietatemque plurimum prodesse possint. Quæ quidem cuncta a perspecta pastorali sedulitate tua Nobis maxime pollicentes, in Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso Populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *junii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

Eodem Exemplo: Archiepiscopo Mehliniensi, Archiepiscopo Goritiensi, Episcopo Neostadiensi, Episcopo Agriensi, Episcopo Csanadiensi, Episcopo Jauriensi, Episcopo Quinquecclesiensi, Episcopo Varadiensi, Episcopo Veszprimiensi, Episcopo Nittriensi, Episcopo Zagrabiensi, Episcopo Bosnensi seu Deakoviensi, Episcopo Transylvaniensi, Episcopo Olumucensi, Episcopo Tergestino, Episcopo Segniensi, Episcopo Antverpiensi, Episcopo Brugensi, Episcopo Iprensi, Episcopo Ruremundano.

Sequentibus vero Episcopis pro lineatis primo loco scribatur. *Ut fideles Populi, ipsius Ditioni subjecti,* et pro lineatis, secundo loco, *Ut in iis Diœcesis tuæ locis, qui Ditioni Austriacæ subsunt.* Archiepiscopo Salisburgensi, Episcopo Augustano, Episcopo Frisingensi, Episcopo Tridentino, Episcopo Curiensi, Episcopo *Chiemensi, Episcopo Passaviensi, Episcopo Brixinensi,* Episcopo Wratislaviensi, Episcopo Basileensi, Episcopo Ratisbonensi. Item sequentibus pro lineatis primo loco scribatur. *Ut fideles Populi ipsius*

Ditioni subjecti, et secundo loco. *Ut in ista civitate et diœcesi tua Austriacæ Ditioni subjectis.* Episcopo Litomericensi, Episcopo Seccoviensi, Episcopo Reginohradecensi, Episcopo Laubacensi, Episcopo Gurgensi, Episcopo Lavantino, Episcopo Petinensi. . . . . .

Insup. mut. mut. cardinali Migazzio Archiepiscopo Viennensi in Austria, et Episcopo Vacicensi. *Ut fideles Populi, qui in tuis diœcesibus sunt, etc. Ut in istis civitatibus et diœcesibus tuis Austriacæ Ditioni subjectis, etc.* Cardinali de Rodt Episcopo Constantiensi. *Ut fideles Populi ipsius Ditioni subjecti, etc., parte quæ Austriacæ ditioni subjicitur, etc.* Cardinali de Rohan Episcopo Argentoratensi. *Ut fideles Populi ipsius Ditioni subjecti, etc. Ut in ea diœcesis tuæ parte, quæ Austriacæ Ditioni subjicitur.* Archiepiscopo Pragensi. *Ut fideles Populi ipsius Ditioni subjecti, etc. Ut in ista civitate, ac in iis diœcesis tuæ locis, qui Austriacæ Ditioni subsunt.*

Vicario capitulari Ecclesiæ Metropolitanæ Strigoniensis, Vicario capitulari Ecclesiæ Cathedralis Syrmicensis, Vicario capitulari Ecclesiæ Cathedralis Tornacensis, Vicario capitulari Ecclesiæ Cathedralis Namurcensis, Vicario capitulari Ecclesiæ Cathedralis Gandavensis. *Ut fideles Populi istius civitatis et diœcesis, etc. Ut in ista civitate ac diœcesi N. Austriacæ Ditioni subjectis, etc.*

CXLV.

VENERABILI FRATRI

BERNARDINO ARCHIEPISCOPO DAMASCENO,

NOSTRO ET APOSTOLICÆ SEDIS

APUD CHRISTIANISSIMUM REGEM ORDINARIO NUNTIO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 17 julii 1771.

Venerabilis, etc. Propinquat jam tempus, Venerabilis Frater, quo dilectissima in Christo filia nostra Aloysia Maria, Regia Galliarum Principissa, completo sui tyrocinii anno Solemnia per religiosam professionem vota in isto S. Dionysii Carmelitarum Virginum monasterio nuncupabit. Qua quidem actione perfungi majorem ipsa in modum exoptat, mirificum exhibitura constantiæ suæ in contemptu mundi, ac in Christi Sponsi conjunctione documentum. Illa profecto dies erit, ut in Regia Virgine solida atque invicta virtus, et sapientia triumphare, ac pompis omnibus longe anteferendum veræ gloriæ decus præ se ferre videatur. Illam ipsam Nos diem exornare maxime atque illustrare, quantum in Nobis est, cupimus, omnemque proinde decoris, ac splendoris cumulum Pontificio nostro nomine, cum præsentes ipsi esse nequeamus, adjungere. Quapropter præterito quemadmodum anno in sacri habitus suscipiendi celebritate fecimus,

idem nunc etiam summo atque incredibili studio præstamus; teque, Venerabilis Frater, hisce iiteris nostris specialiter deputamus ad excipiendam in manus tuas, religiosam, quam eadem dilectissima in Christo filia nostra emissura erit, votorum professionem, atque ita destinamus, ut in ea peragenda cæremonia nostras prorsus vices agere te, nostroque nomine munus id obire velimus; ut scilicet, quoad fieri potest, major et devotionis et dignitatis fiat accessio et Nos ipsi ejus actionis partem aliquam habere Nobis videamur, qui maximam habemus lætitiæ, quam cum ipsa ejusdem amantissimo Parente carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo, plane dividimus.

Atque ut ad sacram celebritatem sacrum etiam munus afferamus, spirituales thesauri largitione commune istius præsertim Ordinis gaudium multo uberius reddere et cumulatius statuimus. Itaque quo die solemnia religionis vota in tuas manus Regia Galliarum Principissa emittet, plenariam indulgentiam tam ipsi quam omnibus ejus monasterii monialibus concedimus, ac eamdem etiam extendimus ad cæteras, quæ per totam sunt Galliam, Carmilitas excalceatas virgines et præterea ad moniales monasterii Nannetensis de Calvario nuncupati, pro quibus id a Nobis vehementer postulat dilectissima in Christo filia nostra Victoria Regia Galliarum Principissa, quæ easdem patrocinio suo tuetur ac fovet. Et quo adhuc magis in tanta pietatis opportunitate liberales simus, tibi, Venerabilis Frater, facultatem impertimur, ut ejusdem plenariæ indulgentiæ salutare munus iis itidem conferas religiosis Communitatibus et personis, quæ tanta Regiæ Virginis virtute captæ ac ad sua devotionis studia cæteris conjungendæ inflammatæ id ipsum a te innixe petent ac flagitabunt. In quo tamen illud cavere debes ne quid in tanta dispensatione profusius multo, quam par sit, ac irregularius factum esse videri possit. Illis igitur omnibus rite confessis ac sacra communione refectis ferventissimas eo die preces ad Deum faciendas injungimus pro Catholicæ Ecclesiæ exaltatione, pro carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Rege Christianissimo, ejusque Liberis, universaque Regia domo Regnoque florentissimo, ac potissimum pro tanti gaudii auctrice, quæ se Christo Sponso ita devovet, ut suam vitam omnem in eo abscondat, ac ejus unicæ fidei potestatique committat. Quibus igitur hanc plenariam indulgentiam benigne concedimus, eamdem tibi mandamus, Venerabilis Frater, pro tua diligentia facias, in omnium notitiam mature pervenire. Ac in nostræ Pontificiæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 17 *julii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLVI.

VENERABILI FRATRI

BERNARDINO ARCHIEPISCOPO DAMASCENO,

NOSTRO ET APOSTOLICÆ SEDIS

APUD CHRISTIANISSIMUM REGEM ORDINARIO NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 17 julii 1771.

Venerabilis, etc. Dedimus alias ad te, Venerabilis Frater, hac ipsa die litteras nostras, quibus plenariam indulgentiam benigne concedi a Nobis declaravimus Carmelitis Excalceatis Monialibus, aliisque non nullis seu communitatibus seu personis pro eo die, quo dilectissima in Christo filia nostra Aloysia Maria Regia Galliarum Principissa solemnia religiosæ professionis vota in tuas manus emittet. Sed quoniam ex more Carmelitarum Virginum alia votorum aliquot ante dies præcedet in Priorissæ monasterii manus emissio, eum tamen sanctæ tamque memorandæ celebritatis diem minime præteireundem esse duximus, quin clarum itidem ornatumque apostolica liberalitate redderemus. Eo itaque die tam ipsi Regiæ Virgini, quam cæteris omnibus ejusdem monasterii monialibus confessis ac sacra communione refectis plenariam peccatorum indulgentiam concedimus ac impertimur, tibique, Venerabilis Frater, mandamus, ut mature easdem de cumulato hujusmodi salutari munere, ac etiam de paterno nostro erga ipsas luculentissimo animo facias certiores. Ac in Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, die* 17 *julii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLVII.

VENERABILI FRATRI

ARSENIO ARCHIEPISCOPO MARONITARUM ALEPPI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 julii 1771.

Venerabilis, etc. Maximo sane dolore affecti fuimus, Venerabilis Frater, ex litteris tuis die XXII decembris anni præteriti ad nos datis, quibus certiores Nos fecisti dissensionis ac discordiæ, quæ inter te et Venerabilem Fratrem Josephum Stephanum Patriarcham vestrum non

sine plurima istius nationis offensione, ac gravi etiam periculo intercedebat. At divino plane beneficio factum esse putamus, ut eodem pene tempore intelligeremus ex dilecto filio Stephano Borgia nostræ congregationis de Propaganda Fide secretario, ad quem recentiores tuæ pervenerunt litteræ, reconciliatam esse gratiam, ac fraternam plane, qua invicem esse debetis, concordiam inter vos restitutam. Quantum igitur molestiæ ex illo vestro dissidio antea ceperamus, tantum porro lætitiæ in paternum cor nostrum ex hac inita inter vos consensione promanavit. Te igitur ac Patriarcham vestrum, quorum causa mœrebamus, cum nunc hujus nostri gaudii esse videamus auctores, eo luculentiori Pontificia benevolentia complectimur ac plurima etiam commendatione ac laude cumulamus, utpote qui non tam susceptæ contentionis, quam officii vestri, evangelicæ caritatis, et commissi vobis gregis utilitatis memores esse voluistis. Quapropter quod reliquum est, Venerabilis Frater, etsi minime Nobis dubium esse possit, quin ullis amplius controversiis disrumpenda unquam sit hujusmodi vestrorum animorum conjunctio, tamen tam egregie comparatos vos apostolica etiam hortatione nostra magis magisque incendi cupimus, ut eximia quadam perpetuaque consensionis atque amoris æmulatione inter vos imposterum contendatis, eoque ipso declaretis unanime in vobis esse vineæ Domini excolendæ, ac omnibus virtutis ac sanctitatis exemplis exornandæ studium. Quod vero ad Nos pertinet, illud sane accuratissime præstabimus, ne unquam sitis paternæ nostræ erga vos, vestramque nationem caritatis fructus desideraturi. Atque id ipsum tibi quo magis persuadeas, confirmamus apostolica benedictione, quam in nostræ voluntatis pignus Fraternitati tuæ, ejusque fidei commissis populis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *julii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 julii 1771.

Carissime, etc. Nuper significavit Nobis dilectus filius Brunati agens imperialis tuus gratissimum fore Augustæ Majestatis Tuæ, si nostra auctoritate curaremus, ut transmitteretur ad te aqua quædam, quam vulnerariam vocant, cujus hic miræ feruntur curationes, una cum descriptione adhuc vulgo incogniti eamdem conficiendi artificii.

Nihil Nobis potius atque antiquius fuit, quam obsequi Majestati Tuæ, atque hunc etiam capere locum declarandi tibi, quam cupidi atque alacres simus, eximiam, qua in te ferimur, paternam voluntatem, ac singularia studia nostra tibi comprobandi. Statim itaque et aquam illam rite confici ab ipso artificii inventore mandavimus, quam ab eodem dilecto filio in capsula transmissam accipies, et præterea libellum conscribi jussimus, in quo capta a peritis experimenta referuntur, et res ipsæ, ex quibus medicamentum componitur, ac elaborandi ratio continetur. Eum libellum cum hisce nostris reddet Majestati Tuæ Venerabilis Frater Antonius Eugenius Archiepiscopus Ephesinus Noster et Apostolicæ Sedis apud te Ordinarius Nuncius, atque is etiam quam prolixio ac luculento animo gratificemur tibi, coram pro suo munere confirmabit. Cupimus sane, carissime in Christo fili noster, atque adeo etiam confidimus fore ut hinc plurima ad publicam populorum utilitatem fiat accessio, quo scilicet tua studia præclare collocata scimus, tantæque potestatis usum præcipue esse conversum. Ad hoc optimum, sapientissimum regium consilium tuum aliquam Nos conferre potuisse partem, id vero Nobis erit jucundissimum. Hac proinde causa ultro in animum inducimus, ut illius medicinæ auctorem, qui nunc in custodia capitalis criminis reus detinetur, a pœna mortis eximamus. Quod tanto libentius a Nobis fiet, quanto gratius futurum esse arbitramur tibi, quem cum ejusdem artificii cognoscendi ceperit desiderium cognitum fuisse postmodo fortasse delectabit. Reliquum est, Carissime in Christo fili noster, ut te etiam atque etiam obsecremus, illud maxime tibi persuasum esse velis, flagrare Nos immensa ac summa erga te paterni amoris et caritatis magnitudine, nihilque ardentiore studio a Deo O. M. precari, quam ut ipse incœpta tua fortunet omnia, utque virtutem, felicitatem, ac gloriam tuam faciat ad Ecclesiæ Catholicæ incrementum et ad nostrum et Apostolicæ hujus Sedis gaudium redundare. Quæ ut nostra auspicatiora sint vota, apostolicam benedictionem Augustæ Majestati Tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ*, 24 *julii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXLIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 augusti 1771.

Carissime, etc. Accepimus humanissimas Regiæ Majestatis Tuæ

litteras, quibus plane pro tua erga Nos singulari pietate exples summum illud desiderium, quo flagramus, ut Hispaniarum Infantem, primum Nepotem tuum, quem exoptatissimo partu dilectissimæ in Christo filiæ nostræ Aloysiæ Mariæ Principissæ Asturiarum Nurus tuæ brevi genitum iri confidimus. Nos ipsi in sacra regeneratione suscipere, ac in illa tanta celebritate patrini munus sustinere possumus. Respondes ipse optatis his Nostris, ac tam abunde respondes ut multo cumulatius nostrum gaudium reddas dum in ejus officii perfunctione socium te Nobis exhibes, unaque cupis ut ambo operam nostram in illa susceptione conferamus. Mirum sane est, carissime in Christo fili noster, quanta ad nostram jucunditatem ex ista societate tua fiat accessio, cum multo adhuc conjunctiorem vobiscum necessitudinem nostram inde extituram intelligamus. Quod quidem mirifice consentit cum singulari atque immensa, qua erga te tuamque Regiam Domum sumus, paterna caritate, quæ novis hujusmodi mutui amoris causis adhuc magis excrescit atque illustratur. Dum tu igitur de Prædecessorum tuorum more Filii tui futurum in amplissimis Regnis Successorem in Baptismo Nobiscum suscepturus es, ac ad Avi nomen Patrini personam adjungens, deinde sanctissimis religionis ac virtutum præceptis atque exemplis ad præclare regnandum informaturus, Nos nostras etiam agemus partes, ac eundem una tecum suscipientes eo nimirum impensissimo officio Patrini munus obire curabimus, ut eximii paterni animi in eum studia omnia conferamus, neque desistamus unquam Deum Opt. Max. pro ejus incolumitate, felicitate, veraque ac solida gloria deprecari. Vehementer itaque tibi persuasum esse cupimus summas idcirco per Nos haberi Majestati Tuæ atque agi gratias, ac eum in modum excipi a Nobis ejus tuæ societatis communionem, ut nihil illa vel ad celebritatis decus, vel ad lætitiæ nostræ cumulum illustrius, atque amplius esse possit. Illud tantummodo defuturum videmus ad nostri gaudii summam, quod Nos ipsi coram interesse, ac nostra per Nos fungi parte longissimis locorum intervallis impedimur; solabimur tamen absentiam hanc optima, qua licebit ratione, cum parati sumus illi vices nostras demandare, quem ipse delegeris, tibique gratum fore significaveris, qui scilicet per se ipsum etiam efficere possit, acceptissimum tibi ut sit, quod nostro nomine præstaturus est munus. Quod reliquum est quodque ipse maxime postulas a Nobis, assiduis a Deo precibus petimus, ut felicissimum nostris hujusmodi votis det exitum; atque paulo post, quam tuæ illæ Nobis jucundissimæ redditæ essent literæ, cum advenisset dies Jacobo Apostolo præcipuo Hispaniarum Patrono sacer, perreximus ad Nostram Sanctorum XII Apostolorum Basilicam, ibique ad Altare, in quo

pretiosus Beati Jacobi sanguis expositus erat, Sacrum fecimus, idque ipsum pro hac impetranda communi felicitate Deo Patri offerentes Apostolum illum quanto potuimus animi ardore adhibere adjutorem ac deprecatorem contendimus. Ad hujusmodi opportunissima, quæ ex nostris ad Deum votis proficisci pro te tuisque possunt præsidia, apostolicæ benedictionis salutare munus adjungimus, quod tibi, carissime in Christo fili noster, omnique Regiæ Dilectissimæ Nobis in Christo Familiæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, die prima augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CL.

DILECTO FILIO

DESMARAIS, CANONICO REGULARI

ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 augusti 1771.

Dilecte, etc. Accepimus literas tuas pietatis in Nos ac observantiæ plenissimas una cum Libello elegantissimis typis impresso, in quo Jeremiæ questus patriæ excidium lugentis gallicis versibus expressisti. Operam tuam præclare positam a te esse arbitramur in eo vertendo divino vate, cujus sublimitatem assequendi etsi nulla spes esse cuiquam possit, secutum tamen fuisse, ac propius, quoad fieri potest, accessisse in maxima debet laude numerari. Quare id ipsum a te et susceptum, et ad exitum perductum esse vehementer tibi gratulamur, neque minus tuum de religionis rebus studium, quam excultissimum in pangendis versibus ingenium agnoscimus. Itaque munus hoc tuum eo a Nobis excipi animo tibi persuade, quo tu maxime velis, nostramque hac etiam de causa plurimam esse erga te benevolentiam, cujus tibi fructus præsto semper pro opportunitate fore pollicemur. Qua igitur eximia caritate erga universum vestrum Ordinem, ut nosti, sumus, ejusdem non mediocrem in te derivari partem, qui laboribus tuis ipsius augere splendorem studes, ex apostolica etiam benedictione capere potes argumentum, quam tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 7 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLI.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 augusti 1771.

Dilectissima, etc. Appropinquat jam dies inter ceteros omnes tibi lætus ac faustus, quo editis solemnibus religionis votis castissimas cum Christo sponso nuptias celebratis, eique actiones tuas omnes, spes, desideria, vitæ denique totius cursum certissima animi tui devotione consecrabis. Majorem in modum gavisi sumus, dilectissima in Christo filia nostra, tibique gratulati, cum primum hujus seculi detecta vanitate, atque abdicatis regalibus pompis in Sacram istam Carmelitarum Virginum Domum secederes, ibique religioso assumpto habitu sanctissimæ vitæ tirocinium poneres; nunc vero immensa quadam ratione auctum est id nostrum et cumulatum gaudium ex hac tua, quam illo die publice profitebaris suscepti consilii constantia: maximas quidem ac summas Deo ipsi nos gratias reddimus, qui te a regalis aulæ deliciis segregatam mirifico vocationis exemplo tibi conjunxerit, eoque singularius esse hoc divinum in te beneficium agnoscimus, quo amplioris eras antea in hoc seculo dignitatis, opum ac splendoris gradu constituta, animusque nunc tuus flagrantioribus religionis, humilitatis, caritatis studiis exardescit. Euge itaque, dilectissima in Christo filia nostra, illum diem tibi splendissimum futurum puta, ac omnibus triumphis pulchriorem, quo cælestis gratiæ obsecuta Deo te penitus in potestatem trades, vitamque tuam solemni votorum nuncupatione illius fidei voluntatique dicabis atque obstringes. Utinam nos illi celebritati interesse, tuique tam excellentis operis non solum testes esse possemus, sed etiam apostolicas in tanta actione præstare partes, tuaque, quæ emissura es, vota in nostras manus excipere. At desiderium hoc nostrum ea, qua maxime possumus ratione solamur, nostrasque has vices demandamus Venerabili Fratri Bernardino Archiepiscopo Damasceno ordinario nostro nuncio, qui quod ante in tua religiosi habitus susceptione obivit, munus idem etiam nunc in sacra professione nostro nomine sustinebit; quoque ornatiorem adhuc lætioremque eum diem reddamus ex Ecclesiæ thesauro isthic ab eo concedendas ex apostolica auctoritate indulgentias depromimus. Sed paternam hanc eximiam erga te caritatem adhuc magis tibi declarandam suscipimus alia cupiditate nostra, ut scilicet luculentiorem in dies semper de te lætandi, Deoque gratias agendi

causam habeamus. Immenso sane efferemur gaudio quotiescumque in eo quem inchoasti, cursu quotidie a te Deo aspirante, profici cognoscemus, illustrioremque semper existere vitam tuam omnium virtutum, ac præsertim evangelicæ humilitatis exemplis. Nihil tibi ipsi, dilectissima in Christo filia nostra, sed Deo accepta referre debes omnia, quantumque illius confidere benignitate, tantum viribus tuis diffidere, nullis propriis inniti meritis, sed divina sustentari ac valere gratia, timere de humana infirmitate, in eo omnia posse, qui te confortat, ejus idcirco, qui omnis sanctitatis fons est, opem semper ac præsidium implorare.

Ab hac intima animi tui persuasione facile etiam exterior humilitatis species consequetur; in humilitate porro ipsa ultimas radices aget caritas, ac omnium virtutum fructus proferet uberrimos. Quæ non monendi aut hortandi tui gratia Nos dicimus, cum necesse id esse non putemus, sed illud, quod Deo vocante suscipis sanctissimum vitæ institutum tibi magis magisque commendandi. Reliquum est, dilectissima in Christo filia nostra, ut præcipue illud tibi curæ sit, quo gratissimam semper te præstes ei, cui plurimum debes, optime scilicet de te merito, tuique amantissimo Parenti tuo, ac in tuis precibus summo studio incolumitatem ipsi, veramque ac perpetuam felicitatem a Deo postulare non desistas, illique florentissimum ejus Regnum, Liberos omnemque Regiam Familiam commendare. Pro nostra summa itidem caritate id vehementer a te ac jure flagitamus, ut Nobis etiam, alteri scilicet Parenti in Christo tuo propitium reddere contendas Deum, eumque pro commissa nostræ sollicitudini Ecclesia assidue depreceris, pro qua multo nunc studiosior esse debes, cum eidem facta sis quodammodo multo conjunctior. Illud invicem tibi persuade Nos Deum O. M. nunquam precari intermissuros, ut suscepta a te consilia novis virtutum ac sanctitatis incrementis comprobet. Ac in eximiæ nostræ erga te paternæ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, ac universo tuo Carmelitarum Ordini intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc.*, 14 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO
CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 augusti 1771.

Carissime, etc. Ullis plane verbis explicare non valemus intimam

animi nostri jucunditatem, quam percipimus, quotiescumque de dilectissima in Christo filia nostra Aloysia Maria Regia Gallicarum Principissa tua item per carnem filia cogitamus, quod quidem assidue facimus, semperque nobis obversatur ante oculos clarissimum illud virtutis, religionis ac sanctitatis exemplum, quod et hoc maxime ornat seculum nostrum et ad posteros illustre ac præ ceteris memorandum transmittitur. Nunc vero cum propiorem jam videamus illum diem, quo ipsa exacto sacri tyrocinii anno Christo sponso solemnibus se votis obstringet, incredibile sane est, carissime in Christo fili noster, quantum in Nobis exuberet gaudium, quantoque incendamur desiderio lætitiam hanc nostram tecum communicandi, ac iterum, quemadmodum antea fecimus, summa atque immensa tibi gratulationis ac laudationis officia persolvendi. Te enim eximiæ illæ lætandi causæ propius attingunt, qui tuam amantissimam sobolem intueris tam singularibus divinæ gratiæ donis cumulatam ac plurimam ipse habes in eximio isto facto partem, cum divinis consiliis rationes tuas omnes posthabere volueris. Quamquam quid vel tuis vel tuæ Regiæ Domus, atque amplissimi Regni rationibus, opportunius esse unquam potest quam illius quæ vestrum studiosissima sit, Deoque ipsi acceptissima assiduarum precum subsidio communiri? Mirifice itaque in eo et religionis et sapientiæ tuæ laudes elucent teque idcirco optimos esse divinæ benignitatis fructus et privatim et publice reportaturum certissime confidimus. Cum igitur maxima inde ad laudem, ac felicitatem tuam fieri accessionem intelligamus, quanto possumus animi nostri studio etiam atque etiam tibi gratulamur, unaque in communionem quamdam accedimus, paternæ jucunditatis tuæ ac nostro etiam jure plurimam ejusdem Nos ipsi Nobis partem arrogamus. Majorem enim cum dilectissima in Christo filia nostra necessitudinem Nobis tum intercessuram videmus; cujus ut potiores etiam existerent causæ, adesse Nos ipsi, ac præesse tantæ celebritati cuperemus, atque excipere in manus nostras quæ solemnia erit vota religionis emissura. Huic cupiditati nostræ mirificus accedit stimulus ex illa cogitatione, quod te, carissime in Christo fili noster, tum alloqui, te complecti, tibi coram nostra de te, tuisque omnibus studia, tibi paternum hunc animum ac Pontificiæ caritatis magnitudinem vultu ipso atque oculis emicantem expromere atque invicem præsentibus religionis, in nos pietatis atque humanitatis tuæ clarissimis indiciis delectari liceret. Sed hoc non nisi optare ac fingere etiam Nobis ad solatium possumus; illud vero etsi absentes legitima quadam ratione præstabimus. Delegimus enim Venerabilem Fratrem Bernardinum Archiepiscopum Damascenum nostrum apud te Ordinarium

Nuncium, qui vices nostras peragat, eumque nostris in forma Brevis literis specialiter ad hoc deputare ac destinare voluimus, quemadmodum antea fecimus, cum eidem in sacræ vestitionis cæremoniis fungendi nostris partibus munus mandaremus. Quod igitur acceptissimum Majestati Tuæ tunc fuisse scimus, facile Nobis persuademus id nunc etiam multo magis gratum fore, cum in hac tam eximii operis perfectione virtutis ac sanctitatis species futura sit absolutior. A te igitur vehementer petimus ut hanc pie atque amanter, ut soles, excipias voluntatem nostram, eoque pacto des operam, ut in hac parte minimum de nostra jucunditate per absentiam detractum esse experiamur, ac abunde per te satisfactum lætemur egregiæ ac summæ caritati qua te tuamque Regiam Domum prosequimur, in cujus uberius argumentum apostolicam benedictionem cælestium omnium benedictionum auspicem Majestati Tuæ, tuisque omnibus Regiis Liberis intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLIII.

DILECTO FILIO

JOANNI GODEFREDO KAUFMANN,

FACULTATIS THEOLOGICÆ COLONIENSIS DECANO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 17 augusti 1771.

Dilecte, etc. Vehementer gaudemus et primam editionem Apologetici contra Febronium tui probatam publice fuisse, ac facile distractam, et nunc alterum a te emendatiorem atque auctiorem curatam esse. Ejus exemplum a te Nobis transmissum eo Nos excepimus animo, quo tu maxime velis: Pontificiæ scilicet erga te benevolentiæ, ac existimationis plenissimo. Probamus sane, dilecte fili, ac plurimum commendamus tua hæc studia, quæ tanta cum pietate ac doctrina in tuendis Apostolicæ Sedis juribus impendis, atque etiam te hortamur, ut quotidie exorientes hoc tempore in Ecclesia ejusmodi novitates pergas audacter, ut jam te facturum, Deo juvante polliceris, insectari. Præter enim quam quod optimam causam propugnare, ac pro veritate decertare maxima semper in laude positum fuit, augebis etiam majorem in modum merita de Nobis tua, atque illam, quam de Sancta hac Sede præclare jam inisti, erga te gratiam cumulabis. Interim paratissimos pro opportunitate fore omnes nostræ erga te paternæ caritatis fructus ut tibi magis persuadeas, certissimum habe pignus

in apostolica benedictione, quam tibi, dilecte fili, ac isti Academiæ vestræ, cujus plurimum rationem habemus, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 17 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLIV.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO PATRIARCHÆ CHALDÆORUM

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 augusti 1771.

Venerabilis, etc. Tua gratulationis officia fuere Nobis jucundissima, Venerabilis Frater, cum exinde animum tuum Nobiscum in spiritus unitate conjunctum egregio in Ecclesiam studio atque in Apostolicam Sedem pietatis ac observantiæ sensu affici videamus. Nos quidem gravissimum subire Summi Pontificatus onus etsi impares, Deo tamen volente non detrectavimus, in eum conjicientes spes nostras assiduisque precibus ipsum obsecrantes, ut det Nobis sedium suarum assistricem sapientiam, quæ Nobiscum sit, ac pro sua Ecclesia regenda tuendaque Nobiscum laboret. Qua sane in fiducia eo confirmamur magis, quo plura fidelium vota pro Nobis ad Deum fundi cognoscimus. Id cum tu etiam, Venerabilis Frater, cum commisso tibi populo pie studioseque præstiteris, ac præstare pro tua religione non intermittas, maximum hoc exhibes, Nobisque opportunissimum tuæ in Nos devotionis argumentum, quo nostræ de tuo isthic, tuorumque statu paternæ sollicitudini respondes, majoremque in modum auges nostram erga te benevolentiam, cujus tibi fructus paratissimos semper in Nobis pro opportunitate ac facultate nostra futuros ut magis tibi persuadeas, apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, ac omnibus fidei tuæ concreditis populis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 augusti 1771.

Carissime, etc. Quamquam Nobis perspectissimus erat egregius animus, quo Majestas Tua esset exceptura ordinis Sancti Rufi unionem

ordini Sancti-Lazari per Nos factam, et quam grata tibi esset futura singularis nostra de te, deque religione tua in ea universa re sancte pieque gerenda fiducia, de quo etiam dilectum filium nostrum Joachinum S. R. E. Cardinalem de Bernis, qui sensus nostros præclare novit, certiorem te fecisse non dubitabamus; tamen id ipsum tam luculenter, tamque benevole humanissimis Literis tuis significari Nobis fuit jucundissimum. Ad hanc jucunditatem nostram mirifica facta est accessio literis dilectissimi in Christo filii nostri Ludovici Augusti Galliarum Delphini Nepotis tui, quibus præclaros suos, ac tuæ pietati consentaneos sensus late Nobis explicat, suamque accuratam in hac re operam ac fidem prolixe pollicetur. Nos quidem excellenti hoc tuo, tuumque exemplar eximie referentis Nepotis tui in sacras res studio freti non solum speramus eos Sancti Lazari ordini attributos reditus ad Dei gloriam præcipue, et ad pauperum utilitatem cessuros, sed uberrimos quosque pro rerum opportunitate religioni atque Ecclesiæ fructus, præsidia atque ornamenta a vobis numquam defutura confidimus. Supervacaneum omnino est, carissime in Christo fili noster, ut nostram invicem studiosissimam voluntatem nostrique in te amoris magnitudinem tibi pluribus declaremus. Verum ita universim te existimare cupimus, nihil esse quod ad tuam tuæque Regiæ Domus incolumitatem et gloriam, quod ad regni tranquillitatem atque incrementum pertineat, in quo non libentissime omnem nostram, atque Apostolicæ Sedis curam atque operam conferamus, omnique tua ac tuorum felicitate perinde ac nostra lætemur. Ac in summæ paternæ, qua te complectimur, caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ regiisque Liberis, ac universæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 28 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLVI.

CLEMENS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romæ, 31 augusti 1771.

Omnium saluti paterna caritate intenti sacra interdum loca spiritualibus indulgentiarum muneribus decoramus, ut inde fidelium defunctorum animæ D. N. J. C. ejusque sanctorum suffragia meritorum consequi et illis adjutæ a purgatorii pœnis ad æternam salutem per Dei misericordiam perduci valeant. Supplicationibus itaque dilecti filii nobilis viri Marchionis de Pombal regis fidelissimi secretario status Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, volentes cap-

pellam publicam in suo feudo de Œyras positam et in ea unum altare ab ordinario loci designandum speciali dono illustrare, auctoritate Nobis a Deo tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ut quotiescumque diebus tribus cujuslibet hebdomadæ ab ipso loci ordinario pariter designandis, sacerdos aliquis secularis vel cujusvis ordinarius congregationis et instituti regularis sacrosanctum missæ sacrificium pro anima cujuscumque Christi fidelis, quæ Deo in caritate conjuncta ab hac luce migraverit, ad supradictum altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur; ita ut ejusdem D. N. Jesu Christi ac Beatissimæ Virginis Mariæ, sanctorumque omnium meritis sibi suffragantibus a purgatorii pœnis liberetur, concedimus, et indulgemus. Id contrarium facientibus nonobstantibus quibuscumque præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. *Datum Romæ, etc., die* 31 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLVII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

MARCHIONI DE POMBAL,

REGIS FIDELISSIMI SECRETARIO STATUS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 31 augusti 1771.

Dilecte, etc. Nihil singulari nostræ erga te benevolentiæ opportunius est, dilecte fili nobilis vir, quam novis argumentis eandem testari; et confirmare posse, atque hæc eo nobis jucundiora accidunt, quo magis animi tui pietati, ac devotioni nituntur. Cum igitur nobis exposueris pictam effigiem sancti Josephi de Cupertino seraphici nostri ordinis confessoris, quam a Nobis benedictam, ac indulgentiis auctam pridem dilecto filio nobili viro commendatori de Almada fidelissimi Regis apud Nos ministro plenipotentiario dono dederamus, tibi ab eodem muneri transmissam esse, pergratum primum Nobis fuit sacrum id nostri amoris monumentum ad te pervenisse, ac penes te esse perpetuo mansurum, libentissime porro, quemadmodum a Nobis pro tua religione postulas, non solum renovamus largitatem Nostram, sed eam magis extendimus, et cumulamus. Proinde quoties confessus ipse, ac sacra communione refectus ante eandem imaginem rite oraveris, toties plenariam peccatorum indulgentiam ut lucreris apostolica nostra auctoritate tibi, Dilecti fili nobilis vir, benigne

concedimus, ac impertimur, ac præterea ipsam hanc gratiam ad omnem etiam nobilem familiam tuam tuosque in perpetuum descendentes eadem nostra potestate extendimus, ac largimur. Eo enim pio, ac perenni paternæ nostræ caritatis pignore volumus apud te tuosque semper tuorum de Nobis meritorum, nostræque invicem erga te gratæ voluntatis memoriam remanere. Fruere itaque, dilectissime fili nobilis vir, hoc apostolicæ benignitatis fructu, ac in tuis ante eam effigiem precibus præcipue operam, ut commendatiorem Deo facias Ecclesiam suam, Nosque ipsos etiam qui te tantopere diligimus, tibique læta semper ac fausta a Domino precamur omnia; quorum auspicem apostolicæ benedictionis nobilitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 31 *augusti* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 septembris 1771.

Carissime, etc. Quando a Nobis postulas, carissime in Christo fili Noster, de novo Equitum Ordine instituendo Constitutionem seu Bullam, neque tam secreto, neque tam cito confici potest, quam tu, Nosque vellemus. Per multorum enim manus antequam expediretur transire, de quorum omnium silentii fide certi esse non possumus, et eas res continere deberet, de quibus maturo prius consilio a Nobis deliberari necesse est. Proinde hanc aliam gerendi tibi morem ineundam nunc esse viam necessario duximus, ut conficerentur eæ nostræ in forma Brevis litteræ, quæ ad perpetuam rei memoriam inscribuntur, quæque omnem vim habeant ad illum novum Ordinem instituendum, eaque comprehendant omnia quæ interim ad ejus fundationis rationem pertinent, citoque pariter, ac secreto conficiantur, et ad Majestatem Tuam transmittantur. Eas igitur hisce nostris conjunctas ad te mittimus, ac valde confidimus gratam tibi futuram esse nostram hanc tuo desiderio eum in modum obsequendi, industriam. Deo porro juvante et communibus votis de secundissimo partu quem expectamus, benedicente, cum jam lætissimo illo die novus Caroli III Equitum Ordo publice institutus fuerit, operam tamen dabimus, ut illa conscribatur, ac expediatur Bulla, quod tum percommode fieri poterit, cum scilicet antea deliberatum ac constitutum inter nos fuerit,

quibus ille possit vigere legibus, quibus Sedis Apostolicæ privilegiis ornari, ut majus inde possit pietatis, religionis, ac divinæ gloriæ incrementum existere. Vehementer sane gaudemus, carissime in Christo fili noster, tua hujusmodi pia, magnanima, ac regia plane, teque digna studia nostra nos auctoritate provehere, ac tam apto præsertim tempore, quo summum a Deo percepturus es beneficium, hanc etiam conferre partem nostram ad illum diem omnibus Hispaniæ Regnis faustissimum novis honorum, lætitiæ ac pietatis accessionibus illustrandum. Quod reliquum est, eximia ac summa omnia tibi paternæ caritatis atque amoris officia deferentes, apostolica benedictione ejus præcipue, quam expectamus felicitatis auspicem Majestati Tuæ, omnique Regiæ Familiæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 5 *septembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLIX.

CLEMENS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Romæ, 5 septembris 1771.

Gratissimo semper animo recolens perpetua, atque immensa, quæ a Deo accepit, ac in dies accipit beneficia carissimus in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex Catholicus, ac mentem nunc cum summa expectatione intendens in felicissimum illum, suoque regno auspicatissimum, qui brevi adfuturus est, diem, quo Regiam suam Domum auctam, novumque sibi successorem divina benignitate datum videat, nihil potius habet, quam ut pro singulari sua pietate, ac religione illustre aliquod vereque regium monumentum statuat, quo omnia se accepta Deo referre, eamque præsertim felicitatem illius clementia in se cumulatam agnoscere, non præsentibus solum, testatur, sed posteris etiam sacra, ac perenni significatione noscendum, memorandumque transmittet. Itaque præter cætera, quæ bonorum omnium auctori persolvit, ac persoluturus est Deo, pro sui animi magnitudine novum decrevit regium Equitum Ordinem instituere sub suo Caroli III nomine, et sub auspicio et tutela Immaculatæ Virginis Mariæ erga cujus conceptionem cum omni inclita Hispana natione peculiari semper devotionis sensu affectus fuit ac inflammatus. Præclarum hoc consilium suum cum exponi Nobis fecerit idem carissimus in Christo filius noster regiæ non solum pietati consentaneum, sed et augendis virtutum in Hispana Nobilitate studiis opportunissimum, mirifice Nos excitavit, ut et gratum Nobis eum sacrum ordi-

nem futurum declaremus, et consensum, approbationem nostram, atque apostolicæ auctoritatis robur adjungeremus, quo stabilior, atque auctior ipse ordo per Nos esse possit, ac pietatis accessione ornatior. Nos igitur pro summa illa, qua erga Regiam Majestatem sumus paterna caritate omnibus ejus gloriæ decorum, ac utilitatum rationibus vehementer intenti, propensique ad ea cuncta quæcumque præsertim ad Dei cultum, regnique splendorem provehendum decernit, primum voluntatem de illo instituendo ordine suam majorem in modum commendamus, ac probamus, ordinemque eum ipsum ita confirmamus, ut ad eundem magis stabiliendum, illustrandumque omnia Apostolicæ Sedis præsidia, atque ornamenta, quantum fas est, conferre parati simus. Quapropter quemadmodum postulat Majestas Tua, concedimus, et indulgemus, ut adhibito virorum ecclesiasticorum consilio percipi possit quotannis, atque in hunc ordinem converti dimidia, vel tertia pars fructuum commendarum, quæ porro vacaturæ sunt. Quatuor militarium Ordinum, nempe S. Lazari, Calatravæ, Alcantaræ, et Montosæ, aliqua itidem pars fructuum ex Mitris et iis Episcopalibus, qui ferendo oneri pares esse sine ullo curæ animarum, divini cultus, subsidii pauperum detrimento valeant, donec ad eam summam perventum fuerit, ex qua redditus annui quindecies centenum millium Realium confici possint, ut ita et retineatur dignitas et necessarii ordini sumptus, et benemerentibus, ac virtute præditis in eodem ordine præmia suppetant. Plenariam præterea peccatorum indulgentiam benigne largimur omnibus qui in eo ordine insigne acceperint, et qui confessi, ac sacra communione refecti, Deumque pro S. Ecclesiæ exaltatione rite fuerint deprecati ac jurejurando, quod præstabunt ex formula, se ex animo obstrinxerint victuros se esse in fide catholica, in eaque morituros, ac regi fidem, obsequium, ac obedientiam semper accuratissime præstituros, neque quidquam in eum, in Regiam Domum, regnumque vel directe vel indirecte, a quo vel ipsa cogitatio ut a nefario, et impio scelere avertenda est, unquam molituros. Eamdem demum plenariam indulgentiam largimur, et concedimus omnibus ex eo ordine, qui in ipso Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis festo, quod ipsi præcipue ex instituto celebraturi erunt, vel in Ecclesia S. Francisci Matriti vulgo il Grande, vel cum rex ipse intererit, in regia Palatii Cappella, confessi pariter, ac sacra communione refecti fuerint, Deumque rite et pro Catholica Ecclesia, et pro regis, regnique incolumitate oraverint. Atque hos quidem benignitatis apostolicæ fructus, quos luculentissimo erga carissimum in Christo filium, ejusque regium ordinem animo impertimur pignus quoddam esse volumus eorum, quæ imposterum impertituri sumus,

si ad divinam augendam gloriam, fovendamque virtutem ac religionem Ordinis opportuna esse cognoscemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. *Datum Romæ, apud Sanctam-Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die* 5 *septembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLX.

VENERABILI FRATRI

DEMETRIO EPISCOPO GRÆCO MELCHITÆ DE GIBEL

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 7 septembris 1771.

Venerabilis, etc. Minime serum Nobis videtur esse illud gratulationis officium, quod a studiosissimo hujus Sanctæ Sedis, plenoque fidei ac observantiæ in Nos animo profectum sit. Jucundissimæ idcirco Nobis fuerunt literæ tuæ, Venerabilis Frater, quibus tuam in Nos pietatem tam luculenter declaras, confirmasque Nobis eam, qua inter Nos conjuncti sumus in Christo caritatem. Ac præcipue confidimus fore ut tu cum commisso tibi populo numquam intermittas imbecillitatem nostram Domino commendare, eumque deprecari, ut qui Nos Ecclesiam suam regere constituit, idem vires nostras sua ope ac præsidio roboret et communiat.

Aliqua etiam ex parte levatur ac minuitur sollicitudo nostra, cum impigram esse pastoralem operam tuam, ac nunc maxime Christianam isthic rem divina ope provehi ac florere cognoscamus.

Quare dum Nobis ipsis idcirco gratulamur, meritam tibi tribuimus laudem, teque in Domino ob tam præclaras actiones tuas etiam atque etiam commendamus. Ac de prolixa erga te voluntate nostra uberius tibi perscribet dilectus filius Stephanus Borgia nostræ congregationis de Propaganda Fide secretarius, unaque certiorem te faciet, quo animo postulata tua exceperimus, quamque ad gratificandum tibi pro Dei gloria laboranti propensi simus. Nos præterea nunquam tibi pro opportunitate benevolentiæ nostræ fructus defore pollicentes, apostolicam benedictionem, tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, die* 7 *septembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXI.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

PETRO LEOPOLDO ARCHIDUCI AUSTRIÆ,

ETRURIÆ SIBI SUBJECTÆ MAGNO DUCI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 11 septembris 1771.

Dilectissime, etc. Cujus participes Nos facis lætitiæ tuæ, quam in recenti ortu filii percepisti, eamdem Nos intimo hausimus sensu, dilectissime in Christo fili noster, ut tibi plurimas idcirco gratias, perinde ac nostrum illud proprium esset gaudium, persolvamus. Vehementer enim nostra interest quidquid ad eam Domum cujus tanta pars est in Christiana Republica, stabiliendam magis augendamque pertinet. Cum illa itaque perennem perpetuamque maximis ac gravissimis de causis esse cupiamus, amplificari nunc tuæ Familiæ incremento hujus modi spes nostras ita lætamur, ut non minus Nobis ipsis quam tibi unaque dilectissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Ludovicæ præstantissimæ conjugi tuæ, quod luculentissime facimus, gratulemur. Qua igitur singulari eximiaque pietate, amore, studio, existimatione universam Domum Tuam complectimur, hæc eadem paternæ caritatis officia extendimus in recentem hanc tuam sobolem, eique ab auspicatissimo hoc initio ita felicem gloriosumque vitæ cursum omnem optamus, ac precamur, ut semper potiores ex ejus Regia indole, et ex domesticarum amplissimarum virtutum imitatione lætandi causæ Nobis possint existere. Atque hæc vota nostra ut rata esse, et certiores eventus Dei benignitate sortiri valeant, prosequimur et cumulamus apostolica benedictione, quam in novum felicitatis auspicium, et in nostræ egregiæ caritatis pignus tibi, tuæque Regiæ Conjugi, recensque nato filio ac toti dilectissimæ in Christo familiæ tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, die* 11 *septembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

LUDOVICO EUGENIO DUCI WIRTEMBERGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 septembris 1771.

Dilecte, etc. Cum tuæ Nobis redditæ essent literæ, ex iisque cognos-

ceremus, quæ animi tui facta esset per divinam gratiam commutatio, quo jam flagrares religionis studio, qua charitate Deo, qua fide Ecclesiæ, qua Nobis sanctæque huic Sedi pietate adhæresceres, tenere lacrimas præ gaudio non potuimus, dilecte fili nobilis vir, manusque atque oculos in cælum statim extollentes divinæ misericordiæ magnitudinem agnovimus, quasque valuimus maximas pro immensa in te benignitate gratias Deo persolvimus. Summum enim in Nos ipsos ab eo collatum beneficium existimavimus, cum tam dilectum filium, qui a paterna domo exierat, ejus luce perfusum, ejus dictu ad Nos revertentem recepissemus. Itaque jucundissimo te excipimus animo, te complectimur tuo reditu curas nostras solamur, ac lætissimos Ecclesiæ, Nobisque hos esse præ ceteris reputamus dies. Ex hac jucunditate de te nostra vides profecto, quam perpetuam eam Nobis perennemque esse cupiamus; proinde Deum ipsum magnopere obsecravimus, ut quam tibi mentem dedit, constantem propositique tenacem faxit, semperque magis cor tuum ad omnia persequenda Christianæ virtutis officia excitet atque inflammet. Id potissimum precati accuratissime sumus, dum acceptabilem ei hostiam offerremus, ipsumque id sacrum pro tuorum peccatorum expiatione, proque animæ tuæ salute, ac in suscepto consilio stabilitate fecimus, atque imposterum etiam dum superstites erimus, certissime decrevimus, tibique pollicemur memores Nos semper tui in incruento peragendo Sacrificio esse futuros. Omnem sane Nos dabimus operam quantum in Nobis est, ut divinam tibi perpetuam opem, ac mansura semper subsidia eum in modum comparemus. Tu vero id age, atque in eo præcipue insiste, ut quem adeo propitium hactenus expertus es, semper ejusdem bonitatem erga te provoces, ejusque fiducia sustenteris. Eam tamquam inexpugnabile scutum formidini illi, quæ animum tuum infirmitatis conscium demittit interdum ac depremit, audacter opponere necesse est, teque non jam in tua, sed in divinæ gratiæ virtute confirmare. Suus est etiam ad salutem timor, ac plurimum debemus in ea operanda humanæ naturæ viribus diffidere. Sed præclare proposita est Nobis Angelorum in mystica illa scala Jacob ascendentium ac descendentium imitatio. Spe nempe nostra ad Deum ascendimus, ac supra Nos ipsos eo miserante ac juvante conamur : descendimus vero, cum ad humanam respicimus imbecillitatem, nihilque conatibus nostris efficere Nos posse intelligimus. Dum ad sublimia ferimur inanis facile potest in animo obrepere nostri confidentia, qua existimemus Nos aliquid esse cum nihil simus, ac ipsos Nos seducamus. Ac tum profecto salutare afferendum adhibendumque timoris est remedium, ae illa temere se attollens cogitatio inopiæ nostræ consideratione de-

primenda. Revocandus contra est ille noster ad ima descensus, ne desperationis fines attingat, inque spem statim converti atque erigi debet animus, divinæque opis expectatione sustolli. Ascendendo itaque descendendoque fiduciam timore, gaudium tristitia ita quodammodo moderabimur, ut sola Nos in nostra humilitate divina sustentet, quæ est super omnia opera ejus, miseratio. Hæc fusius ad te perscribimus, dilecte fili nobilis vir, ut angorem tuum, quem de anteacta vita percipis, optima fidei, speique divinæ ratione temperemus. Neque porro in eo Nos tibi reipsa defuturi sumus, quod a Nobis summopere flagitas ut aliquam tibi pro peccatis luendam pœnitentiam præscribamus. Id tamen eo pacto præstandum esse a Nobis putamus, ut non magis tibi, quam paternæ etiam nostræ de te caritati obsequamur. Proinde in Nos ipsos suscipimus eas, quas tibi imponeremus, temporales pœnas, idque æquo animo ferre te jubemus; cum benigne ac misericorditer exceptum iri arbitremur a Deo, qui parentum in filios pietate delectatur, quidquid pœnarum ac pœnitentiæ a Nobis erit pro te ultro subeundum. Illud vero tibi sponte alacriterque imponimus, quod tuo pœnitendi, Deumque placandi animo ac fovendæ religioni, pietatique tuæ maxime opportunum esse judicamus. Auctoritate scilicet apostolica indulgemus tibi, et benigne concedimus ut quotiescumque confessus ac sacra communione refectus, Deumque rite precatus fueris, toties plenariam peccatorum indulgentiam consequi ac lucrari possis. Quam Pontificiam liberalitatem nostram libentissime etiam extendimus ad dilectam in Christo filiam nobilem mulierem egregiam Conjugem tuam, cujus precibus, eximioque de te studio debere te post Deum illam ipsam animi, voluntatisque tuæ commutationem profiteris. Eam idcirco Nos singulari nostra caritate prosequimur, ac omnibus paternæ pietatis muneribus cumulare parati sumus. Neque eodem benevolentiæ nostræ fructu parvulas nunc tres filias tuas, Deoque gratissimas expertes esse volumus pro eo tempore, quo per humanæ naturæ conditionem ejusmodi peccatorum venia ac remissione indigebunt. Discant eæ jam nunc illam in Nos pietatem, quam tam prolixo in ipsas paterno animo promeremur. Minime jam de vobis dubitamus, quin eo ipso die, quo cælesti pabulo enutriti ardentiores vestras ad Deum fundetis, ac acceptiores ipsi futuras preces, Ecclesiæ, quæ vos in sinu gerit, ac nostri præsertim memores sitis, qui talibus vestris, ac Fidelium omnium subsidiis, quam opus habeamus, præclare ipse intelligis. Nosti enim, dilecte fili nobilis vir, quæ nunc, quamque operosa in Nos incumbat moles, cui ferendæ tantum abest ut pares esse possimus, ut nihil magis, quam consilii, atque operæ nostræ tenuitatem infirmitatemque formidemus.

Nos quidem, quantum in Nobis est, omnes curas in universas Ecclesiæ Nobis commissæ partes convertimus, ac dies noctesque cogitamus, qua ratione tot undique ingruentibus occurramus, ac medeamur malis. Doles de iis tu quidem pro ea, qua in Ecclesiam es, pietate, tuoque dolore excitas magis atque inflammas sollicitudines nostras, quibus præterquam quod opportunitates quasque non tam expectamus, quam per Nos ipsos paramus ac struimus, præcipue Deum ipsum assiduis precibus ac lacrimis imploramus, ut Nobis sui consilii sapientiæ ac fortitudinis spiritum largiatur, quo tamquam armis instructi possimus ignea inimicorum tela restinguere, ac in tuenda promovendaque religione, pietate, virtute animarum incolumitati, ac divinæ gloriæ, quod unice cupimus ac debemus, inservire. Hoc præcipuum etiam esse tuæ pietatis, ac in Nos observantiæ officium existima, ut hujusmodi votis assidue insistas, quibus ad præclarum christianæ vitæ specimen adjunctis, magis in dies cumulari in te uberrima divinæ bonitatis incrementa senties. Nos invicem tibi veram animi in Deo pacem, solidamque laudem, ac felicitatem precantes, omnemque benevolentiam ac caritatem deferentes, nihil adeo exoptamus, quam ut ejus reipsa declarandæ, confirmandæque habere magnum aliquem ac illustrem possimus locum. Interim in uberius ejusdem pignus apostolicam benedictionem cœlestis benedictionis auspicem Nobilitati Tuæ, inclitæ conjugi, ac liberis, omnique tam dilectæ Nobis familiæ intimo paterni cordis sensu peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *septembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXIII.

DILECTIS FILIIS

DIGNITATIBUS ET CANONICIS ECCLESIÆ CATHEDRALIS ARIMINI

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, 16 octobris 1771.

Dilecti, etc. Peculiari studio et caritate complectimur, dilecti filii, Ecclesiam Ariminensem, in cujus gremio nati sumus, civitatemque istam, in qua tamquam altera patria nostra primos ætatis annos usque ad Seraphici Ordinis ingressum transactas a Nobis fuisse jucundissime recordamur; neque Nobis animo excidere unquam potest, qua tum virtutum laude floreret in populi ædificationem clerus, atque illa præcipua cleri pars, collegium nempe vestrum, cujus in vita pie sancteque ducenda præclarum erat specimen cæteris, ac in persolvendis præsertim divini cultus officiis multa præfulgebat sacro cum

decore, ac dignitate conjuncta devotio. Hoc virtutis et pietatis exemplum transmissum ad vos tamquam per successionem esse ac nunc maxime in vobis vigere præclare novimus, dilecti filii, et summopere lætamur. Tanto itaque propensiore animo excipimus preces vestras, quas exposuistis Nobis per dilectum filium Josephum Garampium intimum nostrum Cubicularium, ac in arcanis epistolis nostris e secretis, amantissimum civem vestrum, cujus perhonorifico de vobis et testimonio et studio plurimum tribuimus, ut scilicet aliquod daremus nostræ in vos clementiæ et caritatis pignus, quod arbitraremur vobis posterisque vestris, ut ornamenta ad laudem, ita etiam ampliori fore ad pietatem ac virtutem incitamento. Quapropter mature perpensis vestris postulatis facile Nos in eam deliberationem venimus, ut magis nostris in Collegium vestrum studiis, quam desideriis vestris obsequeremur, eaque erga vos liberalitate uteremur, quæ modestiæ certe vestræ fines ac fortasse etiam vota expectationemque vestram trangressa videretur. Nos igitur vos specialis favore gratiæ prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, vestris supplicationibus inclinati, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione vobis, dilecti filii, Præposito, Archidiacono et Capitulo, vestrisque successoribus, ut in diebus festis infra annum sollennioribus, nempe in Nativitate Domini, in Dominica Resurrectionis ac Pentecostes cum duobus sequentibus respective diebus; in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Domini Nostri Jesu Christi; in feria quinta Cœnæ Domini, Feria sexta in Parasceve et Sabbato Sancto; Dominica in Albis, et Dominica Sanctissimæ Trinitatis, in Festivitatibus Conceptionis, Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis; omnium Sanctorum, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Sanctorum Petri et Pauli, Sancti Gaudentii Episcopi et Martyris et Sanctæ Colombæ Virginis et Martyris; in die anniversario Dedicationis vestræ cathedralis ecclesiæ, ac in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum; dummodo iisdem diebus episcopus solemniter et pontificialiter celebret; sicuti etiam aliis diebus in quibus episcopus æque solemniter et pontificialiter celebrare voluerit et Canonici juxta præscriptum Cæremonialis episcoporum sacra paramenta assumere debeatis, singuli vestrum vestrique successores in Vesperis et Missis solemniter decantandis, nec non in processionibus, seu aliis hujusmodi func-

tionibus, in quibus sacra adhibentur paramenta, tam in dicta cathedrali, quam in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ejus ecclesiis, in quibus ad sacra solemniter peragenda tam episcopus quam capitulum collegialiter accedere consueverint, vel in futurum contingeret, Mitra simplici ex tela linea (: præsente etiam S. R. E. Cardinali, et de latere, nec non Provinciæ Romandiolæ Legato :) uti libere et licite possitis et valeatis, auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo concedimus et indulgemus. Quod si episcopus in enunciatis festivitatibus, ac respective diebus absens fuerit, vel præsens pontificaliter non celebret, sicut etiam et processionibus litaniarum tum majorum tum minorum, quas idem episcopus per se ipsum non peragit, Dignitati seu Canonico tantum hujusmodi functiones peragent, ut indumenta pontificalia sacris actionibus respective, convenientia, nempe mitram simplicem ex tela aurea absente episcopo; ex tela vero linea præsente episcopo, vel S. R. E. Cardinali; crucem pectoralem sine gemmis, annulum cum unica gemma, sandalia et caligas ex holoserico; chirothecas, tunicellam et dalmaticam, nec non faldistorium ligneum holoserico currentis coloris, non autem ex tela aurea vel argentea coopertum, et ministrum de candela seu palmatoria inservientem habere licite et libere possit et valeat, tenore præsentium concedimus et indulgemus; cæteris canonicis usu mitræ, quotiescumque episcopus pontificaliter per seipsum non celebret, et Sacra Paramenta ab ipsis assumi non debeant, penitus interdicto. Præterea contingere cum possit, ut festum aliquod ultra supra expressa in cathedrali, vel in aliis ejusdem civitatis et suburbiorum ecclesiis, in quibus vel præsente vel absente episcopo capitulum collegialiter conveniat peragatur, Dignitati seu Canonico in Missa et Vesperis, sive etiam processionibus celebrantis munus explenti pariter indulgemus, ut mitra, et respective convenientibus indumentis pontificalibus supra enunciatis uti possit, dummodo licentiam singulis vicibus ab episcopo obtinuerit. In Exequiis vero Defunctorum, in quibus juxta pontificalis Romani Part. III, Tit. De officio, quod post Missam solemnem pro Defunctis agitur et Cæremonialis episcoporum lib. II, cap. II, dispositionem conveniens est, ut fiant absolutiones tam ab ipso episcopo celebrante, quam ab aliis quatuor episcopis vel prælatis si adsint, vel in defectum episcoporum a quatuor primis Dignitatibus vel canonicis, ut hujusmodi quatuor sive Dignitates sive canonici absolventes in actu tantum absolutionum prædictarum mitra simili uti possint, facultatem tribuimus et impertimur. Inhærentes autem sacrorum Rituum congregationis Decreto die XXIX Januarii anno MDCCLI edito, et a sa. me. Benedicto XIV, prædecessore nostro,

suis litteris apostolicis tertio kalend. martii ejusdem anni confirmato volumus, ac districte præcipiendo mandamus ne Dignitas aut canonicus celebrans præsumat ullo modo vel pontificalibus indumentis ad altare aut in choro indui, vel populum trina benedictione benedicere, vel cum formula episcopali : Pax vobis : salutare vel pastorali baculo uti; nullus vero sive canonicus sive dignitas in processione Corporis Christi mitram in capite gestare, aut mitra in aliis præterquam in supradictis collegialibus functionibus uti unquam valeat. Insuper vobis singulis vestrumque successoribus, ut in propriis armis et insigniis mitram sine pileo apponi facere et addere possitis licentiam impertimur. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. Ac in uberius paternæ benevolentiæ argumentum vobis, dilecti filii, apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum, in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, die* 16 *octobris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXIV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

JOANNI PRINCIPI LAMBERTINO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 novembris 1771.

Dilecte, etc. Et dolorem tuum, et ejusdem causam, quam tuis Nobis litteris significas, permoleste tulimus, ac in tanto tuo luctu, et optimi parentis desiderio animum plane erga te tuamque domum sa. nem. Benedicti XIV prædecessoris nostri magni tui patrui induimus, similemque, quo ille affectus fuisset nunc sensu experimur. Dum itaque commendamus defuncti animam Christo Domino, una vehementer a te cupimus, dilecte fili nobilis vir, ut dolorem tuum divinæ voluntatis, cui prorsus subjecti esse debemus, ac erga illum misericordiæ cogitatione lenias. Id vero præcipue tibi persuade, officium ejusmodi tuum ita esse a Nobis exceptum, ut paternam tibi benevolentiam nunc maxime deferamus. Ac in uberius ejusdem pignus apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, die* 9 *novembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XI NOVEMBRIS MDCCLXXI.

Venerabiles, Fratres. Cum magnopere ad rempublicam pertinere, tum Ecclesiæ ipsius plurimum interesse arbitrati semper sumus, Venerabiles Fratres, ut amplissimæ regum familiæ sanctissimis religionis institutis jam diu fundatæ ac stabilitæ diuturna stirpis propagatione similem veræ ac solidæ pietatis gloriam remotissimæ posteritati transmittant. Verum hujus utilitatis magnitudo Nobis potissimum obversabatur animo, eum de carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici liberis ac successione cogitaremus, ejusque ac majorum illius innumerabiles laudes atque in Ecclesiam merita recenseremus. Ad has publicas commodorum rationes accedebant peculiares nostri in illum amoris causæ, mutua officiorum inter nos consuetudine magis in dies confirmatæ, quibus fit, ut quæcumque ad illum pertineant, ad Nos æque attinere existimemus. Quare cum eadem, qua ille, sollicitudine, et maximo desiderio successuri in tantam regnorum spem ejus nepotis teneremur, facile intueri potestis, Venerabiles Fratres, immensam a Nobis perceptam jucunditatem, cum primum expletam studii nostri expectationem videmus. Optatissimum hunc nuncium ex regis ipsius literis accepimus, quibus lætitiæ suæ vi nostrum in sinum effusa, Nos in gaudii sui societatem vocabat, et nepote se auctum, atque eundem nostro suoque nomine de sacro regenerationis fonte jam a se susceptum esse afferebat. Una itaque natum illum esse regno, regi, Nobis, Ecclesiæ, ac Deo ipsi intelleximus ac secundissima omnia in illum auspicia e cœlo collata esse agnovimus. Hunc nostræ jucunditatis sensum magnopere amplificavit, quod eodem plane die hæc ad Nos essent allata, quo die dilectissima in Christo filia nostra Aloysia Maria Regia Galliarum Principissa relicto paternæ ac regalis aulæ splendore in Carmelitarum Virginum ordine Christi paupertatem atque humilitatem complexa, fide data se religiosæ vitæ legibus obstringebat, Deoque devovebat. Propterea nos inclitam illam, ac prope divinam Deique munere inditam virtutem tunc præcipue animo volvebamus, ac Nos ipsi huic ab omnibus seculis memorandæ celebritati interesse, eaque vota ac sponsiones in manus nostras coram excipere videbamur. Dum defixi

in hac jucundissima cogitatione essemus, et novam hanc præclaram laudem Borbonio nomini, ac præsertim carissimo in Christo filio Ludovico Francorum regi Christianissimo accedere lætaremur, ille ex Hispania nuncius paternum animum nostrum ad aliam Borboniæ item gentis felicitatem, et uberrimam Nobis inde perfruendam lætitiam convertit. Summas atque immortales extemplo regum Regi, ac regnorum largitori et conservatori Deo gratias persolvimus, cujus singulari et communibus votis jamdiu implorato beneficio pulcherrimas has gaudii causas Nobis esse datas videmus. Quam multæ enim fuerunt, quam assiduæ nostræ et catholici regis propterea fusæ ad Deum preces : quæ vota et in Hispaniæ regnis, et in hujus urbis nostræ templis suscepta ! Nos potissimum nostram hanc Sanctorum Duodecim Apostolorum basilicam festo beati Josephi a Cupertino die, quem natalis pueri dies statim est consecutus, adivimus, ibique a Seraphico Patre beato Francisco, unaque a beato Josepho, quorum præsens erga Nos apud Deum patrocinium semper experti sumus, ut adesse Nobis tanta in re vellent, enixe flagitavimus; eisque porro opis Nobis præstitæ memores cum festus beati Francisci ageretur dies, in Seraphica ejus nominis atque ordinis Basilica, magnaque hominum frequentia gratissimum animum nostrum publice ut debuimus, testati sumus. Quem igitur Deus Optimus Maximus impertitus Nobis est atque Ecclesiæ dilectissimum in Christo filium, regi nepotem, Hispaniæ delicias, ac spem mansuræ felicitatis, eundem servare ut salvum item ac incolumem velit, atque in illo avitæ, et paternæ pietatis, æquitatis, clementiæ, cæterarumque regiarum virtutum exempla renovare, omnino confidimus. Nos certe, quantum studio et pontificia caritate conniti et contendere possumus, ut maximus hic cumulus divinis beneficiis adjungatur, deprecando obsecrandoque præstabimus. Qua propter Deo omnipotenti commendamus egregium puerum Carolum Clementem a Nobis una cum catholico rege in sacra regeneratione susceptum, atque idcirco tamquam novum atque illustre summi inter Nos amoris ac necessitudinis pignus futurum : Beatissimo item Petro, cujus apostolicam dignitatem in infirmitate nostra retinemus cuique idcirco studia Nostra acceptissima fore scimus, tuendum eundem et custodiendum tradimus. Atque hæc vobis, Venerabiles Fratres, communicanda esse duximus, ut pro ea, quam in Ecclesia habetis parte, vota vestra nobiscum conjungatis, et publicis lætitiæ significationibus declaretis animorum vestrorum sensus in his faustissimis regiæ Catholicæ Domus incrementis, in quibus maxima rei christianæ, atque hujus Apostolicæ Sedis præsidia et ornamenta contineri cognoscitis.

CLXVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 novembris 1771.

Carissime, etc. Non regiam solum teque dignam animi munificentiam sed eximia etiam tua erga Nos studia, ac perspectam jam pridem pietatem Nobis tuo munere, quod nuper accepimus, carissime in Christo fili noster, confirmasti, ac recentem hanc ad superiores de te lætandi causas adjunxisti. Cum enim summam ac singularem in te paternæ voluntatis caritatem jam diu contulerimus, nihil jucundius accidere potuit quam novis tui amoris indiciis magis in dies persuaderi Nobis, ut quod pro excellenti tuarum virtutum laude facimus, id pro tuis etiam tam crebris ac præstantibus in Nos officiis ac meritis semper tibi debeamus. Cumulatissimas itaque Majestati Tuæ, ac quas maximas possumus, habemus gratias, eumque tibi deferimus animum nostrum, quo gratiorem, ac in te diligendo inflammatiorem et Nos præstare, et tu ipse optare non possis. Quod reliquum est, carissime in Christo fili noster, a Deo Optimo Maximo enixa assiduaque obsecratione contendimus, ut virtutem, gloriam ac felicitatem tuam novis ipse suorum beneficiorum accessionibus ornet et cumulet, ac præcipue, quem ab eo nuper accepisti, Hispaniarum Infantem Carolum Clementem communes delicias nostras, salvum atque incolumem tibi regnoque faciat. Sed quos de illo de te, tuisque liberis omnibus perceptos habeamus intra nos sensus, qua voluptate de tantæ Domus incremento efferamur, quæque nostra imposterum vota de ejusdem felicitate sint, magis ex iis percipere poteris, quæ nuper locuti in Secreto Cardinalium Consistorio sumus, cum eisdem lætitiæ nostræ magnitudinem communicaremus. Proinde eam tibi hisce conjunctam transmittimus Allocutionem nostram, quam typis edi voluimus, ut publicum etiam extaret hoc animi erga te nostri in tanta opportunitate monumentum. Atque ut felix hujusmodi votorum auspicium sit roboramus ipsum apostolica benedictione, quam in nostræ etiam paternæ caritatis pignus Majestati Tuæ, universæque Catholicæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *novembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXVII.

VENERABILI FRATRI

ARMANDO EPISCOPO SILVANECTENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 novembris 1771.

Venerabilis, etc. Libentissime accepimus transmissam a te Nobis orationem tuam, quam in religiosa Regiæ Virginis professione dixisti, cum, quod jucundissimum Nobis est, omnique virtutum laude cumulatissimum argumentum à te, Venerabilis Frater, plurima sit eloquentiæ vi, ac doctrinæ copia pertractatum. Itaque et gaudemus debita excellentibus illius meritis ornamenta publice non defuisse, et tibi id exornandum, quo maxime triumpharet, oratio tua contigisse gratulamur. Hunc nostrum Pontificii animi sensum facile æstimare potes ex ea, quam in tanta celebritate habere voluimus, parte, cum per Venerabilem Fratrem Bernardinum Archiepiscopum Damascenum Nuncium nostrum vices nostras agentem Nos ipsi quodammodo coram in manus nostras ea solemnia vota excipientes ad tantum sanctitatis ac religionis splendorem apostolicæ dignitatis auctoritatem contulissemus. Quem si attigisses de Nobis locum, tuaque dicendi gravitate palam fecisses summam nostram atque immensam illam erga Borboniam desponsam Christo virginem cum pari tantæ virtutis admiratione conjunctam caritatem, id quidem paterno animo nostro fuisset gratissimum. Proinde id a Nobis desiderari in tua laudatione, Venerabilis Frater, æquo animo ferre debes, cum ex hoc ipso intelligas quantam habeamus rationem et illius nostro hoc Pontificatu splendidissimi facti et uberrimæ illuc congestæ eloquentiæ ac doctrinæ tuæ. Demum pro tua in Nos ac Sanctam hanc Sedem observantia plurimam tibi, Venerabilis Frater, Pontificiam benevolentiam deferentes, apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die 20 novembris 1771, pontificatus nostri anno tertio*

CLXVIII.

DILECTO FILIO

JOANNI JOSEPHO AB HAVERN

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 novembris 1771.

Dilecte, etc. Accepimus gratissimum Nobis munus tuum, Tabulam

nimirum augustæ omnis familiæ vultus referentem, quam æri incidere in recentibus dilectissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Austriæ Archiducis nuptiis voluisti. Hac re probasti quidem, quæ tua sit in ipsam Austriacam Domum observantia, unaque etiam tua erga Nos studia pietatemque declarasti, cum quod maxime oblectare oculos nostros posset pro singulari nostra in eam familiam paterna caritate transmiseris. Ad tam acceptum munus adjunxisti tuos erga Nos, ac Apostolicam hanc Sedem plenos devotionis ceterorumque officiorum sensus, quibus plane tibi ea respondemus paterna benevolentia, qua tu maxime affectos Nos esse erga te velis. Ac in ejusdem argumentum apostolicam benedictionem, tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *novembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXIX.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

FREDERICO LANDGRAVIO HASSIÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 novembris 1771.

Dilecte, etc. Maxime cuperemus pro illa, qua erga Nobilitatem tuam sumus, singulari paterna caritate gratificari tibi posse, in eo quod a Nobis per literas postulas, ut scilicet dilectum filium Ephraim Konopka Sacræ Theologiæ Doctorem Ordinis Minorum conventualium ad aliquem in Partibus Episcopatum evehamus. Putaremus sane non magis tuis, quam nostris Nos studiis satisfacere in eo ornando viro, cum decoris aliquid ipsi Ordini, quem plurimum diligimus, adjunxisse videremur. Ratio tamen, quam tenere in iis concedendis episcopatibus debemus, cum ea sit, dilecte fili nobilis vir, ut non nisi illis interdum conferantur, quos episcopi suffraganeos sibi, ac tamquam subsidiarios in amplissima Diœcesi regenda necessario delegerint, hæc ipsa Nos ratio, etsi invitos inducit ne tuis nostrisque desideriis in præsentia obsequamur. In tuam erga Nos pietatem intuentes minime dubii sumus, quin etsi rem ipsam præstare non possimus, animus tamen hic Noster tibi gratissimus futurus sit, cujus erga te sensus et uberius cognosces ex dilecto filio Abbate Giordani Agente tuo, cui eosdem palam fecimus, et Nos ipsi confirmamus apostolica benedictione, quam Nobilitati tuæ ex intimo paterno corde depromtam peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 20 *novembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXX.

DILECTO FILIO RELIGIOSO VIRO,

LADISLAO SAPPEL

ORDINIS SANCTI FRANCISCI RECOLLECTORUM,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 decembris 1771.

Dilecte, etc. Mirifice comprobasti Nobis studia tua eo volumine, quod nuper a te editum contra perniciosa quorumdam scripta ad Nos una cum literis observantiæ erga hanc Sanctam Sedem, ac fidei plenissimis transmisisti. Jucundum sane Nobis fuit omni te adhuc opera et labore contendere, quod jam pridem inceperas, ut Dei Ecclesiam, ac Beati Petri Cathedram a recentibus adversantium aggressionibus vindicares. Idcirco et bene te de Nobis mereri ultro fatemur, et pari quam sa. me. Clemens XIII Prædecessor noster jam pridem testatus est, paterna te benevolentia complectimur; luculentissimum scilicet nostrum animum tibi, dilecte fili religiose vir, et declaramus et exhibemus. Atque ut divina ope certius niti ad promovendam Dei gloriam, Ecclesiæque utilitatem possis, cœlestis benedictionis auspicem apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili religiose vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 14 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXI.

DILECTO FILIO

MALACHIÆ JENISERCHIS, SACERDOTI ARMENO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 decembris 1771.

Dilecte, etc. Libenter intelleximus, dilecte fili, quæ ad nostram hanc congregationem de Propaganda Fide nuper scripsisti de apostolicis laboribus tuis, quos in excolenda isthic vinea Domini, Deo incrementum dante, sedula assiduaque opera impendis, ac de ea præsertim Fidelium utilitate, quam universalis Jubilæi isthic promulgati opportunitas intulit. Deoque ipsi propterea plurimas egimus gratias, cujus benignitate fructus prodierunt uberrimi, tibique eas dedimus laudes, quæ egregio muneri, quo fungeris, convenire maxime debeant, cum in eo exercendo evangelicum animarum zelum, ac in proximum caritatem cum prudentia doctrinaque constrinxeris. Quapropter deesse

Nobis videremur si novas isthic exercendæ operæ tuæ, ac inflammandæ in isto fideli populo pietatis opportunitates non suppeditaremus. Itaque per hasce nostras in forma Brevis literas, quas ad te, dilecte fili, transmittimus, plenariam peccatorum indulgentiam solemnioribus per annum diebus, videlicet Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi, Pentecostes, Epiphaniæ, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Seraphici Patris S. Francisci lucrandam ab omnibus Armenis Ancyræ Catholicis, quicumque prius confessi, ac sacra communione refecti pro exaltatione Ecclesiæ, pro infidelium conversione, ac pro hæresum extirpatione Deum oraverint ad septenium duraturam apostolica auctoritate concedimus.

Deum vero ipsum Nos precamur, ut consilium hoc nostrum ad suam magis magisque augendam gloriam conversum suæ bonitatis ubertate fæcundet, tibique ut ad eam curandam majori divinæ gratiæ incremento confirmeris, cœlestis benedictionis auspicem apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXII.

DILECTO FILIO NOSTRO

ANTONIO S. R. E PRESBYTERO, CARDINALI DE CHOISEUL,

ARCHIEPISCOPO BISUNTINO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 decembris 1771.

Dilecte, etc. Gratissima Nobis fuerunt pro singulari, qua erga te caritate sumus, quæ in literis ad Nos die XXXI octobris datis significas Nobis de tua filiali erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate, fide ac observantia. Quem Nos merito diligimus, cujusque sedulam in pastorali ministerio operam, vigilantiam, ac sollicitudinem plurimi facimus, ejusdem vicissim luculentas in Nos existere studii, obsequii, officiorumque omnium declarationes id vero et mirifice paterni animi nostri auget jucunditatem, et pristinam erga te benevolentiam magnopere confirmat. Cum itaque eum in modum comparati sumus, dilecte fili noster, facile intelligis, minime unquam dubitatum a Nobis esse, quin perutilis futura sit tua monialium sancti Francisci de Arbois gubernatio, imo ut eamdem, quod par erat, auctoritate nostra stabiliremus illas quas nosti, in forma Brevis literas, ultro ad te transmittere voluimus, quibus et tibi in moniales jus esset, et illis invicem pa—

rendi necessitas, legitimæque propterea ac tutæ coram Deo atque Ecclesia actiones hæ vestræ forent, ratumque quidquid a te ad ipsius monasterii utilitatem, ac religiosam vitæ rationem sanciretur. Nos enim præterquam quod minime agnoscimus ullo rationis robore niti ea, quibus decretalem Innocentii III prædecessoris nostri cap. Cum tempore Tit. de Arbitris. non habere vim legis isthic contenditur, supervacaneam nunc esse hanc de ea Decretali quæstionem videmus, cum illud monasterium sit in Burgundiæ Comitatu, ubi recordari facile potes, dilecte fili noster, te ipsum alias declarasse et decretales, et universum corpus juris canonicum suam vim legis retinere. Sed de his ipsis, deque hujusmodi aliis, quæ in epistola tua continentur uberius intelliges ex Venerabili Fratre Bernardino Archiepiscopo Damasceno Nuncio nostro, ad quem accurate prescribi mandamus, quæ ad rem pertinent, quæque referri tibi nostro nomine ac responderi volumus. Quod reliquum est, aliæ exemptorum monasteriorum moniales, quæ subesse immediatæ tuæ episcopali jurisdictioni vehementer, ut scribis, exoptant, hæc a Nobis postulare ipsæ debent, tuque una, dilecte fili noster, cujus judicio prudentiæque maxime fidimus, tunc ad Nos transmittere quæcumque ad eorundem fundationes, regulas, privilegia ac præsentem rerum omnium statum pertinent, ut his perspicue cognitis, decernere rite quod ex nostra æquitate, ac eorumdem utilitate sit valeamus. Demum in cumulatius nostræ erga te paternæ caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXIII.

VENERABILI FRATRI

FRANCISCO ARCHIEPISCOPO MEXICANO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 decembris 1770.

Venerabilis, etc. Accepimus tuum, Venerabilis Frater, quod non tam otio quam eruditioni ac doctrinæ debetur, munus, majoremque in modum commendavimus animum tuum iis deditum studiis, quæ maxime cum episcopalibus curis consentiunt ac in Ecclesiæ bonum redundatura sint, atque etiam faciliorem tibi viam factura ad Concilium Provinciale, quod rite celebrare statuisti, ut præclaris prædecessorum tuorum exemplis insisteres ac renovares, atque ampliora

etiam tuo zelo doctrinaque faceres ea omnia, quibus fidei morumque integritas, Ecclesiæ unitas, ac hujus Beati Petri cathedræ jus atque auctoritas retinetur. Illud vero divino plane ductu factum esse percipimus, ut opus tuum de Ritu Gothico in obsequium conficeres Ecclesiæ Toletanæ; ejus enim cum antea inter alumnos adscriptus esses, jamjam inter præsules numerandus eris, eidemque, cui tantum studes, pastorali vigilantia, sollicitudine atque opera, præfuturus.

De hoc quidem Nos summopere lætamur, cum plurimam de te jam pridem perceptam confirmatamque opinionem nostram iis etiam, quæ nuper transmisisti, tuæ doctrinæ monumentis vehementer auctam esse videamus. Acceptissimum itaque Nobis fuit ac jucundissimum, Venerabilis Frater, munus hoc tuum tantoque majores idcirco tibi gratias habemus, quanto magis una conjungi luculentissima tua erga Nos ac Sanctam hanc Sedem pietatis, observantiæ et devotionis officia intelligimus. Præclarum ad cetera merita tua hunc addis cumulum, Venerabilis Frater, singularemque erga te caritatem nostram eum in modum inflammas, ut, et ornatissimum te esse mirifice gaudeamus, et ornatiorem in dies fieri vehementer optemus. Tibi igitur illud maxime persuade et summa esse nostra erga te paterni amoris studia, et parem tibi Pontificiam operam atque auctoritatem præsto esse semper futuram. Dum hæc ad te scribimus, Venerabilis Frater, nobis in mentem venit die XXV februarii hujus anni datam tibi per hanc congregationem Concilii Tridentini interpretem a Nobis fuisse facultatem transferendi a regulari ad secularem vitæ statum, dilectum filium Joachinum Sanctissimæ Trinitatis ordinis Bethlemitici professum, eumdemque ad sacros ordines usque ad sacerdotium inclusive promovendi. Graves Nos induxerunt causæ ut ea ratione ipsi dilecto filio consultum esse vellemus. Proinde eum tibi nunc vehementer commendamus, plurimoque a te studio petimus, ut ejusmodi illius postulata, propenso excipias animo, et cum apostolica auctoritate paternam etiam erga ipsum pietatem nostram in te esse translatam putes. Gratissimum itaque Nobis feceris, si et illa per Nos tibi facta potestate libenter uti volueris, et luculentiorem etiam nostræ hujus commendationis causa in ipsum benignitatem tuam declaraveris. Ac in plurimæ nostræ voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 19 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXIV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI
CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 decembris 1771.

Carissime, etc. Perculsi incredibili dolore fuimus, cum primum horribiles illi, quibus conflictatus es, casus, visque Regiæ vitæ illata, ac intentati tibi periculi magnitudo Nobis nunciarentur. Etsi nos semper antea conscii nostræ plurimæ erga te caritatis fuissemus, ex illo tamen, quo affecti tum atque oppressi pene eramus, intimo paterni animi sensu quantum te diligeremus, maxime cognovimus. Sed ereximus nos, carissime in Christo fili noster, ac non mediocriter recreavimus, cum in tuto vitam tuam esse positam, ac singulari Dei beneficio servatam ex tuis præsertim literis, quas cupidissime accepimus, intelligeremus. Statim itaque convertimus cogitationem nostram ad Deum O. M. cujus effusæ in te misericordiæ pene prodigia sunt a Nobis animadversa, eidemque et incolumitatem commendavimus tuam et quantas maximas potuimus persolvimus gratias; ac propterea etiam ad Poloniæ nationis templum cum ibidem pro Regia Majestate Tua vota publice fierent, perreximus, tibique secunda in posterum, fausta, ac felicia omnia precati sumus. Illud præcipue a divina clementia obsecrationibus nostris contendimus, ut turbulentissimum rerum istarum statum ad eam tranquillitatem, ac pacem referre tandem velit, unde maximus suæ gloriæ fructus, Catholicæ videlicet religionis utilitas, ac pristinus isthic pietatis splendor existat. Excitat hanc in Nobis spem, carissime in Christo fili noster, admirabilis illa divini consilii ratio, qua te a periculis, atque a morte vindicavit. Quod idcirco factum certissime ab eo videtur esse, ut te superstite, tuaque opera, tua virtute turbatas Regni istius Ecclesiæque rationes stabiliret. Gratus eidem pro tanto beneficio magis esse non poteris, quam si receptæ ab eo vitæ cursum omnem, omnesque regias curas eidem obstringas ac devoveas. Multo tum magis palam omnibus facies quam leves atque inanes sint speciosæ illæ adversariorum tuorum excusationes, qui se, ut nosti, nationis suæ jura propugnare et Catholicæ religionis auctoritatem tueri profitentur. Nullæ quidem esse unquam possunt non improbandæ, ac prorsus repudiandæ tantorum facinorum causæ; illas tamen ipsas, quæcumque afferantur, facillime tum concitatæ etiam multitudini eripies ac extorquebis, cum nullius majora, quam tua pro religione patriisque legibus esse stu-

dia, tuamque ideo regiam potestatem divino patrocinio niti perspicue viderint. Hæc Nos, qui cupidissimi gloriæ tuæ, tuique regni felicitatis sumus, et a Deo enixe flagitamus, et ex luculentissimo illo ejusdem erga te benignitatis argumento futura Nobis pollicemur. Demum cœlestis benedictionis auspicem, nostræque singularis voluntatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXV.

DILECTIS FILIIS

CAPITULO ET CANONICIS

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ SALISBURGENSIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 decembris 1771.

Dilecti, etc. Incredibile sane est, quanto dolore affecti simus, cum ex vestris literis tristissimum percepissemus nuncium de obitu Venerabilis Fratris Sigismundi Christophori archiepiscopi vestri Salisburgensis. Nostram Nos in eum singularem caritatem maximis de causis jam diu contuleramus; nam et præclara ejus esse de religione, de Ecclesia, et de Sancta hac Sede merita, et mirificum in commissos sibi populos, apostolicum studium, curam, ac vigilantiam ita agnovimus, ut ejusdem vitam a Deo diutissime ad commune bonum prorogari cuperemus. Quem proinde tantopere viventem diligebamus, ejus mortui desiderium ita ferimus, ut plurimam jacturam factam esse arbitremur. Communem itaque putare potestis, æque scilicet nostrum esse vestrumque hunc luctum, ac proinde facile nostrum, dilecti filii, ex vestro dolorem cognoscere. Hunc ipsum tamen debemus ad ejus animæ subsidium conferre, ac Deum Salvatorem nostrum pro ipsius salute deprecari. Quod dum facimus, plurima sane erigimur, ac recreamur fiducia fore jam ut ipse meritam suarum virtutum mercedem a Domino recipiat. Altera etiam Nobis suppetit leniendi mœroris causa, dum cogitationem nostram ad vestras laudes ac optima, quæ agitatis, de eligendo successore consilia convertimus. Minime Nobis dubium esse potest pro ea qua de vobis sumus, existimatione, quin ad publicas rationes unice sitis exacturi judicia vestra, eaque ex Sancti Spiritus afflatu tantummodo moderaturi. Tamen pro nostro munere etiam atque etiam hortamur vos, a vobisque flagitamus, ut per vos vestramque operam optime consultum Ecclesiæ istius utilitati ac

dignitati sit, utque prædecessoris virtutes non jam extinctæ, sed in successore redivivæ omnes esse videantur. Ita eritis de vestra Salisburgensi Ecclesia, cujus Nos studiosissimi sumus, ac proinde etiam de Nobis præclare meriti. Volumus præterea hoc nunc maxime in animum inducatis, quidquid opis ac præsidii in nostra ac in Apostolicæ Sedis auctoritate esse poterit, illud vobis omne pro opportunitate præsto esse semper futurum. Quod reliquum est vehementer vobis commendamus dilectum filium Abbatem Josephum Dionysium Crivellium, ut qui antea tribus antistitibus vestris perpetuam operam summa cum fide, integritate ac prudentia conjunctam probaverit ac in curandis istius Ecclesiæ rebus præstandisque officiis consenuerit, eundem meritissimum esse putetis, cujus plurima ratio a novo archiepiscopo vestro habeatur. Facite igitur, ut ad præclara ejus merita etiam nostræ, qua in ipsum sumus benevolentiæ ratio accedat, ac eundem reddat et vobis et per vos vestro futuro antistiti nostra causa commendatissimum. Quod per ætatem agere non poterit, pensabit experientia, habetque præterea adjutorem suum dilectum filium Abbatem Augustinum æque sedulum, diligentem, expertum, Nobisque acceptum hominem, cujus ille utilissimam fore isti Ecclesiæ operam ac auxilium sibi pollicetur. Uterque igitur cupimus, ut eum retineat apud successorem gradum, in quo erat ab optimo prædecessore constitutus. Id profecto Nobis erit gratissimum. Demum apostolicam benedictionem in nostræ caritatis pignus vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc. die* 28 *decembris* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXVI.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

ALOYSIO EUGENIO DUCI WIRTEMBERGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 11 januarii 1772.

Dilecte, etc. Maximas sane occupationes quotidie Nobis afferunt, variisque animum nostrum distinent curis gravissima omnia summi pontificatus, quem gerimus, munera; litteræ tamen tuæ, dilecte fili nobilis vir, tantum abest, ut idcirco molestæ Nobis esse possint ut etiam eas ipsas solicitudines levent quodammodo ac recreent, et paternum cor nostrum singulari quadam jucunditate perfundant. Quem enim intima caritate diligimus, cujus salutem omnibus expetimus a Deo votis, eumdem magis in dies virtutis via procedere, reli-

gionisque ac pietatis spiritu inflammari, id vero intelligere Nobis est jucundissimum. Maximas idcirco pergimus, atque immortales omnipotenti Deo habere, ac reddere gratias, cujus in te summa, atque eximia beneficia constare cognoscimus. Tu vero perge, dilecte fili nobilis vir, quantum tuis diffidere viribus tantum divina bonitate niti in Jesum Christum redemptorem ac mediatorem nostrum cogitationes ac spes omnes conjicere, in eo conari, ac operari salutem tuam atque ad æterni Patris gloriam per eum adspirare, qui est via, veritas, ac vita, per quem scilicet ex his tenebris ad inextinctum veritatis lumen, ac beatissimam vitæ immortalitatem traducimur. In hoc quidem seculo certandum semper est Nobis, cum undique adversariorum vi atque insidiis appetimur; sed ejus morte vitam recipimus, ejus sanguine roboramur ad victoriam, ejus demum virtute triumphum sumus relaturi. Hæc cum tibi unice proposita sit in tuo timore, tuaque humilitate, fiducia, in eaque per Dei misericordiam assidue confirmeris, ut ex tuis intelleximus litteris, tanto flagrantiores ad eum pro te cum gratiarum actione preces effundimus, neque ullum sinimus præterire diem, quin memores tui in peragendo sacrificio simus, teque ac dilectas in Christo filias nobiles mulieres, conjugem, filiasque tuas atque universam familiam æterno Patri per sanctissimam illam pro nobis immolatam hostiam commendemus. Dum Nos eo in te animo sumus, invicem tua, tuorumque qua in Nos estis, pietate magnopere delectamur, atque inde uberrimos Nobis Ecclesiæque fructus extituros confidimus, cum quos Nostri pontificatus temporibus successus desideras, eosdem summis a Deo assiduisque precationibus efflagitas. Nos quidem cogitationibus, curis ac laboribus omnibus non nostram, sed Dei gloriam quærimus, proque eadem vitam ipsam pacisci ac profundere parati sumus. Ea in Ecclesiæ utilitate provehenda, in amplificanda religione, in curanda animarum salute potissimum continetur. Quorum omnium cum commissa nostræ fidei solicitudo sit, optime intelligis, quantum sit pondus, quam imbecillis viribus sustinendum et quam enixis proinde fidelium omnium precibus, ac votis fulciri quodammodo Nos, ac roborari necesse sit. Pro tuo igitur in Nos studio feceris, si infirmitatem nostram non intermisso precationum auxilio sustentaveris, neque aliud putaveris officium ullum in Nos tuum esse posse Nobis vel opportunius vel acceptius. Eum in modum præclare responderis summæ illi ac singulari paternæ caritati, qua te prosequimur, quaque apostolicam benedictionem cælestis benedictionis auspicem Nobilitati Tuæ ac tam dilectæ Nobis familiæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 11 *januarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXVII.

DILECTIS FILIIS

CAPITULO ET CANONICIS

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ SALISBURGENSIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 januarii 1772.

Dilecti, etc. Ecclesia ista Metropolitana Salisburgensis, dilecti filii, sub pristinis archiepiscopis suis, ac sub eo potissimum, qui nuper ereptus summum sui desiderium Nobis reliquit, plurimo ut dignitatis, ita virtutis splendore semper enituit. Maxime proinde optamus, ut sub eo etiam quem suffecturi suffragiis vestris eritis, eadem suarum laudum ornamenta imposterum retineat; neque minus vestro studio, vestraque cura ac prudentia fore confidimus, ut quod sæpe antea in antistitis electione fecistis, nunc itidem eidem Ecclesiæ sitis egregie consulturi. Verum ut operam etiam nostram atque auctoritatem ad ejus quam florentissimam esse cupimus, commoda utilitatemque conferamus, ea præsertim ratione inducimur, quod arctis quibusdam concludi finibus videntur judicia vestra, si eorum etiam quatuor vestrorum in canonicatu collegarum, qui ejusdem Metropolitanæ suffraganei episcopi sunt rationem in comitiis habere non possitis. Fieri enim facile potest, ut vos, qui propius ipsorum pastorales curas inspicitis, quempiam ex iis, a quo commissam tantæ diœcesis partem optime regi administrarique videatis, aptissimum fore, qui Salisburgensi ecclesiæ præsit, ac cæteris præferendum censeatis. Ne igitur carendum vobis Ecclesiæque isti sit illa, quæ peculiaris vestra est, opportunitate ex suffraganeis unaque collegis vestris capienda, faciendam vobis ipsis esse nunc per Nos potestatem eligendi quemlibet ex iis quatuor episcopis, cui Salisburgensis ecclesia committatur, si ita in Domino judicabitis, decrevimus. Itaque, dilecti filii, quemadmodum singulos vestrum eligendi vobis jus est, ita per hasce nostras in forma Brevis literas facultatem vobis ultro apostolica auctoritate concedimus ac impertimur, ut in his tantummodo archiepiscopalibus comitiis, quæ proxime habenda isthic sunt, quemcumque ex iis quatuor collegis vestris, qui in ista diœcesi suffraganeum episcopatum gerunt unum eligere in Salisburgensem archiepiscopum, si ita videbitur expedire, quibuscumque in contrarium non obstantibus, valeatis. De qua concessione nostra ita vobis maxime persuasum esse volumus, nihil aliud propositum Nobis in animo fuisse, nisi ut æquitatis rationem in amplificanda vestra facultate sequentes faciliorem

vobis electionem efficeremus, et quemcumque sive ex iis quatuor episcopis, sive ex reliquis canonicis per suffragia vestra delegeritis æque Nobis gratum atque acceptum futurum. Ex hoc etiam, dilecti filii, summopere cupimus, intelligatis, quanta in vos nostra sint ecclesiamque vestram studia, atque idcirco tanto majorem detis operam, ut ex ea gravissima, quam brevi peracturi estis, actione vestra plurima ac perpetua et in vos laus, et in istam ecclesiam utilitas, et in Nos ipsos jucunditas redundare debeat. Demum in Pontificiæ nostræ caritatis pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *januarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXVIII.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ ANNÆ, ARCHIDUCISSÆ AUSTRIÆ,

ABBATISSÆ PRAGENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 januarii 1772.

Dilectissima, etc. Propensissimo, planeque paterno animo excepimus postulatum Nobis tuo nomine factum per dilectum filium magistrum Franciscum Herzan capellanum nostrum, et causarum palatii apostolici auditorem, quo postulato datum esse Nobis videmus locum in spirituali tibi ope præstanda, declarandi itidem, qua in te sumus singularem atque egregiam caritatem. Præter enim quam quod in augustam domum tuam summis, atque immensis dignitatis virtutum, ac meritorum laudibus jam ab ultima antiquitate florentem, et nunc præcipue immortali omnis generis amplitudine cumulatam omnia nostri amoris, ac existimationis officia conferamus, proprias in te ipsa eximiasque pietatis, ac religionis laudes agnoscimus, quibus in tanta tuorum luce potissimum enitescis. Te itaque Deo inservientem, divinisque rebus tam præclare deditam, non solum summa animi commendatione, ac studio prosequimur, sed paratissima tibi omnia esse volumus nostra, et Apostolicæ Sedis beneficia; cum eadem optime collocatum iri a Nobis arbitremur. Nihil enim petis, nisi quod summa ratione nititur, quodque cum pietate ipsa, cui præcipue studes, ejusque exercendæ facultati consentit. Si quidem cum imbecillior sit valetudo tua, quam ut abstinere ab esu carnium diebus vetitis possis, postulas a Nobis, ut earumdem usum tibi permittamus, atque ita postulas, ut aliam tibi pœnitentiam perscribi a Nobis velis, qua ejus

abstinentiæ pensari valeat relaxatio. Primum itaque, dilectissima in Christo filia nostra, ne quid de hac re dubitationis conscientiæ tuæ inhærere possit, persuasum tibi maxime esse cupimus omnia, quæ huc pertinent, Nobis diligentissime esse a præfato dilectissimo filio exposita, ac declarata, Nosque causa perspicue cognita, accurateque expensa, de tua petitione decernere. Quapropter, quod in Domino faciendum judicamus, facultatem tibi diebus jejunii lege vetitis, salubres carnes comedendi apostolica auctoritate concedimus, ac impertimur, ac etiam si ita confessario, itemque medico tuo videbitur, moderatum earumdem carnium usum vespertino collationis tempore permittimus, ac indulgemus. Atque ut adhuc magis omni te animi anxietate eximamus, eam ipsam, qua te solutam esse declaravimus, legem hoc alio commutamus, quemadmodum exoptas onere, videlicet, ut qualibet sexta Hebdomadæ feria in honorem quinque Christi Domini Plagarum quinque Dominicas orationes et totidem Salutationes Angelicas devote recitare debeas. Permoleste quidem tulimus, dilectissima in Christo filia nostra, hujusmodi datas Nobis esse, ut tibi gratificemur, valetudinis tuæ causas, ita tamen luculento erga te animo id fecimus, ut maxime cupiamus novas imposterum ac jucundissimas crebro suppeditari Nobis paternam magis in dies caritatem tibi testandi, confirmandique rationes. Quod ex ipso etiam dilecto filio magistro Herzan, cui nostros de te sensus patefactos esse coram voluimus, luculentius intelliges. Nos invicem majorem in modum confidimus fore, pro mutua tua erga Nos filiali pietate, ut egregia Nobis gravissimo hoc munere fungentibus in precationibus ad Deum tuis subsidia constituta sint. Nihil esse a te Nobis gratius, nihil devotioni in Apostolicam Sedem tuæ opportunius umquam poterit. Demum in uberioris divinæ gratiæ auspicium, nostræque caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *januarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXIX.

VENERABILI FRATRI

JOANNI EPISCOPO CERAMENO,

COADJUTORI VICARII APOSTOLICI TUNKINI OCCIDENTALIS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 29 januarii 1772.

Venerabilis, etc. Accepimus eo plane, quo ipse cupis, animo literas tuas die xxx decembris ad Nos datas, Venerabilis Frater, ex quibus

quæ a te Nobis accurate referuntur, perlibenter intelleximus. Illud jam tibi magis magisque persuasum esse volumus nihil tam Nobis esse cordi, quam Gallicanarum Missionum in Indiis Orientalibus incrementum, unde religionis, animarum salutis, ac proinde divinæ gloriæ fructus existat uberrimus. Propterea operam omnem, quantum in Nobis est, semper ad ejusdem Missionis tuendam amplificandamque rem navabimus. Cum hunc in modum breviter tibi nostrum de universa re animum declarassemus, de cæteris, quæ peculiariter huc spectant, quid nos sentiamus, ex dilecto filio Stephano Borgia nostræ congregationis de Propoganda Fide secretario perspicue cognosces. Ac ut singularem tibi benevolentiam nostram luculentius confirmemus, divinamque opem ad tam pios provehendos conatus adhuc magis eliciamus, apostolicam benedictionem Fraternitati Tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 29 *januarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXX.

VENERABILI FRATRI

THEODOSIO PATRIARCHÆ ANTIOCHENO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 februarii 1772.

Venerabilis, etc. Parem esse expectationi de Nobis vestræ paternum nostrum animum erga dilectos filios Sancti Salvatoris Monachos, quos tam enixe commendas, facile tibi persuadere, Venerabilis Frater, potes, cum non ignoti Nobis eorum labores sint, quos pro Fide Catholica præteritis temporibus exantlarunt, et fructus illi, quos ex ista vinea Domini sua opera, studio, ac sedulitate exculta uberrimos retulerunt. Vehementer itaque et eorum angustiis commovemur, et nihil optamus magis quam ut sublevare eosdem ope nostra præsidioque possimus, et eorum zelum pro animarum salute, et Catholicæ religionis incrementis, etsi sua sponte satis incitatum magis magisque inflammare. Hæc nos universim tuis rescribimus literis, Venerabilis Frater; cetera vero, quæ huc pertinent, quæque nostra sit de re singulari sententia, ex dilecto filio Stephano Borgia nostræ congregationis de Propoganda Fide secretario, qui ad te diligenter perscribet, intelliges. Ac in paternæ nostræ pietatis pignus apostolicum benedictionem Fraternitati tuæ, ejusque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima Februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXI.

DILECTO FILIO

EUTIMIO ZECEAR,

ABBATI GENERALI MONACHORUM BASILIENSIUM GRÆCO-MELCHITARUM CONGREGATIONIS S. SALVATORIS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 februarii 1772.

Dilecte, etc. Nihil gratius Nobis atque acceptius est, dilecte fili, quam omnium vestrum de paterna nostra caritate fiduciam agnoscere, quorum et in colenda Domini vinea sollicitudinem, atque industriam commendamus, et non ignoramus eas, quibus in præsentia conflictamini, sublevarique idcirco flagitatis, angustias. Nos profecto præsto vobis semper esse maxime cupimus, vestræque de pietate in vos nostra expectationi non impare vos adjuvandi cupiditate respondemus. Eum enim in modum libentissime et benemeritis gratifiaremur, et eorum animos ad præclarius etiam de catholica religione merendum beneficiis nostris incitaremus. Hanc universim de vobis esse voluntatem nostram tibi tuisque vehementer persuasum esse volumus; cetera vero, quæ huc peculiariter spectant, nostro nomine ad te per dilectum filium Stephanum Borgiam nostræ congregationis de Propaganda fide secretarium accurate præscribentur. Ac in paternæ benevolentiæ nostræ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque monachis peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

CAROLO ALBERTO PRINCIPI AB HOHENLOHE

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, die 5 februarii 1772.

Dilecte, etc. Quas nobiscum egisti filialis officii tui partes in recentibus tuis cum dilecta filia nobili muliere Principissa Josepha de Salm-Salm sponsa tua nuptiis, easdem Nobis dilectus filius Abbas de Gentilibus, dum tuas litteras redderet, abunde cumulavit. Id Nobis pergratum fuit, tibique idcirco summo studio gratulamur, tuæque nobili familiæ, quam plurima sobole florere cupimus, omne decoris ac felicitatis incrementum a Deo precamur. Quo id faciamus quam prolixo luculentoque animo præfatus dilectus filius diligenter, ut solet, ad te perscribet, tibique a paterna nostra caritate profecta de te vota con-

firmabit. Demum in cœlestis benedictionis auspicium apostolicam benedictionem tibi, tuæque conjugi, dilecte fili nobilis vir, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., 5 februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXIII.

VENERABILI FRATRI

HIPPOLYTO EPISCOPO SENOGALLIENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 8 februarii 1772.

Venerabilis, etc. Retulit Nobis dilectus filius noster Ferdinandus Maria S. R. E. Presbyter cardinalis de Rubeis Congregationis Concilii Tridentini interpretis Præfectus, quæ tu, Venerabilis Frater, in epistola, qua istius diœcesis statum eidem congregationi de more descripsisti, non solum vehementer exoptas, sed summopere etiam flagitas, ut nos scilicet habita ratione et ætatis, et valetudinis tuæ dimitti a te episcopotum sinamus, aliumque viventi tibi, ac in otium recedenti successorem ad istam regendam ecclesiam deligamus. Tua apud Nos egit ille partes, sed ita egit, ut quemadmodum debuit quæ sua esset hac de re, deque istius Dominici gregis utilitate sententia perspicue accurateque declararet. Ea omnia, quæ Nobis semper antea perspecta de te erant, deque non intermissis tuæ pastoralis solicitudinis, vigilantiæ, caritatis laboribus cum abunde confirmasset, gavisi sane sumus, Venerabilis Frater, laudare Nos debere, postulatum id tuum; eidem vero consentire non debere. Tu enim cum affectus debilitatesque corporis tui vires esse jam sentias, pro egregio in commissum tibi populum studio valde vereris, ne quid idcirco de episcopali sedulitate atque opera, quod præstare vehementer intersit, necessario detrahatur. Nos vero illud præcipue cogitamus non eas esse ecclesiasticæ militiæ rationes, ut non multo potiora animi robore, quam corporis possint effici. Neque dubii sumus, quin ad optime tuendum episcopatus munus ipsa multorum annorum exercitatio atque experientia cum egregia voluntate conjuncta plurimum conferat. Cum tu itaque hujusmodi voluntatis luculentum semper antea specimen dederis, cumque diuturnus ad virtutem accesserit rerum usus, quid est, Venerabilis Frater, quod corporis imbecillitas ab episcopali opera detrahere possit, quod idem non cumulatissime animi tui solertia prudentiaque pensetur? quem tanto tempore in ista moderanda Diœcesi laborem versasti, idem tibi in proclivi esse jam debet, neque non facile geri, quem diu jam gesseris. In eo itaque gradu fider-

ter perstare te oportere judicamus, quo divina voluntate jampridem constitutus es, neque tam ad infirmitatem tuam quam ad Jesu Christi opem præsidiumque respicere, qui, cum in eo spes tuas posueris et vires, si necesse erit, tribuet, et quæ optima sunt ad agendum consilia suppeditabit. Quapropter, Venerabilis Frater, confirma te in Domino, omnique otii ac vocationis interdicto desiderio Ecclesiam sponsam tuam, cujus in amore consenuisti, ne desere, urge opus, quod ita tibi a Deo commissum fuit, ut ab eo numquam divelli, sed immori deberes : illuc animi vires contende, ut ejus gloriæ, quam superioribus annis consectatus es, insistas etiam senex, vitæque tuæ rationes omnes animarum, quas tuendas suscepisti saluti posthabens bonum certamen usque ad cursus consummationem certes, tuisque fidem, ac Deo pariter ita serves, ut cum Beatissimo Paulo, præcipere animo possis repositam tibi coronam justitiæ, quam reddet tibi Dominus in illa die justus judex. Hoc nostrum est de postulato tuo judicium, Venerabilis Frater. Quæ ad episcopatum non suscipiendum imbecillitatis valere ratio posset; eadem ad dimittendum satis esse non videtur, cum de eo præsertim agatur, qui tamquam vetus in militia Dux aliorum opera egregie uti ad suorum salutem, ad victoriam possit. Itaque quod superius diximus, commendamus animum postulantis id tui, postulationi tamen non assentimur. In quo consilium nostrum divina voluntate, ac istius gregis utilitate metimur, nostramque magis, quam agi rem putamus, cum ad Nos de commissis tibi ovibus maxime pertineat. Tanto itaque enixiore te hortamur studio, ne officium tuum tuis viribus, sed divina ope sustinendum arbitreris, idque ita gerere, quantum in te est, pergas, ut cui obsequeris Deo, ejusdem gratia præsidioque nitaris. Ita benemereri de Nobis, ac de Ecclesia vel in infirmitate tua poteris, ac majorem in modum augebis singularem eam, qua in te sumus, caritatem, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 8 *februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXIV.

DILECTO FILIO

VICTORI DE COCCAGLIO,

MINISTRO PROVINCIALI ORDINIS CAPPUCINORUM,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 8 februarii 1772.

Dilecte, etc. Post superiora tria Theologiæ tuæ volumina, postrema

nunc quatuor accepimus, quibus labor iste tuus eximia cum laude concluditur. Agnoscimus sane quæ tua sint de sacra doctrina merita ac summopere lætamur novum inde in Seraphicum Ordinem, cui summopere studemus, decus accedere, idque uberiori Nobis gaudio futurum confidimus, cum aliquod a gravissimis occupationibus vacuum tempus nacti luculentum tuum illud opus perlegemus. Interea, dilecte fili, maxime tibi persuasum cupimus, plurimum nos esse tuo munere dilectatos, ac majorem in modum auctam in te paternam benevolentiam nostram, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 8 *februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

FREDERICO LANDGRAVIO HASSIÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 februarii 1772.

Dilecte, etc. Pèrmolestus Nobis accidit, quem nunciasti per literas te perceptus dolor ex obitu nobilissimæ tibique carissimæ Principissæ Mariæ conjugis tuæ, tuoque hoc luctu eum afficimur in modum, qui paterno singulari, quo in te sumus, animo consentit. Sed quo tuà hæc doloris acerbitas aliquanto levior esse possit vehementer te, dilecte fili nobilis vir, hortamur, ut cogitationem tuam ad divinam voluntatem convertas, ad quam cum te conformaveris, certissimam inde tuo tam gravi vulneri medicinam senties. Præterea Deum O. M. precamur, ut sua te tuamque inclitam Domum benignitate respiciat, utque eo propitio ægritudinem hanc omnis porro veri boni solidæque felicitatis cumulus consequatur. Quæ nostra de te vota confirmamus apostolica benedictione, quam uberiori paternæ nostræ caritatis argumento Nobilitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc.* 15 *februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXVI.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 februarii 1772.

Dilectissima, etc. Nullum magis consentaneum eximiæ nostræ paternæ erga te caritati munus esse potuit, quam quod tuo nomine

Nobis reddidit dilectus filius noster Franciscus Joachimus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Bernis. Ab illo luculentum sane habebis testimonium, quo id exceperimus animo, quoque gaudio fuerimus elati, dilectissima in Christo filia nostra, cum te ipsam, cujus præsentes semper gerebamus infixasque mente cumulatissimas omni laude virtutes, quodammodo coram intueremur, ac oculis subjiceremus expressos suis coloribus vultus veram pietatis, religionis, sanctitatis formam referentes. Etsi eundem, quemadmodum illi summo studio mandavimus, etiam nostras in reddenda gratia partes diligenter acturum non dubitemus, deesse tamen Nobis ipsi non possumus quin gratissimos tibi nostri animi sensus his literis tibi declaremus, ut ex hoc ipso officio, quanto apud nostrum hoc munus in præsentia sit, intelligas. Illud itaque tibi maxime persuasum esse cupimus, dilectissima in Christo filia nostra, id esse semperque futurum Nobis conspicuum egregiæ tuæ in Nos ac Apostolicam hanc Sedem devotionis monumentum. Idem etiam Nobis est jucundissimum propterea quod præsefert manifestam cujusdam intimæ ac vultu etiam, atque ipsis oculis emicantis tranquillitatis animi ac hilaritatis significationem. Ex quo nimirum Nos facile et tuam in vocatione constantiam, et uberem cælestis in te gratiæ largitatem agnoscimus. Quod patere omnium etiam oculis voluimus, atque idcirco plura imaginis tuæ pingi exempla jussimus, ut ceteris ad tantæ virtutis celebritatem ac imitationem proposita esse possint. Illam præterea ad veritatem expressam tui orantis, deumque sponsum alloquentis speciem cum videmus, plurimum nostra in spe confirmamur fore ut pro tua in Nos pietate certissima inde sint Nobis, Ecclesiæ ac carissimo in Christo filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo amantissimo parenti tuo divinæ opis præsidia adfutura. Debes id singulari nostræ caritati, qua te prosequimur, quaque tibi nova Nos semper ac uberiora cælestis spiritus dona cupimus ac precamur. Ac eorumdem auspicem apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, unaque carmelitis istius monasterii virginibus tuis in Christo sororibus amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 26 *februarii* 1771, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXVII.

VENERABILI FRATRI

WILHELMO ANTONIO EPISCOPO PADERBORNENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 februarii 1772.

Venerabilis, etc. In literis tuis ad nos die XII januarii datis magnopere Nobiscum agis de causa Harservinkeliana, ad quam te, Venerabilis Frater, summum tuæque pastorali solicitudini consentaneum instituendi in ista Diœcesi Seminarii studium induxit, incredibile sane est, quanto nos flagremus desiderio, ut par optatis ac meritis tuis respondeat exitus, atque ex nostra tuaque sententia ea omnis controversia decidatur. Sed dum id cupimus, Venerabilis Frater, nihil agere debemus, quo detractum per Nos quidquam esse de alieno jure videatur. Agi jam ea cœpta est, ut nosti, causa in hac nostra congregatione Tridentini Concilii interprete, de cujus judicii æquitate ac sapientia certi plane sumus, neque quidquam ab ea non diligentissime cognitum, expensum atque actum iri dubitamus. Videt illa ac vehementer commendat tua pro diœcesi studia, quantum nos etiam tua causa laboremus, perspicit; ut proinde, si quid ipsi cavendum in hoc judicio erit, cavere maxime debeat, nequid ex animi erga te inclinatione pronunciet. Illud sane Nos, quantum in Nobis est, jam mandavimus, ut quam poterit expeditissime ad exitum causa perducatur; quod eo citius fiet, quo partes erunt ad sua deferenda jura promptiores. Vides jam, Venerabilis Frater, ad eam voluntatem, qua erga te sumus, nihil accedere posse, nisi opportunitatem, qua eandem tibi reipsa declaremus, unde profecto facile intelligeres, haud quidquam interesse tua posse, cujus Nos plurimam a Nobis habendam esse rationem non ducamus. Ac in pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo peramanter impertimnr. *Datum Romæ, etc., die* 26 *februarii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXVIII.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ
MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ
NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,
IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,
CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 martii 1772.

Carissima, etc. Se la Maestà Vostra potesse conoscere in quali angustie di spirito ci abbia posti, e ci tenga l'incessante desiderio che abbiamo di poter convenientemente contribuire alle rispettabili sue premure sull' età delle professioni religiose, siamo sicuri, che il suo cuore ne sarebbe sommamente sensibile. Chiamiamo il grande Iddio in testimonio, se cosa alcuna umana ha parte in questo interno nostro conflitto e se soltanto l'onore, e la gloria sua, e l'eterna salvezza di Noi, della Maestà Vostra e de' suoi sudditi ci hanno trattenuti dall' aderire a suoi desiderj, come' siamo e saremo soliti di fare costantemente in avvenire. Vediamo da una parte quanto gran bene possa sperare la Chiesa da' una Sovrana si potente e si pia, che' resti contenta di Noi, ma anche dall' altra parte non possiamo non vedere i mali, e i pericoli delle proposte innovazioni, e Noi come Vicario di Gesù Cristo ci renderemmo indegni di questo carattere, e colpevoli anche verso la Maestà Vostra se dissimulassimo, che dopo ogni più maturo esame troviamo il nostro giudizio non corrispondente a quelle aspettative nelle quali l'è sembrato di poter entrare, e se le nascondessimo quei lumi che Iddio ha promessi al glorioso apostolo S. Pietro, e a suoi successori, e che non abbiamo in questa congiuntura ommesso di spesso e fervorosamente implorare, e questi appunto cagionano all' animo nostro trepidazione e timore.

Vorremmo pertanto metterne a parte la Maestà Vostra e se potessimo farlo a voce, *et os ad os loqui,* ci lusingheremmo di farlo con successo. Ma giacche troppo diffusa cosa, e a l'ei incomoda sarebbe il farlo in scritto, ci riserbiamo piuttosto, se così piacerà alla Maestà Vostra di comunicarli all' Arcivescovo di Berito, che dovendo in breve staccarsi dal nostro fianco, e passando per codesta corte procurarsi l'onore di ossequiare in nome nostro la nostra carissima figlia, potrà con minore di Lei molestia rappresentarglieli a voce. Sentirà allora dal medesimo, che se Vostra Maestà si contentasse di cominciare il recesso dall' età conciliare da una prima, discreta e temporanea prova, potremmo in tal guisa meglio sottrarci l'un l' altro da ogni

rimorso di coscienza, e instruirci sulla utilità o danno che sia per risultarne alla Chiesa, per così abilitarci, o a continovare nelle prime misure che si prendessero, o anche a vieppiù ampliarle.

A concertarne la modalità verra da noi munito di corrispondenti instruzioni l'Arcivescovo medesimo. Supplichiamo intanto la Maestà Vostra per le viscere di Gesù Cristo, la di cui causa si tratta, a degnarsi di gradire le nostre salutari misure, e precauzioni, piuttosto che reputarle superflue e inopportune agli appresi bisogni. Appoggiati alla religiosa circospezione dell' Apostolica Maestà Vostra confidiamo di non comparirle per questo, o indiscreti, o troppo zelanti, o poco curanti delle rispettosissime sue Regie premure, giacchè per la Dio grazia, ne lo siamo stati, ne lo saremo giammai. *Datum Romæ, etc., die* 4 *martii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CLXXXIX.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

DUCI DE AGUILLON,

SECRETARIO STATUS REGIS CHRISTIANISSIMI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 martii 1772.

Dilecte, etc. Attulit ad Nos dilectus filius noster Franciscus Joachimus S. R. E. Presbyter Cardinalis de Bernis aurea numismata carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum Regis christianissimi ab ipso Nobis dono transmissa, eaque dum redderet, regium in Nos animum suo more accuratissime uberrimeque declaravit. Delectati mirum in modum sumus tanta illius in Nos amoris confirmatione, ac summo in pretio habendum munus multo Nobis etiam jucundius accidit, quod expressos referret amantissimi filii plenos regiæ dignitatis vultus, quodque facta ejusdem omnia ex animi fortitudine, magnificentia, religione profecta ejusque inde gloriæ amplitudinem, regnique utilitatem ac decus repræsentaret. Diu sane multumque eo spectaculo oculos oblectavimus, ac paternum animum nostrum in recensendis filii laudibus incredibili cum voluptate detinuimus. Hujus nostri gaudii eundem, qui adfuit Cardinalem luculentissimum testem advocamus minimeque ambigimus, quin idem sit isthuc ad vos gratissimos animi nostri erga Regiam Majestatem sensus, quemadmodum ab eo postulavimus, summa fide ac diligentia perscripturus. Sed tanto ad referendam gratiam inflammati studio sumus, ut tuam etiam idcirco, delecte fili nobilis vir, adhibere velimus operam, nos-

trasque tibi tanti officii partes imponere. Optime profecto novimus qua ipse in Nos ac Apostolicam hanc Sedem voluntate sis, quaque apud christianissimum regem gratia merito floreas. Itaque et te libenter nostras acturum vices, et ei facile persuasurum putamus, nostrum erga ipsum animum magis quam sit, gratum esse non posse, neque acceptius ullum esse Nobis munus, quam quod tam præclarum ac illustre præseferat ipsius Regis in Nos munificentiæ, pietatis, amoris monumentum. Id dabimus sane operam, ut perpetuum ac perenne esse possit, eaque proinde numismata in nostro Vaticano Pontificio Museo custodienda collocabimus quod etsi ornare ac amplificare exquisitissimis quibusque rebus colligendis satagamus, inde tamen maximam pretii et dignitatis partem accessuram agnoscimus. Cum eas quas poteris cumulatissimas, dilecte fili nobilis vir, nostro nomine christianissimo Regi gratias persolveris, vehementer cupimus, ut easdem, quas debemus, tibi etiam per Nos reddi plurimas existimes, pro tua opera, quam in regia hac largitate eximiam extitisse scimus. Hoc nostro erga te pleno caritatis ac existimationis officio illam etiam potissimum comprehendimus præclarissimam tuarum laudum partem, qua in amplissimo, quo fungeris, munere benemereri de religione et de Ecclesia studes. Quapropter quo testatior etiam tibi paterna, qua te singulariter complectimur, voluntas sit, apostolicam benedictionem Nobilitati tuæ intimo nostri cordis sensu peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 4 *martii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXC.

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO JOACHIMO

TITULI S. SILVESTRI IN CAPITE PRESBYTERO,

S. R. E. CARDINALI DE BERNIS, ARCHIEPISCOPO ALBIGENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 Martii 1772.

Dilecte, etc. Altissime inhærent, nostroque assidue obversantur animo insignia, omnique laude cumulatissima merita, quæ in Nos ac Apostolicam hanc Sedem et antea contulisti, dilecte fili noster, et in dies conferre uberiora pergis, et in posterum etiam pro excellenti consiliorum factorumque tuorum ratione collaturum te esse amplissima confidimus. Jam pridem sane Nobis erat optime perspectum eam esse virtutem ac sapientiam tuam, eam rerum publice a te ges-

tarum præstantiam, ut immortalem nominis gloriam apud omnes esses consecutus. Verum quæ summa eximiaque opera pro Nobis, atque Ecclesia moliris, ac peragis, ejusmodi sunt, ut etsi te antea pro singularibus tuis laudibus plurimi faceremus, tamen nunc mirifico quodam benevolentiæ atque amoris erga te studio inflammemur. Incredibile est, quantopere velimus, dilecte fili noster, amplum atque illustrem dari Nobis locum, quo hosce luculentissimos animi de te sensus egregio quodam ac publico testimonio confirmemus, ut perspicere omnes possint, quantum tibi, tuis meritis virtutique deferamus. Sed diem idoneum huic cupiditati nostræ satisfaciendi tempus expectamus, interim ut exiguam aliquam voluntatis tibi nostræ significationem demus, non injucundum tibi fore arbitramur volumen hoc Pontificiarum literarum seu monumentorum ad Albigensem ecclesiam tuam spectantium. Eadem nostro jussu ex Pontificiis Archivis accuratissime collegit vir omni eruditione instructissimus Venerabilis Frater Josephus Archiepiscopus Beryti, unaque conjunxit omnia, quæ vel antiquitate ipsa vel rerum gravitate commendantur, quæque historiam ecclesiæ ac diœcesis Albigensis illustrare plurimum possint, ac supplere ea, quæ et in Tomo primo novorum Editorum Galliæ christianæ, et in Historia Occitaniæ a D. Vaissette gallice perscripta desiderantur. Optime novimus, quo amore Albigensem ecclesiam tuam conplectaris, quantumque illa præsidii ac dignitatis ex pastorali tua sollicitudine, prudentia, doctrina, animique et moderatione et magnitudine referat. Proinde minime dubitamus, quin gratum tibi vehementer futurum sit ut a Nobis etiam, tui ipsius gratia, nonnulla decoris in illam, ac splendoris fiat accessio. Habe itaque hoc a Nobis munus atque amoris nostri pignus, dilecte fili noster, quod cupimus non tam a te æstimari ex re ipsa, quam ex animo nostro, qui luculentior erga te et gratior atque ad te omnibus, quæ a Nobis proficisci possunt, ornamentis cumulandum inclinatior, quam sit esse non potest. Ac illud etiam tibi persuadeas, hoc qualecumque sit, indicio libentissime Nos palam velle facere, quantum tibi debeamus, quantumque etiam confidamus fore, ut pro egregio tuo in Nos ac in hanc Sanctam Sedem studio simus adhuc magis in posterum debituri. Demum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, intimo paterni cordis sensu peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 16 *martii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCI.

DILECTIS FILIIS

CONGREGATIONIS NUNCUPATÆ REGII CLERI NEAPOLITANI,

SUB TITULO ET INVOCATIONE SPIRITUS SANCTI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 martii 1772.

Dilecti, etc. Petitis a Nobis, dilecti filii, pro vestra in Nos et Apostolicam hanc Sedem devotione atque observantia ut nomen nostrum in tabulis societatis vestræ consignari describique, Nosque vestros socios et collegas nuncupari, quemadmodum cum aliis quibusdam societatibus fecimus, dignaremur. Læto sane libentique animo annuimus pio hujusmodi, ac in Nos studioso postulato vestro, atque in Domino fore speramus, ut qui laboribus, quos ad divinum cultum augendum, animarumque salutem procurandam impenditis, præsto esse, ac præsentem operam nostram adjungere non possumus vestrarum saltem obsecrationum subsidio in suprema Catholicæ Ecclesiæ procuratione fideliter obeunda sublevemur. Vehementer sane gaudebimus, si hæc mutua nostra vobiscum animorum ad pietatem conjunctio studia istius societatis quæ ad spirituales exercitationes sacrasque missiones peragendas multa cum laude confertis, adhuc magis in vobis excitet ac inflammet. Divinusque Spiritus, sub cujus nomine congregati estis, vos in ea semper, quæ ad Dei gloriæ incrementum pertinent, suo afflatu dirigat, atque impellat. Nos certe propensum antea in Vos tamquam dilectos filios animum nostrum multo nunc propensiorem gerimus ac ipsa communis Collegii ratio plurimam facit ad Pontificiam benevolentiam accessionem. Ejusdem fructus pro opportunitate vobis præsto futuros pollicemur, ac in luculentius nostræ voluntatis pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, cum uberi cælestium charismatum copia conjunctam peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *martii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCII.

VENERABILI FRATRI

HIERONYMO EPISCOPO GURGENSI,

ELECTO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 martii 1772.

Venerabilis, etc. Gratissimum Nobis attulerunt litteræ tuæ nuncium,

Venerabilis Frater, te scilicet a consentientibus istius ecclesiæ metropolitanæ collegis die XIV mensis hujus archiepiscopum Salisburgensem electum esse. Nos sane et illius viduitatem tam bene depositam et in justissimum gaudium commutatam fuisse et agnoscimus et magnopere gaudemus. Perspecti Nobis sunt pastorales animi tui sensus tuaque in religionem, atque in Dei gloriam, studia, quibus jam pridem et in Gurgensi ecclesia regenda exercitus, qui gratus quidem fuisse Deo volente videtur, ut paratior inde, atque instructior ad novam hanc summa virtute ac sapientiam sustinendam dignitatem accederes. Vehementer nostram hanc lætitiam auget, quod jucundissimum hunc scimus fore honorem tuum carissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Theresiæ Hungaricæ Reginæ Apostolicæ, nec non Bohemiæ reginæ illustri in Romanorum Imperatricem electæ viduæ, et carissimo item in Christo filio nostro Josepho in Romanorum Imperatorem electo, quorum et plurima flores gratia et certissima tibi semper sunt extitura præsidia. Dilecti etiam filii nobiles viri parentis tui ut enixæ antea in te pietati valde propensi fuimus, ita nunc uberior nostræ jucunditatis causa ex illius lætitiæ cogitatione promanat. Quem enim plurimi facimus, ac ob suorum meritorum amplitudinem diligimus, ejusdem studiis omnibus majorem in modum permovemur. Vides, Venerabilis Frater, ex hujusmodi de te gaudio nostro tantis auctoribus confirmato, quæ nunc existat tuæ proferendæ in tam amplo spatio virtutis expectatio. Hanc ipsam ut vincas, atque auctiorem, in dies efficias lætitiam de te nostram, id vero a te etiam atque etiam petimus, ac ad summæ gratulationis officia summam hanc hortationem adjungimus, ad quam Nos et pontificium munus, et singularis tui caritas potissimum inducit. De qua illud tibi persuaderi cupimus numquam fore, ut pro tuis meritis, ac in Nos atque Apostolicam hanc Sedem devotione ac observantia, fructus pro opportunitate desideraturus sis amplissimos. Ac in hujus paternæ voluntatis pignus, et in tanti suscipiendi muneris auspicium apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 28 *martii* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCIII.

DILECTO FILIO

HANNIBALI EX ABBATIBUS OLIVIERIIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 aprilis 1772.

Dilecte, etc. Jam diu Nobis perspecta est atque cognita singularis

tua virtus et multiplex ac varia antiquitatis doctrina, et jam antea luculentum, ac præstans hujusmodi nostrum de te judicium literis nostris testatum tibi fecimus. Verum liber tuus, quem ad Nos nuper misisti eo Nobis gratior fuit atque acceptior, quod eruditionem tuam cum pietatis studiis conjungere te vidimus et novam patriæ tuæ gloriam ex virtute ac meritis suorum civium quærere. Eidem enim vindicatis ac restitutis beata Michelina et beato Cecco egregium splendorem asseruisti, et quam antea illustrandis tot antiquitatis monumentis ornaveras, illustriorem hac sanctitatis luce reddidisti. Delectati itaque magnopere sumus hoc industriæ tuæ fructu, qui cum tibi, tuæque patriæ novum decus afferat, magno etiam incitamento esse potest ceteris ad similem sibi laudem ex sacrarum etiam rerum antiquitate ac doctrina comparandam. Munus hoc tuum ad Nos deferentem per benigne excepimus dilectum filium Comitem Paulum Machirellum sororis tuæ filium et commendationis tuæ, et sua ipsius causa, quippe cui pridem etiam propensionis in eum nostræ significationem aliquam dedimus. Sed cum idem et cognatione proprius te attingat, et a te filii ut scribis, loco habeatur, eo potissimum nomine Nobis erit commendatissimus. Speramus enim ingenio item, ac morum præstantia a te non alienum, atque in te laudesque tuas intuentem simillimum tibi futurum. Qua quidem te nullam præclariorem, nec ad pontificiam tuendam augendamque benevolentiam expeditiorem inire rationem poterit. Tu interim de literis, de patria tua, atque adeo de Nobis ipsis benemereri perge. Ac in luculentius paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 4 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCIV.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Dilectissima, etc. Ex litteris tuis ad Nos die XVII martii datis novas percepimus jucunditatis causas, cum qua de paterna nostra summa in te caritate fiducia esses, perspicue videremus. Gratissimum enim Nobis est, quod jam pridem tibi declaravimus, opportunitates quasque Nobis a te dari, quibus singularem, ac egregiam pontificii tibi animi pietatem magis in dies confirmemus. Cum vero nunc in eo, quod postulas, eximium religionis studium præ te feras, cum tua omnis pro

Carmelitano Ordine, cujus institutum profiteris, in pristinam sanctitatis laudem restituendo, divinaque proinde in eo amplificanda gloria sit contentio, tantum abest, dilectissima in Christo filia nostra, ut quidquam obstare, quin tibi gratificemur, possit ut etiam ad obsequendum ejusmodi optatis tuis incredibili quadam animi alacritate incendamur. Eo itaque animo quem tu ipsa tibi de Nobis jure pollicita es, excepimus ac prosecuti sumus desideria tua ut nihil interponendum moræ duceremus, quin eadem apostolica auctoritate rata essent; quemadmodum ex conjunctis nostris in forma Brevis litteris intelliges. Eædem, quod a Nobis etiam magnopere flagitasti, curavimus, ut quam citissime expedirentur, atque isthuc possent idoneo ad agendam perficiendamque rem tempore pervenire. Nunc Deum O. M. vehementer precamur ac obsecramus ut operam hanc nostram sua ipse benignitate secundet ac provehat. Teque præclara sanctissimæ matris tuæ exempla renovantem cælesti præsidio muniat ac sustentet, atque hanc etiam gloriæ accessionem faciat florentissimo regno carissimi in Christo filii nostri Ludovici Francorum regis, christianissimi parentis tui, qui, qua est in Deum religione, atque in te pietate, sua tecum conjunxit studia, Nobisque per dilectum filium nostrum Franciscum Joachimum S. R. E. presbyterum Cardinalem de Bernis postulata illa tua accuratissime commendavit. Regiæ illius voluntati libentissime morem gerimus, tantumque sapientissimis hisce consiliis ejus atque officiis tribuimus, quantum meritis tuis tuæ laudi tuæ virtuti favemus. Quod quidem eo cumulatius facimus, quo in tuis ad Deum precibus ampliora Nobis, Ecclesiæ, ac ipsi amantissimo parenti tuo adjumenta extitura confidimus. Ac in uberius singularis in te pontificii animi pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Carissime, etc. Venerabilem Fratrem Josephum archiepiscopum Beryti, cujus egregia opera Nos usi sumus, quique singularibus animi virtutibus, candore, religione, doctrina, ac prudentia et ornatissimus est, et Nobis commendatissimus, cum difficillimis hisce temporibus

peropportunum fore judicaverimus qui isthic Venerabili itidem Fratri Angelo Mariæ archiepiscopo Ancyrano succederet, ac ordinarii nostri et Apostolicæ Sedis nuncii apud Majestatem Tuam munus ageret, etsi ægre, divelli tamen a Nobis patimur, atque ad te ita mittimus, carissime in Christo fili noster, ut minime dubitemus, quin pro eximia tua erga Nos pietate atque in hanc Sanctam Sedem devotione, eumdem regia tua, qua soles, humanitate sis excepturus. Quod cum nostra causa ut vehementer a te petimus, cumulatissime feceris, gaudebis sane id in eum præstitisse te virum, in quo præter spectatissimam generis nobilitatem, ac excellentis animi, ingeniique laudes eximia etiam emineat tui observantia, studium, existimatio. Nostri de te paternæ luculentissimæ caritatis sensus præclare illi cogniti omnes ac perspecti sunt, quos cum ad te deferet, et cum tibi summa Nos omnia cupere, a Deoque precari significabit, præcipue vero ut ex Catholicæ religionis tutela gloriam, ac ex pacato regno felicitatem ac decus consequaris, cumque ceteras omnes a Nobis commissas deinceps obibit pertractabitque apud te apostoli Nuncii partes, ipsi tam cumulatam habebis, quam si Nos coram loqueremur, fidem. Quæ dum omnia peraget, facile tibi magis magisque in dies confirmabit, quam cordi Nobis sit, ut incolumes, ac ut ante florentes et Catholicæ religionis et Majestatis Tuæ una, et istius inclitæ nationis res tandem, Deo juvante, consistant. Quod tua opera, tua auctoritate, tua virtute perfici maxime optamus, ac in cælestis gratiæ auspicium, nostræque caritatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CXCVI.

VENERABILI FRATRI

GABRIELI ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Venerabilis, etc. Quem mittimus isthuc Venerabilem Fratrem Josephum archiepiscopum Beryti, ut apud carissimum in Christo filium nostrum Augustum Stanislaum Poloniæ Regem Illustrem, et inclitam vestram Rempublicam nostri et Apostolicæ Sedis Ordinarii Nuncii munus gerat, eidem a te petimus, ut cumulatam in omnibus præstes fidem, quod quidem perlibenter facies, ea enim ipsi mandata Nos dedimus, quæ ad Dei procurandam gloriam remque Catholicæ religionis

tuendam maxime spectant; cui quam vim ac rationem inesse intelligamus, facile potes et ex Encyclica nostra jam pridem ad episcopos data, et ex ipso hoc nuncio non tam cognoscere, cum id tibi perspectum esse debeat, quam magis magisque confirmari. Quod tibi, Venerabilis Frater, pro tuo et in Ecclesia, et in ista inclita Republica munere et dignitate gratum esse debet, tuaque omnia studia ad operam illuc tuam præcipue conferendam inflammare. Ille porro ejusmodi vir est, cui ad generis nobilitatem maximum decus ex omnigena doctrina ac virtute adjungitur, quemque Nos propterea suo merito semper dileximus. Demum in singularis nostræ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

Eodem Exemplo; Archiepiscopo Leopoliensi; Episcopo Chioviensi; Episcopo Cracoviensi.

CXCVII.

VENERABILI FRATRI

FELICIANO ARCHIEPISCOPO KIOVIENSI,

HALICIENSI ET PLOCENSI TOTIUS RUSSIÆ PRIMATI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Venerabilis, etc. Ad carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ Regem Illustrem, ac ad vestram inclitam rempublicam mittimus Venerabilem Fratrem Josephum archiepiscopum Beryti, qui ordinarii nostri, et Apostolicæ Sedis nuncii munus isthic obeat. Maxima in eo, prater generis splendorem, virtutum ornamenta sunt, ac ad singularem doctrinam et prudentiam mirificum pietatis ac religionis studium adjungitur. Minime igitur ambigere possumus, quin hac præcipue de causa commendatissimus idem tibi sit, qui pro episcopali officio omnes actiones tuas ad divinam gloriam, ad catholicam scilicet fidem hoc tempore potissimum conferre debeas; cujus, quæ, qualesque rationes sint, et Nos in nostra Epistola Encyclica jam pridem declaravimus, et noster hic nuncius idem, ut putamus, tibi nobiscum sentienti nostro nomine confirmabit. Itaque et confidimus fore et majorem in modum etiam a te petimus, ut tuam opem, atque operam ipsi, quotiescumque res feret paratissimam esse velis, peragentemque mandata nostra diligenter adjuves, quæ illuc unice spectant, ut incolumi religione pristinus in inclitam

nationem vestram tranquillitatis ac pacis status referatur. Illi igitur parem ac Nobis ipsis adhibebis fidem, quæque præterea de eximia nostra in te caritate deferet, apostolica nos confirmamus benedictione, quam intimo nostri cordis sensu Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

Eodem Exemplo; Episcopis Luceoriensi; Culmensi; Samogitiensi; Camenecensi; Vilnensi; Kelmensi; Plocensi; Livoniensi; Smolescensi; Premisliensi.

CXCVIII.

VENERABILI FRATRI

THEODORO EPISCOPO POSNANIENSI,

SUPREMO REGNI POLONIÆ CANCELLARIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Venerabilis, etc. Quantum Nobis res vestræ publicæ cordi sint, intelliget Fraternitas tua ex Venerabili Fratre Josepho Archiepiscopo Beryti, quem isthuc ad gerendum apud carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ Regem illustrem et inclitam Rempublicam vestram nostri et Apostolicæ Sedis Ordinarii Nuncii munus mittimus. Eidem propterea fidem a te in omnibus præstari cupimus, ac si Nos ipsos coram loquentes audires. Illa vero ipse præcipue agit, quæ a Nobis diligentissime mandata sunt, ut quæ ad istam inclitam Rempublicam in pristino Catholicæ religionis statu retinendam confirmandamque pertinent, ea omnia summa ope, studio, prudentia, dexteritate curentur. Certi plane sumus ipsum hæc ex nostra sententia, quam jam pridem in Encyclica ad episcopos data declaravimus, istiusque proinde sacro regis, Regni ac Reipublicæ, jure atque utilitate gesturum cum doctrina, pietate, animi candore, rerum usu, consiliique vi sit instructissimus. Tanta igitur ad generis splendorem virtutis adjungentem decora, proque istius Ecclesiæ rationibus laborantem, quin adjuturus ipse sis, Venerabilis Frater, etsi minime dubitemus, pro nostro tamen munere hortamur, ut nunc maxime tantum quantum ab episcopali dignitate requiritur, tua animi fortitudine constantiaque pro Dei gloria, pro fidei integritate, pro universo Nationis bono contendas. Et apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ in egregiæ pontificiæ voluntatis pignus peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

Eodem Exemplo: Episcopis Varmiensi; Cujaviensi; Episcopis quinque in Albo.

CXCIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Carissime, etc. Mittimus in Poloniam Venerabilem Fratrem Josephum Archiepiscopum Beryti ut ibidem Nostri et Apostolicæ Sedis Ordinarii Nuncii munus obeat. Ipsi præcipue accurateque mandavimus ut statim, cum isthic erit, Cæsaream Majestatem Tuam adeat, tibique salutem et felicitatem cum apostolica benedictione nostris verbis impertiat. Dum id peraget, una etiam, quæ nostra sit, quam singularis quam eximia quam omni laude ac existimatione cumulata in te caritas, declarare disertissime quidem contendet, sed assequi profecto minime poterit, nisi tu ipse tua præcurras fide, omnique significatione majores esse nostros paternæ pietatis in te sensus tibi persuadeas. Quod ut præstes, te vehementer rogamus, a teque idcirco majorem in modum petimus, illud existimes, nihil scilicet posse Nobis unquam esse gratius, quam ut id tibi reipsa, ac præstanti aliquo officiorum genere confirmare valeamus. Alterum porro, quod tecum nostro nomine diligenter aget idem Venerabilis Frater, ejusmodi est, ut facile intelligas id ex excellenti nostra tuarum virtutum ac præsertim magnitudinis animi et religionis opinione proficisci. Pro ipsa enim Polona Ecclesia, proque Catholica ibidem fide, cujus quam afflictæ nunc res sint quantoque in discrimine versentur, ipse optime nosti, tuam expetet opem, tua præsidia implorabit. De hoc antea tecum per literas egerat sa. me. Clemens XIII Prædecessor noster, a tuaque pietate plurimam levandæ hujusmodi curæ tuæ spem reportarat. Cum in Nos nunc ea gravissima reciderit sollicitudo, non minorem etiam ponendam statuimus in tua virtute, in tua auctorite fiduciam. Quas itaque pontificias pro Dei causa ad te idem, Venerabilis Frater, defere et preces, etiam atque etiam te obsecramus, carissime in Christo fili noster, id apud te habere pondus velis, quod tuæ dignitati tuoque muneri convenit. Nam in summo, quo constitutus es, Imperii gradu, illud præ cæteris quod amplissimum suscepisti primi Ecclesiæ Defensoris nomen, sustinere maxime ac tueri debes, omnemque illuc potentiæ tuæ, si opus erit, vim intendere, ut tanto nomini consilia, actionesque tuæ consentiant. Proinde immortalibus ceteris, quibus enitescis, laudibus illam esse tibi anteferendam gloriam puta quæ ex tuo erga Catholicam religionem studio in te redundabit, quantoque per Christianum orbem

idem fuerit diffusius, tanto eam esse ampliorem, et cumulatiorem futuram. Sæd hæc uberius tibi nostro nomine ille idem Venerabilis Frater, quemadmodum ipsi mandavimus, declarabit, atque idcirco a te magnopere petimus, ut eundem benigne humaniterque excipias; quod cum feceris facile cognosces, qui suus sit in Majestatem Tuam omnemque Augustam Domum cultus atque observantia, quamque merito ipsi clementiam tuam præstiteris. Ille præterea generis sui splendorem insignibus singularis virtutibus ac doctrinæ ornamentis illustrat atque auget; quod cum jampridem perspexissent, perhonorifico ipsum prosecuti semper judicio sunt prædecessores nostri Benedictus XIV et Clemens XIII. Nosque porro plurima benevolentia complexi, ejusque experti virtutem, industriam, ac fidem minime dubitavimus, quin eidem difficillimo hoc tempore gravissimum munus committeremus, quo magis tibi, et nostra scilicet, et sua causa gratus idem atque acceptus ita esse debet, ut omnem illi et habere fidem tamquam Nobis ipsis coram loquentibus velis et fidenter etiam digneris expromere, quidquid in animo habere atque optare possis ut a Nobis tibi per apostolicum, quod gerimus, ministerium præstetur. Ac in summæ et singularis erga te caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CC.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ, HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 aprilis 1772.

Carissima, etc. Reddet has nostras Apostolicæ Majestati Tuæ literas, Venerabilis Frater, Josephus archiepiscopus Beryti, quem Ordinarii nostri et Sanctæ Sedis nuncii munus obiturum in Poloniam mittimus. Vehementer a te petimus, carissima in Christo filia nostra, ut eundem te adeuntem regia qua soles, humanitate excipias, nostrique causa commendatissimum habere eum velis, in quem cum præclara extitissent prædecessorum nostrorum Benedicti XIV et Clementis XIII paternæ benevolentiæ, studia nostra etiam luculentissima esse debent ob ejusdem singulares, quas cum generis nobilitate conjunxit, omnigenæ doctrinæ, virtutis, sapientiæ; ac in Apostolicam hanc Sedem me-

ritorum laudes, ad quas illud etiam addi decus agnoscimus, tuque ipsa facile intelliges, quod te tuamque Augustam Domum summa observantia, cultu suique animi veneratione prosequatur. Duo præcipua ille in mandatis a Nobis habet, quæ ad te accurate nostro nomine deferat. Primum nostra tibi eximiæ in te paternæ caritatis studia, ac officia omnia testabitur, quæ optime ipse novit, quam alte Nobis impressa, atque insita sint, quamque in votis semper habeamus, ut reipsa exhibere tibi nostrum hunc erga Majestatem Tuam animum, et egregia aliqua significatione comprobare possimus. Ipsi igitur te majorem in modum obsecramus ut plenam adhibere velis fidem in iis omnibus, quæ tecum nostro nomine acturus est, eidemque digneris animum aperire tuum ac palam facere, quæcumque a Nobis in Majestatis Tuæ gratiam fieri posse, vel ab Apostolici ministerii nostri auctoritate opus tibi esse judicaveris. Cum itaque id ipse tibi de Nobis quod cupimus, abunde pro suo munere persuaserit, tum nostras Majestati Tuæ depromet ac explicabit de præsenti Ecclesiæ ac religionis in Polonia statu curas et molestias a teque eam implorabit nostris verbis opem, quam hujusmodi in illo regno turbatæ afflictæque res maxime hoc tempore videntur exposcere. Recordari facile potes, carissima in Christo filia nostra, quantum idcirco laboraret pastoralis ille Clementis XIII prædecessoris nostri animus qui ad te literas dederat plenas et solicitudinis, et plurimæ de tuo in religionem studio cum regii animi magnitudine conjuncto fiduciæ. Eodem Nos æque, ut debemus, illorum Catholicæ fidei discriminum percellimur sensu eademque pietatis ac magnanimitatis tuæ spe, quam tum etiam tuis litteris confirmaras, ea a te petimus pro tuenda Ecclesia præsidia, quæ opportuniora esse atque efficaciora tibi pro tua sapientia videbuntur. Minime dubitamus, quin de pontificiis his precibus eam habeas rationem, quam rei gravitas tuaque a te dignitas postulat, ac si necesse fuerit, regiam etiam, quam a Deo accepisti, potentiam pro Dei causa adhibeas, eaque consilia actionesque suscipias, quæ immortalem tuam reddant in Ecclesiæ fastis gloriam semperque magis Apostolicæ Reginæ, quod geris nomen illustrent, cum religionem non minus in exteris ditionibus quam in tuis fulcias ac tuearis. Sed hæc Nos breviter hisce litteris pertingimus, quæ luculentius tecum coram idem Venerabilis Frater nostro nomine pertractabit. Demum quam ipse tibi a Nobis apostolicam benedictionem deferet, eandem Nos ut divinorum munerum auspicem, nostræque eximiæ caritatis pignus intimo paterni cordis sensu Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* [illegible] *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CCI.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ SAXONIÆ ELECTRICI VIDUÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 aprilis 1772.

Dilectissima, etc. Gratissimus Nobis est adventus in Italiam, atque ad Nos tuus eo maxime consilio susceptus, ut in hac potissimum religionis arce sanctorum apostolorum Petri et Pauli sanguine consecrata loca, aliaque sanctitatis monumenta pro eximia tui animi devotione præsens cognosceres. Quæ dum invisis ac lustras, ea pietatis exempla omnium oculis exhibes, ut mirum in modum pristina nostra de virtutibus, ac regiis laudibus tuis roborata sit, atque etiam aucta existimatio. Jam diu enim diffusus ubique tuorum meritorum splendor ad Nos pervenerat, famaque ipsa Nobis afferebat, quæ tua consilii, ac sapientiæ vis esset, et præter egregia litterarum ornamenta, quas et optime nosti, et patrocinio dignaris tuo, quantum præsertim religioni, pietatique studii, et quantum Nobis, atque Apostolicæ huic Sedi devotionis, ac observantiæ deferres. Ex quo antecepto de te judicio nostro, tuarumque virtutum præsentia confirmato intelligere facile potes, dilectissima in Christo filia nostra, qua te nunc ad Nos advenientem excipiamus voluntate, quamque omnia, quæcumque proficisci a Nobis possunt, paternæ singularis caritatis officia exhibere tibi, et cumulare cupiamus. Id profecto nullo potiori, tibique jucundiori indicio comprobare possumus, quam quod ab ipsa religione petitum sit, unde sane maximum queat huic animi nostri significationi pondus adjungi. Habe itaque a Nobis sacrum hoc aureæ Christi crucifixi imaginis munusculum, quod ut alacriore excipias animo, multo idem pretiosius apostolica nostra benedictione reddere voluimus. Atque ut ipsum adhuc tibi gratius accidat, ac ad pietatis usum acceptius, apertis commissis Nobis Ecclesiæ thesauris, quotiescumque confessa ac sacra communione refecta, Deumque coram hac ipsa crucifixi effigie rite deprecata fueris, toties ut plenariam peccatorum indulgentiam lucrari possis, apostolica auctoritate concedimus ac impertimur. Hoc religiosæ erga te largitatis genus ultro delegimus, dilectissima in Christo filia nostra, tua singulari pietatis laude permoti, eamque non solum utilem tibi, sed Nobis etiam fructuosam fore confidimus, cum in precationibus ad Deum tuis, quibus sanctæ Ecclesiæ rationes ipsi commendaveris, nostri etiam, quibus ejusdem regendæ gravissimum impositum est munus, quippe pro imbecillitate

nostra divina ope maxime indigemus, nunquam immemor futura sis. Cum igitur magnopere Nobis persuasum sit non mediocre factum iri ex hoc munusculo tuæ devotionis incrementum, vehementer etiam optamus, ut illud penes te habere velis tamquam eximium ac perpetuum pontificiæ caritatis pignus, unde tua in apostolicam hanc Sedem studia magis in dies inflammentur, quod mirifice cum ipsa in Deo pietate, ac filiali tuo in Nos officio consentit et congruit. Demum ab omnium bonorum Largitore veram ac solidam felicitatem, tibi dilectissima in Christo filia nostra, tuæque inclitæ Electorali Domui enixe precamur, ac ejusdem uberioris gratiæ auspicem apostolicam benedictionem intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 21 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CCII.

DILECTIS FILIIS NOBILIBUS VIRIS

RECTORI ET CONSILIARIIS REIPUBLICÆ RAGUSINÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 aprilis 1772.

Dilecti, etc. Redditæ Nobis fuerunt Nobilitatum vestrarum litteræ a dilecto filio Benedicto Stay intimo nostro cubiculario, ac brevium ad principes secretario, qui vestros etiam observantiæ, pietatis ac devotionis erga Nos, atque hanc Apostolicam Sedem plenissimos sensus coram luculentissime significavit. Verissimum vos sane de Nobis judicium facitis, cum, prout scribitis, Nos non tam magnitudine, opibus, ac copiis, quam probitate, ac religione nostrorum in Christo filiorum permoveri existimetis. Hæc enim vera ac maxima civitatum ornamenta esse, atque hinc solidam earundem commendationem atque utilitatem proficisci ducimus. Cumque vos hisce laudibus instructos esse minime Nobis dubium sit, dignissimos idcirco arbitrati sumus, quos pontificia singulari caritate complecteremur. Quare cum opportunitas sese obtulisset, libentissime pro vestra vestræque reipublicæ incolumitate paterna studia nostra interposuimus. Quorum dum optatissimos exitus quam maxime cupimus, interim veræ tranquilitatis ac pacis auctorem Deum Optimum Maximum, in quo omnes positæ spes esse debent, pro vestra incolumitate deprecari non intermittimus. Vos item, quantum possumus, cohortamur, dilecti filii nobiles viri, ut ab hoc bonorum omnium fonte salutem vestram assiduis precibus expetatis, et cum divinam clementiam om-

nibus pietatis et christianæ virtutis officiis demeriti fueritis, ab ea una potissimum hujusmodi beneficium expectetis. Quod ut aptius ac divino impetrando præsidio accommodatius efficere possitis, cœlestium munerum auspicem, et nostræ benevolentiæ testem apostolicam benedictionem Nobilitatibus vestris peramanter impertimur. *Datum Romæ etc. die* 28 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CCIII.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO ARCHIEPISCOPO GOANO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 29 aprilis 1772.

Venerabilis, etc. Postulas a Nobis, Venerabilis Frater, ut, cum valetudo tua cibos jejunii lege præscriptos ferre non possit, apostolica tibi auctoritate concedamus, ut iis temporibus, quibus jejunium ab Ecclesia institutum est, salubres comedendo carnes tuæ corporis affecti imbecillitati consulere valeas. Minime dubium Nobis est, quin ad hoc postulatum gravi inductus causa deveneris, pastoralemque operam ac sollicitudinem tuam tanti facimus, ut commissis etiam tibi ovibus, quarum incolumitas tua magni interest, valde Nos ea gratia consulturos esse existimemus. Itaque et salutis tuæ et episcopalis ministerii rationem habentes tibi, Venerabilis Frater, jejunii diebus salubrium carnium usum, de consilio tamen et confessarii et medici tui per hasce in forma Brevis literas Pontificia potestate permittimus et indulgemus. Ideo erga te animo facimus, ut plurimum tibi paternæ caritatis et studii officium deferamus. Quod magis ut tibi persuadeas vehementer a te petimus, ut nunquam ulli opportunitati desis, qua nostræ tibi gratificandi cupiditati satisfacias. Ac in uberius Pontificiæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque curæ commissis populis peramanter impertimur. *Datum Romæ*, etc.; *die* 29 *aprilis* 1772, *pontificatus nostri anno tertio.*

CCIV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV

ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII JUNII MDCCLXXII

Venerabiles Fratres, etc. Præclare vobis sunt cognitæ atque perspectæ, Venerabiles Fratres, carissimi in Christo filii nostri Caroli Ema-

nuelis Sardiniæ Regis Illustris singulares atque eximiæ virtutes, et cum excellenti regni gerendi scientia conjunctæ omnes pietatis, moderationis, magnanimitatis laudes. Nos ipsi profecto inter cætera ipsius summa regii animi ornamenta experti sæpe sumus, quam mirificum ejus esset religionis studium, quæ erga Sanctam Apostolicam hanc Sedem observantia, quæ et quam constans ac perpetua Nobiscum benevolentia, atque officiorum communicatio. Propterea cum nuper gravi ac periculoso morbo eundem conflictari Nobis esset relatum, parem maximo nostro erga illum amori, doloris magnitudinem percepimus. Pro impetranda itaque optimi Nobisque carissimi Regis incolumitate Deum omnipotentem deprecari non intermisimus. Atque idcirco nudius tertius Sudarii templum adeuntes, dum a natione sui Regis, ac tamquam Parentis amantissima vota fierent cum omnibus precibus preces nostras conjunximus. Hanc doloris ac sollicitudinis nostræ causam vobiscum nunc communicamus, Venerabiles Fratres; ut vos item omnem operam atque animorum contentionem pro exoranda præstantissimo Regi valetudine conferatis. Cum summa vestra in Ecclesiam studia esse debeant, nihil nunc Nobis, eique quod sustinetis muneri convenientius esse potest, quam ut vestris ad Deum obsecrationibus illi præsto sitis, cujus singularia extare in ipsam Ecclesiam merita clarissimis indiciis cognoscitis.

CCV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO EMANUELI SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, die 18 julii 1772.

Carissime, etc. Doloris magnitudinem a Nobis susceptam ob morbi vim, qua nuper ad vitæ discrimen adductam fuisse Majestatem Tuam perceperamus, intra Nos continere non potuimus; proinde manifestam omnibus fecimus et Sudarii adito templo, et cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus mœrore ob eam maxime causam communicato, ut nostras ad Deum preces cum illorum precibus conjunctas efficaciores ad impetrandam tibi incolumitatem redderemus. Qua quidem in re obsecuti sumus et pontificio muneri erga Regem singulariter atque egregie de Ecclesia meritum, et peculiari cuidam summo atque eximio amori in te nostro, quem ob insignia, ac perpetua in Nos studia et ob excellentes et regio animo dignissimas virtutes incredibilem in modum diligimus, atque adeo admira-

mur. Hujusmodi nostrum paternæ caritatis sensum consentanea lætitiæ magnitudo propter restitutam valetudinem tuam est consecuta. Propterea maximas, ut debemus, Deo gratias reddimus, eumque enixe precamur, perpetuoque precaturi sumus, ut stabilem, ac diuturnam pulcherrimam hanc jucunditatis nostræ causam esse velit. Quod scribis, carissime in Christo Fili noster, gratas tibi fuisse eas benevolentiæ nostræ significationes, tu quidem peramanter et pro tua in nos mutui animi consuetudine facis. Nam etsi eædem leves, neque omnino pares eximiæ nostræ in te voluntati esse potuerunt, tamen minime dubitamus eo animo a te esse acceptas, quo a Nobis profectæ sunt, nimirum tui studiosissimo, tuæque salutis, felicitatis, gloriæ cupidissimo. Largitorem ac fontem bonorum omnium flagitamus ut vota, ac desideria nostra rata firmaque habeat, teque cumulet amplissimis divinæ benignitatis muneribus, quæ optimis regibus atque ad religionis sanctitatem consilia sua dirigentibus, impertiri solet, atque augeat Regiam Domum tuam, tuosque egregios Liberos, quos eo impensius amamus, quo tibi similiores esse cognoscimus. Demum in uberius pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 18 *julii* 1772, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCVI.

VENERABILI FRATRI

HIERONYMO ARCHIEPISCOPO SALISBURGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 augusti 1772.

Venerabilis, etc. Nobis indiciis perspectum tibi esse voluimus propensissimam nostram erga te voluntatem in concedenda quam a Nobis postulasti facultate retinendi Præposituram S. Mauritii Augustæ, et Canonicatus Passaviensem, et Olomucensem, quam facultatem libentissime Fraternitati tuæ impertiti jam sumus, ad ulteriora etiam æque libenter, si opus fuerit, processuri, cum minime dubitemus præclara tua item studia futura in pontificiis nostris juribus, quæ ad canonicatus collationes pertinent, retinendis sartisque ac tectis tuendis. Quod scribis de tua in Nos fiducia, Nobis est jucundissimum, et tibi persuasum esse cupimus nos semper benevolentissime excepturos, quæ a te offerentur, et pergratas Nobis omnes opportunitates futuras, quibus tibi manifestius in dies esse possit, quam eximia sint paternæ nostræ erga te caritatis studia. In cujus luculentius argu-

mentum apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die prima augusti* 1772, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCVII.

VENERABILI FRATRI

ANTONIO EUGENIO ARCHIEPISCOPO EPHESINO

ORDINARIO NOSTRO, ET APOSTOLICÆ SEDIS IN GERMANIA NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Arce Gandulphi, 17 octobris 1772.

Venerabilis, etc. Ex litteris tuis et ex folio a Dil. Filio Nobili Viro Principe de Kaunitz tecum communicato, atque a te ad Nos transmisso, Venerabilis Frater, cognovimus consilium a carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariæ Regina Apostolica necnon Bohemiæ Regina Illustri in Romanorum Imperatricem Electa Vidua initum, quo ex pluribus monasteriis et conventibus ad Olivetanos, Hieronyminos, et alios Longobardiæ Austriacæ ordines spectantibus componi possent aliquot ampliores et numero religiosorum auctiores familiæ, ut ita ex plurimorum conjunctione et religiosæ disciplinæ accuratior observantia et eidem accommodata doctrinarum studia non sine multa eorundem ordinum laude et publica utilitate uberius efflorescerent: magnopere item cupere Majestatem Suam vidimus, ut aliqua pars redituum ad eosdem ordines pertinentium, quæ postquam omnibus religiosi status usibus decenter, commodeque sit satisfactum, supersit ac redundet, ad alias opportunitates traducatur, et sive pauperibus sublevandis, sive parochorum subsidio, sive aliis piis operibus addicatur. Suam demum Majestatem pro singulari sua religione, et Apostolicæ Sedis reverentia fieri hæc omnia velle juxta ecclesiasticas sanctiones hac S. Sede consentiente et probante, ac proinde optare ac flagitare, ut quo paratius ac promptius ad exitum perduci res possit, tibi, Venerabilis Frater, de his agendis, statuendi atque eadem executioni etiam ut mandentur jubendi opportunas ac necessarias facultates concedamus. Nos itaque intelligentes finem a carissima in Christo filia nostra sibi propositum in hujusmodi postulatis Nobis faciendis obtineri ea ratione posse quæ eximiæ ejus pietati, et Augustæ Domus religioni conveniat; proinde illius desideriis, quoad in Domino possumus, obsequi volentes, tua virtute, sedulitate ac prudentia freti tibi, Venerabilis Frater, apostolica auctoritate concedimus atque impertimur eas facultates omnes, quæ re-

quiri possint ad vim, robur, ac validitatem juxta sacrorum canonum præscriptiones tribuendam novis hisce decretis et constitutionibus quæ a te pro singulis in Austriaca Longobardia positis ordinibus regularibus efficientur. Cumque Nobis persuasissimum sit ipsi Suæ Majestati optime perspectum iri quantopere intersit ad firmiorem utilitatem in suscepto consilio consequendam, ut ab Ordinariis locorum, in quibus prædicti ordines siti sunt atque etiam ab ipsis superioribus eorundem ordinum res omnes scitu necessariæ antea per te exquirantur, tibique ab iisdem summa fide referantur, te valde hortamur ad hanc etiam diligentiam adhibendam : præsertim cum Majestati Suæ nihil gratius fore ducamus, quam ut veritate sedulo cognita, atque explorata, eæ demum rationes stabiliri possint, quæ veræ et permansuræ utilitatis plenissimæ sint, et ab ullo errandi periculo remotissimæ. Quæ a te hunc in modum eorundem emolumento, et populorum commodo esse facile poterunt, et illæ redituum portiones, quas ab ordinibus regularibus disjungendas, atque adimendas esse judicabis convenientem, ac bonorum ecclesiasticorum rationi consentaneum usum consequentur : omnia denique sacris canonibus congruent, piisque Majestatis Suæ votis ac nostræ item voluntati consentient. Ingens inde nostræ erga te benevolentiæ fiet accessio, in cujus argumentum apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, etc., die* 17 *octobris* 1772, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCVIII.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Arce Gandulphi die 24 octobris 1772.

Carissima, etc. Dedimus ad Venerabilem Fratrem Antonium Eugenium Archiepiscopum Ephesinum Ordinarium nostrum apud Majestatem tuam Nuntium die 17 hujus mensis in forma Brevis litteras in quibus (quod magnopere te cupere atque a Nobis expetere idem Nuntius significaverat) illi opportunas ac necessarias facultates concessimus monasteria regularium ordinum in Longobardia Austriaca posita, in aliquot ampliores, et numero auctiores familias redigendo, et reditus monasteriorum, qui post omnes usus earundem familiarum

commode ac decenter satisfactos supererint transferendi, atque applicandi ad sublevandos pauperes, aut parochos aut alia pia opera quæ opportuniora videbuntur. Nos quidem, ut hujusmodi facultates impertiremur unice inducti fuimus perspectissima Nobis pietate ac religione Majestatis Tuæ, quam certissime scimus divinæ gloriæ incremento veras rerum utilitates æstimaturam et diligentissime curaturam, ut in religiosorum familiis nihil nisi ex divini cultus rationibus immutetur. Sed quoniam ipsa rei gravitas anxios Nos reddit ac sollicitos et vereri facit ne quid præter nostram ac tuam voluntatem fiat, te ipsam alloqui hisce litteris volumus, teque ad omnem operam ac diligentiam, quam tua sponte adhibitura es, etiam cohortatione ac flagitatione nostra impellere. Agitur enim, ut præclare vides, carissima in Christo filia nostra, de re, quæ Ecclesiæ maxime intersit et nostras omnes curas et cogitationes exposcit. Cum Christus Dominus Nobis Ecclesiam suam tuendam, ac regendam commendaverit, et tu ipsa ejusdem Christi Ecclesiæ patrona et sis et nuncupaveris. Quare ad nostrum munus attinet, ut ne qua divini cultus imminutio, aut minus æqua in populo opinio ordinum ac religionis ministrorum inde oriatur, nequid immoderate fiat, denique ne judicium nostrum in divini judicii severitatem atque animadversionem incurrat. Ad amovendum istiusmodi timorem Majestatem Tuam rogamus, omnia ut effici cures, nihil et eorum prætermitti sinas, quæ ad gravissimam rem rite ac bene gerendam conferant. Nos propterea in litteris ad Nuncium nostrum datis, eundem valde hortati sumus, eique commendavimus id quod te ipsam pro eximia tua pietate omnino velle ac probare duximus, nimirum ut ab episcopo in quorum diœcesi sita sunt regularium monasteria de rerum omnium statu exquireret, et non solum de reditibus monasteriorum, verum etiam præcipue de opportunitate religiosorum virorum, et utilitate, quam inde Christianus populus capiat, interrogaret. Tu ipsa præclare intelligis, quantum valere possint ad veritatem assequendam eorum testimonia, qui speculatores ac præsides in sua quisque diœcesi sunt constituti. Cum ipsi supervacaneum esse affirmabunt numerum religiosorum virorum, redundantes ipsorum reditus, eosque minus opportunos ad spiritualia ministeria obeunda asserent, tunc nec divini judicii metus nec ulla dubitatio esse poterit, quin ea consilia capiantur, quæ gregis Christi utilitati erunt accommodatiora. Quæ autem monasteria ex episcoporum sententia constaret opportuna esse promovendæ populorum pietati erudiendæ juventuti utilia atque apta apostolico ministerio adjuvando (qui tuus est religionis atque æquitatis amor) tu ipsa certe pati non posses, ut hujusmodi monasteria suis bonis, populos subsi-

diis, episcopos plurimis adjumentis privari sineres. Quamobrem a Majestate Tua, qua maxime possumus animi contentione, et pari fiducia petimus, ut in suscepto perficiendo consilio ita rebus omnibus modereris, prout necesse est iis, quæ Ecclesiæ aut divino cultui sunt consecratæ. Deum O. M. precamur, ut in his peragendis cælestis suæ gratiæ præsidio te adjuvet et sustentet, atque in ejus amplificanda gloria pristinas tuas laudes vera ac solida hujus laudis accessione cumules. Demum in singularis nostræ paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ omnique Augustæ Domui amantissime impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, etc., die* 24 *octobris* 1772, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 decembris 1772.

Carissime etc. Quamquam post consecutas in Polonia rerum commutationes maximum nostrum, in quo eramus de Catholicæ religionis incolumitate timorem mitigassent ipsæ dominantium leges, quibus Catholicorum templa, resque sartæ tectæ esse jubebantur (quas leges tuæ potissimum apud illos ad nostras et prædecessoris nostri preces pro religione navatæ operæ tribuendas putavimus), si tamen cum præter omnem spem nostram, et contra earundem legum sanctiones militari fortasse licentia, aut eorum, qui exequendis decretis præsunt, temeritate, et hactenus in Catholicos plurima illata esse, et in dies graviora damna inferri audiamus, magnum in metum adducimur non solum de discrimine aliquo, aut detrimento, verum de ipso religionis interitu, nisi tuo, carissime in Christo fili noster, potissimum præsidio, ac tutela Ecclesiæ ac de suscepto malo quotidie invalescenti occuratur. Quamobrem divini cultus, cui præsidemus, sanctitas, atque integritas ac æterna tot populorum salus a Nobis postulat, ut propterea Majestatem Tuam obtestemur, utque tutelam atque opem hanc tuam, qua maxime possumus alacritate, atque ardore animi expetamus. Tua te ipsa pietas, et cum præclarissima laudum omnium hæreditate a majoribus tuis in te transmissum religionis tuendæ studium ad illud, quod postulamus, commovebit, atque impellet, et tua apud eos, in quorum dominatu hæc fiunt, auctoritas, tibi paratissimum aditum ad idem impetrandum

efficiat. Cum enim omnem operam, omnem industriam tuam eo conferes, facile obtinebis, ut te postulante valere eas ipsas leges velint, quas ipsi pro Catholicæ religionis securitate sanciendas duxerunt. Id igitur ut summa diligentia et cura enitare a Majestate Tua et poscimus et confidimus. Si quidem cum imperii tui dignitas, fidei defensoris, ac pastoris tibi munus, ac nomen imponat, nihil tibi prius, atque antiquius fore ducimus, quam ut re ipsa talem te et esse velle et nuncupari palam facias. Nulla re profecto melius tuæ ipsius felicitati atque gloriæ provisum esse a te poterit. Si enim Dei Opt. Maximi providentia, ac beneficio regum regnorumque res sustinentur, nulla potior divini patrocinii conciliandi ratio esse poterit, quam si te illius gloriæ asserendæ studiosissimum, illamque rebus omnibus te anteferre profiteare. Summum hunc bonorum omnium fontem enixe precamur, ut cœlestis suæ gratiæ præsidio in te confirmet hanc Ecclesiæ pernecessariam, tibi utilissimam, sibique ipsi acceptissimam voluntatem. Et in divinorum hujusmodi munerum auspicium atque in nostræ paternæ ac singularis erga te benevolentiæ pignus, Augustæ Majestati Tuæ apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Petrum sub annulo piscatoris die* 5 *decembris* 1772, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCX.

VENERABILI FRATRI

SIMONI NICOLAO EPISCOPO BASILEENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 januari 1773.

Venerabilis, etc. Eximiam tuam in apostolico ministerio rit[illegible] obeundo sollicitudinem, atque in divini et ecclesiastici præcepti inte[illegible]gritate tuenda studium luculentissime cognovimus, Venerabilis Frater [illegible], ex litteris tuis, quibus certiores Nos fecisti de impedimento illato, [illegible] nostram de diebus festis legem promulgares, quibusque a Nobis p[illegible]postulasti, ut ad ea impedimenta amovenda tibi potestatem impertirem[illegible] tollendæ omnino jejuniorum obligationis, quæ a vigiliis quorumda[illegible] abrogatorum festorum ad ferias quartam et sextam Adventus eran[illegible] Nobis translata, unde omnis illa difficultas est profecta. Ac Nos quid[illegible] præclaro tuo studio in episcopali munere gerendo mirum in modu[illegible] delectati, et causis, quas attulisti magnopere commoti æquo ani[illegible] inducimur, ut postulationis tuæ annuamus, quo et te ex iis angust[illegible], in quibus te versari agnoscimus, eximamus, et populi tui in Alsa[illegible]

Gallica dltione positi saluti et conscientiæ tranquillitati consulamus. Ad id potissimum ea, quam significasti ratione impellimur, nempe in universa Alsatia, more id esse positum, ac reputari sublata dierum festorum celebratione, sublatam etiam esse obligationem jejuniorum, quæ illos dies præcedebant. Hac igitur consuetudine maxime innixi expetitam facultatem pro Diœcesis tuæ parte in Alsatia posita tibi indulgemus; tamen cautione adhibita : altera nimirum, ut ne in edicto pro dierum festorum imminutione a te faciendo ulla sublati jejunii mentio fiat, cum ipsum hoc silentium illic ex regionis usu pro concessione haberi possit, cumque aliquæ tibi dcesse non possint viæ quibus, si ita opus fuerit, hujusmodi concessio ad populi cognitionem perveniat. Altera cautio est, ut ne hæc tacita jejuniorum abrogatio pro Alsaltica tantum tuæ diœcesis parte concessa, aliqua interpretandi licentia, aut errore ad alia tuæ diœcesis loca extra Alsatiam posita traducatur atque extendatur. In iis enim locis valere omnino, atque induci volumus, de festis ac jejuniis legem, eamque jam hactenus ibidem a te inductam ac vulgatam censemus. Habes itaque a Nobis, quam postulasti facultatem, Venerabilis Frater, quam tibi eo libentius impertiti sumus, quod tuis singularibus Nobisque perspectissimis laudibus eadem te usurum illo animo scimus, quo a Nobis conceditur, divinæ videlicet gloriæ et populi tui salutis studiosissimo. Parem ac rebus in omnibus æque erga te propensam nostram voluntatem semper futuram profitemur, atque in hujus pontificiæ caritatis manifestius pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuoque universo populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *januarij* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXI.

VENERABILIBUS FRATRIBUS

ARELATENSI ARCHIEPISCOPO ET MELDENSI EPISCOPO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 februarii 1773.

Venerabiles, etc. Cæteras inter sollicitudines, et pastoralis officii curas, ad quod nullis nostris meritis, sed unius divinæ clementiæ largitate vocati fuimus, eam semper præcipuo Nobis loco habendam existimavimus, qua sacros operarios, qui peculiari quadam ratione, arctissimisque vitæ regularis vinculis Deo mancipati in vineam Domini excolendam suos omnes conferunt labores, singulari prosequi tenemur affectu, propensa fovere voluntate, ac beneficentissimo fulcire

patrocinio, ita ut quidquid accommodatum iis esse potest vel ad pietatis, ac religionis studium, quo eos flagrare oportet, conservandum augendumque, vel ad regularis disciplinæ integritatem, si quid forte passa sit detrimenti, cumulatissime restituendam, vel ad quaslibet propulsandas penitus difficultates, quæ impedimento sunt, quominus uberrimos illos procreare possint fructus, ac amplissimas utilitates, quas et universa Christiana respublica, et beata populorum salus ab iis maxime efflagitat avideque præstolatur, ad id omne facile libentique animo eis suppeditandum, effuseque largiendum prompti esse quovis tempore debeamus, atque parati. Hos inter egregios in vinea Domini operarios ex quorum assiduis laboribus maximum semper Christi Ecclesiæ decus accessit, ornamentum, et præsidium, eos jure ac merito recensemus, qui sancte Dominici vestigia sectantes, et regulas inclytum, deque Christiana republica optime meritum constituunt regularem ordinem Fratrum Prædicatorum nuncupatum. Hinc muneris nostri ratio et vehementer optat, et modis omnibus expostulat, ut quibusvis ejus commodis, quantum in Domino possumus, sedulo prospiciamus, caveamusque diligentissime, nequid in ullam ejus partem irrepat, ex quo splendor ille locupletissimus pietatis, et doctrinæ, quo præclarus hic ordo hactenus ubique emicuit, aliquod vel minimum patiatur detrimentum.

Relatum porro Nobis fuit, collegium Sancti Jacobi eorumdem Fratrum Prædicatorum Parisiis situm, eoque saluberrimo constitutum consilio, ut ad illud, tanquam ad celeberrimam pietatis, et litterarum arcem, alumni ejusdem ordinis ex universis Galliarum Provinciis accedentes, in assidua et regularis disciplinæ, et sanioris doctrinæ exercitatione ita versentur, ut amplissimo inde decori afferendo universo Ordini, et Christianæ reipublicæ utilitati cumulandæ apti fiant, et idonei, a pristina non parum dignitate, ac celebritate nominis esse prolapsum, tum ob imminutam regularis instituti observantiam, cum ob rei domesticæ administrationem non rite gestam; atque idcirco ne ad ultimum pene excidium redigatur, opportuno aliquo efficacique remedio ei quam citissime esse consulendum. Expositum quoque Nobis fuit ex parte carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Christianissimi, aptius nullum, et accommodatius inveniri posse remedium ad idem Collegium ab eo, in quo nunc versatur, discrimine ad florentissimum suum pristinum statum revocandum, quam si sub immediata magistri generalis totius Ordinis Fratrum Prædicatorum jurisdictione, et cura constituatur, et apostolica præterea ejusdem collegii agatur visitatio, per quam pro malorum ibidem vigentium varietate optimæ condantur leges perpetuo servandæ.

Quam ob rem, et pastoralis officii nostri debito, et ejusdem Ludovici Regis precibus, et vobis satisfacere cupientes, Collegium prædictum civitatis Parisiensis, et Ordinis Fratrum Prædicatorum a cujusvis Provincialis gubernio exemptum declarantes, omnimodæ subjectioni, et jurisdictioni nunc, et pro tempore existentis Magistri Generalis ejusdem Ordinis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo supponimus, atque subjicimus; ita ut idem Generalis Ordinis Magister ea ratione qua domum pro recipiendis novitiis ipsa in Parisiensi urbe designatam sub sua habet immediata, ac plena potestate et jurisdictione, æquissimisque eam moderatur legibus, quæ ad illius ornamentum, ac splendorem mirum in modum conducunt, eadem quoque Collegium prædictum libere ac immediate gubernare, ac singula, quæ ad optimum illius regimen necessaria putaverit, pro sua prudentia, ac religiosæ perfectionis studio disponere valeat atque perficere.

Quoniam vero ad idem Collegium in pristinum honoris, ac dignitatis gradum restituendum necessarium quoque, nedum opportunum videtur, ut serio investigentur, ac detegantur collapsæ regularis disciplinæ causæ, et rei domesticæ non rite se habentis rationes tum etiam diligentissime perpendantur, quæ potissimum leges aptæ magis esse possint, iis gravissimis incommodis longe, ac perpetuo propulsandis, quæ eidem collegio tanto sunt detrimento, ac ruinæ, ut quæ tum ejusdem Christianissimi Regis Ludovici eximiam pietatem, ac religionem, cum nostrum excitarunt animum ad novum hoc consilii genus de eo collegio suscipiendum. Vobis idcirco, Venerabiles Fratres, ut tanquam nostri, et Apostolicæ hujus Sedis delegati sacram instituatis ejusdem Collegi visitationem, seduloque inquiratis tum in regularem disciplinam cum in rei domesticæ administrationem, facultatem ad annum duraturam auctoritate apostolica tenore præsentium facimus, ac plenissime indulgemus.

Et quia pro certo pariter habemus, eum ad finem, quem vehementer cupimus, celeriori promptiorique ratione obtinendum plurimum in primis conferre, si ii eligantur Collegii Officiales, qui præclaris non modo fulgent virtutibus, suoque exemplo cæteris in regularis disciplinæ semita præire valeant; verum etiam qui Collegii reditibus nimio munero graves non sint, ac noxii; facultatem propterea vobis pro hac prima vice tantum, collegii Præsidem, Artium Magistros, Regentes, Conventuales, et Officiales quocumque nomine nuncupentur, eligendi, et nominandi, eundemque numerum Collegii reditibus respondentem statuendi, pari auctoritate, et tenore concedimus, et indulgemus. Qui autem ad prædicta officia electi a vobis fuerint,

per illud tantummodo temporis spatium tradito sibi fungi poterunt munere, quod vel a generalibus Ordinis, vel a peculiaribus ejusdem Collegii constitutionibus statutum est, ac definitum. Huic vero temporis spatio initium fiet a sacræ visitationis, quam fidei vestræ committimus, fine, et a decretorum quæ pro ejusdem Collegii reformatione condenda putabitis promulgatione. Id tamen impedimento vobis minime erit, quominus ab ipso etiam visitationis excidio, eos ipsos, vel alios, quos magis congruere arbitrabimini, officiales interim, seu per modum provisionis, ut ajunt, constituere valeatis.

Vestrum præterea erit, quæ optimum ejusdem Collegii regimen, et æconomicam illius bonorum administrationem respiciunt, firmissimo novarum legum præsidio constituere, ac definire, et singulos qui irrepserunt, pravos usus aptissimis remediis evellere, et futuris etiam temporibus, quoad fieri potest, impedire. Qua quidem in re confidimus, imo pro certo habemus, omnes vos operam collaturos esse, studium, et industriam, ut singula religioni vestræ ac prudentiæ quibus plurimum et maxime valetis, et quarum virtutum plura, eaque egregia alias prætulistis argumenta apprime respondeant. Quascunque autem in ejusdem Collegii bonum, et utilitatem sanciendas putaveritis leges, eas omnes, antequam a vobis promulgentur, ad Nos deferri curabitis, ut non modo ex optimis vestris deliberationibus opportunisque reformationis decretis, novum Nobis prudentiæ ac sapientiæ vestræ satis jam cognitæ adsit testimonium, lætemurque vehementer eos ad hujusmodi munus Nos delegisse viros, qui tanto cum fructu, tantaque cum sui nominis gloria illud absolverunt, sed etiam ut auctoritati vestræ, nostra quoque et sanctæ hujus apostolicæ Sedis accedente potestatis plenitudine, et approbationis robore, utilius deinde, et efficacius promulgari a vobis eæ possint, et iis, ad quos pertinet, perpetuo, et inviolabiliter observandæ proponi.

Decernimus denique, ac jubemus, præsentes nostras litteras firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocunque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici auditores, ac Sedis Apostolicæ nuntios judicari, et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus quibusvis apostolicis generalibus, vel specialibus, constitutionibus, et ordinationibus, nec non quatenus opus sit, ejusdem ordinis Fratrum Prædicatorum, vel prædicti Collegii Parisiensis.

etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis, singularibus etiam personis sub quibuscunque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, irritantibusque clausulis quomodolibet concessis, et innovatis : Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus, pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die* 15 *februarii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 martii 1772.

Carissime, etc. Cum pro Majestatis Tuæ tuique Regni tranquillitate misericordiarum Patrem et pacis ac bonorum omnium largitorem precati semper sumus, tum e proximis vestris comitiis ut tibi, carissime in Christo fili noster, tuæque inclitæ nationi fausta et prospera omnia eveniant ab illo votis omnibus exposcimus. A summo enim hoc rerum humanarum auctore ac Domino, in cujus manu cordia hominum ac regum sunt, omnes veræ utilitates ac prosperi et secundi quique successus sunt maxime expectandi. Illius itaque benignitatem ac præsidium demereri ut possis, omnis tibi cura est adhibenda, studium omne in hoc præcipue conferendum. Nulla profecto ratione ac via melius atque expeditius efficere id poteris, quam si cujus patrocinium ac tutelam obtinere te cupias, divini illius cultus tuendi studiosissimum te esse, illius gloriam cæteris rebus omnibus anteponere te palam facias. Egregiæ hujusmodi voluntatis declarandæ plurimas opportunitates in his ipsis comitiis vestris tibi minime defuturas cognoscimus. In quibus ut magnopere veremur neque conatus contra religionis integritatem existant, ita in iis repellendis auctoritate tua atque omni animi contentione quantum in te erit, te esse adnixurum omnino confidimus. Hanc igitur præclaram tuam operam in Catholica atque avita vestra Ecclesia prout officii tui ratio postulat, tuenda, atque propterea Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Beryti or-

dinario nostro apud Majestatem Tuam nuncio adjumento ac præsidio esse velis a te, carissime in Christo fili noster, quo maxime possumus studio expetimus. Quantum tibi tuisque rebus optime consultum esse tibi a Deo Optimo Maximo provisum esse exoptas, tantum industriæ, curæ, diligentiæ in hac maxima religionis atque animarum salutis re satagenda, ut colloces velimus. Nos quidem divinam clementiam ut suæ gratiæ præsidio Majestatem Tuam in his eximiis consiliis perficiendis confirmet ac muniat, atque inde faustissimi rerum exitus redundent exorare non desistemus; atque interim in auspicium cælestium beneficiorum et nostræ paternæ singularis in te caritatis argumentum apostolicam benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXIII.

VENERABILI FRATRI

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI, EPISCOPO POSNANIENSI

ALIISQUE SEX EPISCOPIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 martii 1773.

Venerabilis, etc. Incredibilem molestiam ac dolorem animo cepimus, Venerabilis Frater, ex nuncio ad Nos allato de proximis regni vestri comitiis, metuque ac suspensione non mediocri Nobis injecta, ne qui conatus adversus divini cultus integritatem in iis existant, nec non quæ coitiones ad labefactandam catholicam atque avitam Poloniæ religionem fiant. Tantæ rei magnitudine ac periculo vehementer commoti ad Dei Altissimi præsidia imploranda continuo omnem curam ac cogitationem nostram convertimus. Illum itaque enixissime deprecati sumus, ut quemadmodum religionis sanctitatem in natione vestra incolumem hactenus constantissime servaverit, et egregiam Episcoporum in ea acerrime tutanda operam esse voluerit, ita nunc in te et ceteris Venerabilibus Fratribus, qui præsides ac vigiles Dominico gregi custodiendo constituti estis parem vim, ac virtutem excitet et suæ divinæ gratiæ beneficio similem præclare defensæ et conservatæ fidei vestram esse laudem faciat. Etsi in gravissimis, quibus propterea premimur curis hac divini præsidii fiducia sublevemur, vosque illius ope fretos magno et constanti animo in Domo Israel tuenda adfuturos, et Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Bery ordinario nostro in Polonia Nuncio in id ipsum incumbenti adjumen

omnia præstituros minime dubitemus, tamen Nobis ipsis nostræque in vos, vestrumque gregem sollicitudini Nos deesse arbitramur, si eximia uniuscujusque vestrum studia nostris etiam studiis ac cohortatione nostra non adjuvemus. Quare per viscera misericordiæ Dei nostri te obtestamur, Venerabilis Frater, ut hoc tempore patere, ac palam esse omnibus velis, qui tuus sit sartæ tectæque servandæ religionis ardor, qui erga gregem tuum animus, quam anxius ac sollicitus ad omnem contagionem ab illo diligentissime removendam. Cum tibi in mentem veniet episcopali ministerio suscepto quibus, et quam arctis officiorum vinculis cum tuo populo cum universa Catholica Ecclesia ejusque auctore et conditore Christo Domino sis adstrictus, labores omnes ac dimicationes propterea adeundæ levissimæ tibi videri poterunt. Ad hæc si accedet cogitatio immensæ atque æternæ tibi comparatæ mercedis pro hac muneris tui parte rite ac præclare gerenda alacritatem tuam mirifice incendi, atque excitari senties. Age igitur, Venerabilis Frater, et fidei ac divini cultus quoad tua fieri poterit, suscepta tutela, tuam ac populi tui utilitatem et salutem sedulo operare. Nulla re uberius, ac opportunius prodesse tuis civibus tuæque egregiæ nationis augere gloriam ac commendationem potes, quam si in avitæ religionis laude retinenda eidem ducem atque auctorem te præbeas. Pastorum principis, cujus præcepta atque instituta eximie te esse consectatum declarabis, clementiam ac patrocinium tibi et universæ Poloniæ hunc in modum te optime demeriturum existimato, et cœlesti regno, et illius gloria primum quæsita cetera item omnia ab illo te impetraturum confidito. Nostræ etiam et S. Apostolicæ hujus Sedis in te benevolentiæ, tuorumque in Nos meritorum magnam accessionem hac tua præstantissima opera te facturum scito. Nulla enim in te tuumque populum proficisci a Nobis possunt præsidia aut ornamenta, quæ tibi non libentissime delaturi simus. In cujus paternæ nostræ erga te voluntatis indicium, ac cœlestium beneficiorum auspicium apostolicam tibi benedictionem tuoque universo populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXIV.

DILECTIS FILIIS NOBILIBUS VIRIS

ORDINI SENATORIO REGNI POLONIÆ

ET MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 martii 1773.

Dilecti, etc. Quo major est clarissimi vestri ordinis dignitas, atque

amplitudo, dilecti filii nobiles viri, eo firmiora Catholicæ atque avitæ religionis in qua sarta tecta tuenda majores vestri maximam regni vestri positam esse gloriam semper putaverunt, in vobis, vestraque spectatissima virtute præsto futura præsidia certissime duximus. Hæc vestri egregii animi vestrique erga divini cultus integritatem studii spes atque expectatio magnam ex animo nostro mœroris partem adimit, ac sollicitudinis, qua vehementer angimur ob proxima regni vestri comitia, metusque Nobis injectos, neque inde detrimenta religioni vestræ incolumitati inferri possint. Vos enim pro singulari vestra fidei defendendæ alacritate ad hujusmodi si quæ fierent, repellendas molitiones paratissimos futuros confidimus, et Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Beryti ordinario nostro in Polonia Nuntio omnia quæ a vobis proficisci possent, adjumenta præstituros. Etsi et officii vestri causa, quo ad divinam gloriam, ac animarum salutem tutandam adstricti estis, et ad pristinum Reipublicæ vestræ decus ac laudem retinendam vos id facturos minime dubitemus, tamen vestra egregia studia cohortatione etiam nostra excitamus, atque id ipsum a vobis quam maxime possumus flagitamus. Divinam vos clementiam vobis mirifice hunc in modum demerituros scitis, ejusque tutelam vobis reique vestræ publicæ conciliaturos. Summa ac singularia etiam vestra erunt in Nos, et Sanctam Apostolicam hanc Sedem merita hac excellenti in catholicam Ecclesiam navata opera, ut pergratæ Nobis sint futuræ opportunitates omnes, quibus palam facere vobis possimus quanta vos, quam peculiari pontificia caritate complectamur. In cujus paterni nostri in vos animi manifestius pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti fili nobiles viri, peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXV.

DILECTIS FILIIS

EQUESTRI ORDINI REGNI POLONIÆ

ET MAGNI DUCATUS LITHUANIÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 martii 1773.

Dilecti, etc. Quemadmodum fortissimos viros majores vestros incredibili studio Catholicæ fidei incolumitatem semper esse tutatos, atque in ea defendenda maximam suam laudem atque inclitæ nationis vestræ gloriam positam arbitratos esse scimus, ita vos, dilecti

fili, in ejusdem religionis ab illis ad vos transmissæ integritate tuenda æque esse animatos Nobis est perspectissimum. Quare etsi interdum rerum vestrarum status sollicitos Nos habeat, ac suspensos, neque inde divini cultus rationibus detrimenta exoriri possint; tamen usitatæ virtutis vestræ fiducia recreamur, in eaque maxime conquiescimus. Hac præclara spe, atque eximiæ vestræ erga Ecclesiam voluntatis cogitatione mirifice sublevamur a gravissima animi nostri sollicitudine, qua propterea hoc tempore potissime angimur. Cum enim magnopere vereamur ne qui motus in proximis regni vestri comitiis neque molitiones adversus avitam nationis vestræ religionem fiant, vos præsto futuros scimus, omnemque operam daturos ad hujusmodi conatus omnino repellendos, ac propterea Venerabili etiam Fratri Josepho Archiepiscopo Beryti ordinario nostro in Polonia Nuncio præsidia atque adjumenta omnia præstituros. Id quidem et pro vestro Catholicæ religionis tuendæ officio et pro singulari quo inflammati estis divini cultus ardore vos studiosissime facturos speramus, tamen ut summæ animorum vestrorum alacritati aliqua etiam ex Pontificia nostra cohortatione fiat accessio, idem etiam a vobis nostris hisce litteris quam maxime possumus expetimus, atque adeo flagitamus. Nullam rem nostæ laudi vestræ amplissimæ nationis decori ac gloriæ magis consentaneam, nullam utilitati et saluti vestræ magis accommodatam fieri a vobis posse existimate, quam si nihil imminui de religionis vestræ sanctitate atque integritate sinatis. Divina gloria cultuque tutando, divinam item clementiam ac tutelam a qua sola regnorum rerumque publicarum felicitas dimanat, vobis devincietis. Mirifice etiam eximia vestra in Nos ac S. Apostolicam hanc Sedem merita, nostramque in vos benevolentiam amplificabitis, ut nullæ amantissimi parentis in optimos liberos amoris significationes esse possint, quas vobis non libentissime daturi simus. Demum in manifestius pontificiæ in vos caritatis pignus apostolicam vobis benedictionem peramantur impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXVI.

VENERABILI FRATRI

CAJETANO EPISCOPO CRACOVIENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 martii 1773.

Venerabilis, etc. Quod assiduis votis exoptavimus, et in quo sa. me. Clemens XIII Prædecessor noster studium, atque industriam

et Nos operam omnem nostram adhibuimus, ut te, Venerabilis Frater, patriæ ac libertati restitutum videremus, id tandem ex tua nostraque sententia feliciter te esse consecutum ex literis Venerabilis Fatris Josephi archiepiscopi Beryti ordinarii nostri in Polonia Nuntii incredibili jucunditatis ac lætitiæ sensu cognovimus. Propterea Domino Deo nostro, quod te in tribulatione patienter, ac constanter perferenda cœlesti suo præsidio confirmaverit, et demum incolumem ad cives tuos, tuumque gregem reduxerit singulares gratias egimus. Fraternitati tuæ itaque magnopere lætamur, tuæque Ecclesiæ atque etiam Nobis ipsis eo magis gratulamur, quo majorem in te, atque episcopali tuo erga Ecclesiam studio spem expectationemque habemus. Præstanti enim virtute tua freti, tuique egregii animi, magnitudine pluribus, clarisque indiciis Nobis perspecta te tui similem semper futurum in religione tuenda confidimus. Id a te præsertim hoc tempore expectamus, atque adeo exposcimus, cum magno in metu simus ne qui conatus in proximis regni vestri comitiis existant, ne quæ in divini cultus atque avitæ vestræ religionis integritatem molitiones fiant. Quo graviore in discrimine ac periculo Ecclesiæ res versari posse dubitamus, eo alacriorem tuam operam pro domo Domini futuram, teque Nuntio nostro præsidia atque adjumenta omnia, quoad tua fieri possit, præstaturum speramus. Pro hujusmodi, tuoque muneri consentaneis factis magnam tibi, atque immortalem mercedem a summo pastorum Principe paratam esse nosti. Nos etiam qui illius vicariam potestatem, licet immerentes, sustinemus, hisce tuis in Ecclesiam meritis mirifice devincies, ut quæcumque a Nobis, atque ab apostolica hac Sede proficisci sive in te, sive in tuam Domum, sive in tuum gregem, aut universam Poloniæ Ecclesiam possit, ea tibi, tuaque causa, illis libentissime delaturi simus. Interim ut aliquod Pontificiæ in te caritatis argumentum habeas, tibi ex Ecclesiæ thesauris id impertimur, et concedimus, ut quodcumque templum arbitratu tuo quotidie adiveris, omnes eas indulgentias consequare, perinde ac si Vaticanum templum inviseres. Demum apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commisso populo paramanter impertimur. *Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

Eodem exemplo : Episcopo Kioviensi.

CCXVII.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

COMITI RZEWUSKI, PALATINO CRACOVIÆ,

CLEMENS PAPA XIV

Romæ, 6 martii 1773.

Dilecte, etc. Ex nuncio litteris Venerabilis Fratris Josephi Archiepiscopi Beryti Ordinarii nostri in Polonia Nuncii Nobis allato te, dilecte fili nobilis vir, patriæ ac libertati incolumem tandem esse restitutum eo uberiorem lætitiam animo sane cepimus, quo major antea ex tuo casu et a sa. mem. Clemente XIII Prædecessore nostro, et a Nobis molestia erat suscepta, et pro te tuoque reditu adhibita opera. Quamobrem Deo O. M. ingentes gratias habemus, quod te salvum atque incolumem patriæ, tuisque reddiderit, et tibi magnopere gratulamur, ac Nobis ipsis lætamur, cum novas, atque egregias ex præclaro tuo Catholicæ religionis tuendæ studio fructus in Ecclesiam redundaturos expectemus. Opportuniora hæc virtutis tuæ præsidia atque adjumenta hoc tempore potissimum accidunt quo majore in metu sumus, neque conatus in proximis regni vestri comitiis neque molitiones in divini cultus et avitæ vestræ religionis integritatem fiant. Quamobrem te præsto futurum ad ejusmodi offensiones ac detrimenta, quantum in te erit amovenda, ac repellanda omnino confidimus, et nostro in Polonia Nuncio præsidia omnia, quæ inesse in te poterunt, te propterea libentissime præstiturum. Hoc præclaro tuo exemplo cæteros cives tuos ad eximiam fidei defendendæ imitationem, et ad suum erga patriam ac religionem pernecessarium tuendum officium excitabis. Nulla re item melius divinam tibi clementiam conciliare et demereri te posse existimato. Apostolicam etiam hanc S. Sedem et nostram Pontificiam erga te caritatem præstantibus his tuis meritis mire devincies, ut nihil in te, tuamque Domum proficisci a Nobis possit, quod non perlibenter tibi delaturi simus. Interim ut aliquod paternæ nostræ in te benevolentiæ argumentum habeas, tibi tuoque filio, qui comes ac solatium laboris tui fuit, quemque propterea etiam peculiari dilectione complectimur et concedimus, ut quodcumque templum arbitratu vestro quotidie inviseritis, in eoque Deum precati fueritis, omnes eas indulgentias consequamini, quas acquireretis si Vaticanum hoc apostolorum principis templum adiretis. Demum apostolicam benedictionem tibi, tuoque filio, ac universæ tuæ familiæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 6 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXVIII.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO ARCHIEPISCOPO BERYTENSI,

AD CARISSIMUM IN CHRISTO FILIUM NOSTRUM
STANISLAUM AUGUSTUM POLONIÆ REGEM ILLUSTREM
NOSTRO ET SEDIS APOSTOLICÆ NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 martii 1773.

Venerabilis, etc. Cum Varsaviæ brevi celebranda indicta fuerint extra ordinem generalia Regni comitia ad Reipublicæ negotia tractanda, in quibus de rebus ad religionem etiam spectantibus actum iri accepimus; necesse esse duximus, ut inibi aliquis adsit, qui nostra et Apostolicæ Sedis speciali suffultus auctoritate omne studium, et operam impendat, ne aliquod in iisdem comitiis, vel eorum occasione, aut in eorumdem sequelam, sive Catholicæ religioni, sive libertati, et jurisdictioni ecclesiasticæ, sive demum Sanctæ Sedis, et inferiorum ecclesiarum juribus præjudicium inferatur. Hinc est, quod Nos ex commissi Nobis divinitus pastoralis officii debito orthodoxæ fidei indemnitati opportune providere, sedisque prædictæ, et Ecclesiæ jura sarta tecta undequaque tueri, et adversus quæcumque illis præjudicialia, quantum Nobis ex alto conceditur, constanter avertere cupientes; te, de cujus spectata in arduis nostris et ejusdem Sedis negotiis tractandis, fide, prudentia, et integritate, dexteritate, ac zelo plurimum in Domino fiduciam habemus, nostrum et ejusdem Sedis verum, legitimum et indubitatum procuratorem, actorem et negotiorum gestorem generalem et specialem, ita quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, auctoritate apostolica tenore præsentium facimus, constituimus et deputamus, tibique plenam et liberam potestatem, auctoritatem et facultatem, quam etiam aliis, prout tibi opportunum videbitur, communicare, subdelegare valeas; omnia, et singula, quæ in iis, quæ tibi a Nobis commissa fuerunt, Catholicæ religionis, Apostolicæ Sedis, et Ecclesiæ servitium respicientibus necessaria, seu quomodolibet opportuna fuerint, etiamsi talia forent, quæ sub generali concessione non venirent, et specialem notam, seu speciale mandatum requirerent, nostro et Sedis præfatæ nomine faciendi, gerendi et exequendi harum serie tribuimus et impertimur. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque. *Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 16 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO
CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 martii 1778.

Carissime, etc. Etsi nostra pro incolumitate Catholicæ in Poloniæ religionis officia ac studia ad Cæsaream Majestatem Tuam delata sæpe fuerint, atque a te libentissime excepta, tamen neque nimiam ac supervacaneam tibi visum iri nostram sollicitudinem, neque te non eodem animo, quo a Nobis deferuntur illa accepturum putamus, quæ rei magnitudine ac periculo commoti hoc tempore ad te perscribenda ducimus. Singularis enim ac summa tua pietas, et cum præclarissima laudum omnium hæreditate a majoribus tuis in te transmissus religionis tuendæ ardor ad ejusdem patrocinium suscipiendum te profecto eo acrius excitabit, atque impellet, quo graviore in discrimine versantem eam vides, et quo majore metu, atque angore Nos ipsi perturbati te propterea compellamus, tuamque opem ac tutelam exposcimus. Quomodo enim possumus taciti præterire aut non vehementer angi damnis ac detrimentis Ecclesiæ, cujus sollicitudo imposita est Nobis arctissimeque commendata? De cujus proinde removendis injuriis si non omnem industriam, atque operam adhibeamus, deserti ministerii nostri crimen ac turpitudo, atque æternæ etiam animadversionis severitas omnino est Nobis incurrenda. Siquidem videmus summum in discrimen adductam esse divini in Polonia cultus integritatem et in proximis regni comitiis plurimas imminere Catholicæ fidei calamitates, cum de labefactandis legibus pro illius incolumitate sancitis, et de florentissimis Ecclesiæ populis, atque huic S. Sedi conjunctissimis ab unitate fidei, atque a Nobis abstrahendis magnopere timeamus. Si in superioribus etiam comitiis permagnæ fuerunt sa. me. Prædecessoris nostri molestiæ, ac timores, cum ad reprimendos dissidentium conatus multi tunc adessent, atque acerrimi veritatis propugnatores : qui noster nunc animus, quæ doloris acerbitas esse debet, cum eorundem defensione Nos destitutos, atque imminutos gregis vigiles ac custodes, auctum autem esse numerum videamus segetes corrumpentium, et zizania in agro Domini spargentium. Nos quidem pro nostro æternæ animarum salutis et Domus Israel tuendæ studio quæcumque præstari, atque adhiberi a sacrorum duce, atque antistite potuerunt, eadem adhibuimus. Ecclesiæ ac religionis auctorem Deum O. M. et privatis nostris et publicis populi votis implorare numquam

intermittimus, atque enixe deprecari illum ut misereatur nationis ne religione semper optime meritæ, et integra, atque incolumi divini cultus sanctitate servata nullam ut ejusdem nationis partem removeri unquam a percipiendo maximo ac beatissimo Redemptionis beneficio sinat. Verum cum summus idem rerum humanarum Dominus in suis divinis largiendis præsidiis minime otiosam atque inertem hominum etiam operam esse velit, sed cum nostra fiducia, nostrisque ad illum precibus conjungi jubeat aptiores quasque humani subsidii, atque industriæ rationes, Majestatis Tuæ opem et præsidium quo nihil religioni tuendæ potest esse opportunius potissimum flagitamus, atque exposcimus. Te itaque quam maxime possumus in Domino hortamur, atque obtestamur, carissime in Christo fili noster, ad hanc per egregiam divinæ gloriæ navandam operam. Cum imperii tui dignitas fidei defensoris ac Ecclesiæ patroni tibi munus et nomen imponat, nihil certe antiquius tibi esse poterit, quam ut talem et nuncupari, et reipsa te esse declares. Nullus magis consentaneus ac debitus opum potentiæ, atque auctoritatis tuæ usus esse potest, quam in asserenda modis omnibus gloria cultuque Dei altissimi, cujus beneficio universa hæc habes accepta. Quamobrem omnino te confidimus præsidio eo ampliore, quo majore in periculo res versantur adfuturum Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Beryti ordinario nostro in Polonia nuntio in id idem nostro nomine incumbenti, et cæteris omnibus fidei causam, atque incolumitatem tuentibus, neque passurum ut cujusque infestus Catholicæ religioni animus magis in eadem oppugnanda aut in discrimen adducenda, quam tuum studium, tuaque auctoritas in defendenda aut munienda valeat. Deum Optimum Maximum precamur ut in Majestate Tua confirmet hanc tibi utilissimam sibique acceptissimam voluntatem, utque suo cælesti patrocinio, quo reges, regumque fortunæ sustinentur ob præclare defensam, ac conservandam avitam Poloniæ religionem Majestatis Tuæ felicitatem atque gloriam clariorem, atque ampliorem in dies faciat. Demum in paternæ ac singularis, qua te complectimur benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXX.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 martii 1773.

Carissima, etc. Ex nostris pro tuenda Catholica in Polonia religione ad Majestatem Tuam datis antea litteris intelligere potuisti, carissima in Christo filia nostra, quantam inde sollicitudinem ac mœrorem animo capiamus, quantamque spem ac fiduciam in tua singulari pietate, tuoque erga Ecclesiam patrocinio collocemus. Cum autem advenisse jam tempus illud videamus quo tempore omnino necesse sit partim illatis hactenus fidei, ac divini cultus integritati detrimentis mederi, partim multo gravioribus impendentibus malis constantissime obsistere, eisdemque omnes aditus obstruere, incredibilem in modum hujus periculi magnitudine ac propinquitate commovemur, et eo alacriore studio opem ac præsidium tuum exposcimus, quo magis illo indigemus. Allatum enim ad Nos est in proximis Regni iltius Comitiis quæ pericula ac dimicationes religioni immineant, quæ adversus Catholicam Ecclesiam molitiones fiant, atque ingentes Nobis sunt metus ac suspiciones injectæ magnos conatus futuros de labefactandis ipsis legibus pro fidei incolumitate sancitis, et de natione huic S. Sedi semper conjunctissima a Nobis, atque Ecclesiæ unitate hunc in modum divellenda; sed cum in iisdem Comitiis tuam auctoritatem ac voluntatem magnopere valituram intelligamus, mirum in modum recreamur, atque in tutelæ tuæ spe conquiescimus. In te enim tuoque de religione studio paratissima huic Ecclesiæ calamitati præsidia ac solatia fore omnino expectamus. Te populorum æternæ salutis et divinæ gloriæ studiosissimam certe nihil permissuram scimus de avita totius Poloniæ religione, nihil de Ecclesiæ, atque Ecclesiasticorum juribus detrahi, neque passuram ut cujusquam voluntas, atque auctoritas in labefactanda Ecclesia magis valeat, quam tua in defendenda. Proinde Venerabili Fratri Josepho Archiepiscopo Beryti ordinario nostro in Polonia Nuntio id ipsum nostro nomine satagenti præsidio tuo in dies ampliore, quod hactenus etiam summa cum laude præstitisti, nunc præsertim cum graviore in discrimine res versantur adesse ut velis, et omnem fidei ac religionis causam patrocinio tuo ut complectare a te summopere et petimus et confidimus. Hoc a te

singularis tua pietas, hoc divini cultus ardor, hoc imperii dignitas, et nomen quod sustines postulat. Nulla re profecto melius tuæ atque Augustissimæ tuæ Domus felicitati consuli, ac provideri abs te poterit. Si enim Dei Altissimi providentia ac nutu regum, regnorumque res et mutantur, et sustinentur, quæ potior divini conciliandi patrocinii erit ratio, quam si opes ac potentiam illius beneficio acceptas in ejus etiam tuenda gloria adhibeas, illamque rebus omnibus anteferre te profiteare? Magnam tibi alacritatem ad hanc egregiam religioni navandam operam adjiciat etiam cogitatio infinitæ ac immensæ calamitatis quæ aut neglecta illius tutela, aut remissiore quam necesse erat studio præstita facile esset redundatura cum malo in dies gliscente non solum de imminuendo, ac debilitando, sed de divino cultu in florentissimis antea Ecclesiæ regionibus omnino delendo, ac propterea de æterna innumerabilium animarum incurrenda pernicie, atque ærumna timeri possit. Cum tecum ipsa reputabis qui animi angores, quæ conscientiæ tuæ sollicitudines essent, si aliquando vel levissima dubitatio residere in te posset, ne eæ, quas commemoravimus Poloniæ calamitates a præsenti illius statu, ac rerum vicissitudine, aut ex non suscepto, quanta maxima cura, atque industria suscipi poterat religionis patrocinio derivarint, sedulo ac naviter amovebis profecto omnes hujusmodi et tui, et nostri mœroris causas, et divina gloria asserta perpetuæ jucunditatis tibi fructus comparabis. Deum Optimum Maximum precamur, ut in his religioni, atque Ecclesiæ pernecessariis tibi utilissimis, sibique acceptissimis perficiendis consiliis suæ cœlestis gratiæ auxilio Majestati Tuæ præsto esse velit: et divinorum beneficiorum auspicem ac Pontificiæ singularis in te caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, ac universæ Augustæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die* 20 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXXI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

VICTORIO AMADEO SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 27 martii 1773.

Carissime, etc. Diligenti ac sedula dilecti filii Laurentii Morelli opera usi sumus in rebus, quæ nostræ et hujus S. Sedis interessent, cum cl. mem. Carolo Emanuele Sardiniæ Rege patre tuo communicandis. Quo munere ea cum laude est ille quidem perfunctus, ut et optimi

regis sibi animum devinxerit, et Prædecessoribus nostris ac Nobis fidem, studium atque industriam suam magnopere probaverit. Quamobrem cum eundem parem diligentiam in rebus nostris deinceps adhibiturum, et tibi gratum et acceptum æque futurum arbitramur, idem illi munus apud Patrem tuum tamdiu gestum apud Regiam Majestatem Tuam nostro nomine gerendum demandamus, atque a te hisce nostris litteris petimus, ut illum ad te adeuntem, nostrosque paternos tibi sensus explicantem æquo animo excipias, fidemque in iis omnibus quæ ad te nostro nomine deferet, adhibeas. Hoc te libenter facturum speramus, carissime in Christo fili noster, atque illo interprete, et Majestati Tuæ summæ nostræ in te benevolentiæ atque amoris magnitudinem, et Nobis sua egregia studia et singularem in Nos pietatem fore in dies perspectiorem. In cujus Pontificiæ caritatis manifestius pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ atque universæ Regiæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 27 *martii* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXXII.

IMPERATRICI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 maggio 1773.

La preziosa lettera de' 30 del passato mese che Vostra Maestà ci ha fatto pervenire per mezzo del nostro Card. Visconti, riguardante la riduzione di alcuni Monasteri della sua Lombardia, ci porta una nuova conferma della sempre somma rettitudine delle sue intenzioni, e la contemporanea memoria con cui la ha fatta accompagnare dal suo degno Cancelliere di Corte, e di Stato al predetto nostro Ministro è pure un nuovo monumento del premuroso impegno di Vostra Maestà che nell'eseguirci la riduzione anzidetta, l'osservanza dei sacri canoni non sia trascurata : di che non possiamo mai commendare abbastansa la esimia ed ereditaria pietà sua. Sà infatti la Maestà Vostra che da questa essenzial vista non ci fu permesso di prescindere nell' aderire alle rispettabili sue premure, che la sicurezza della religiosa sua conformita alla divisata nostra avvertenza servi di conforto a quel ribrezzo, che sotto ai 21 dicembre 1771, con paterna amorosa apertura le confidammo si procava da noi; e sà parimenti che il debito del nostro apostolico ministero ci fece rammentar di bel nuovo la salvezza delle canoniche disposizioni, allorchè col Breve de' 17 octobre 1772 compartimmo al nostro Nunzio le facoltà desiderate. La nuova

conferma pertanto del suo si commendabil concorso nelle stesse nostre cautele e sollecitudini per l'osservanza delle canoniche sanzioni ci consola e ci anima tanto più a pregare fervorosamente la Maestà Vostra a degnarsi di prestare un benigno ascolto a quel che il Cardinal nostro Nunzio avrà da rappresentarle con la debita riverenza e fiducia intorno ai piani ideati. Nell' autorizzarne li stabilimenti con l'uso delle facoltà della Sede apostolica già impartito, scarso non troverà il Cardinal Visconti, ben informato della nostra propensione, a secondare al possibile quelle, che saranno ferme premure di Vostra Maestà. Alla medesima, siccome a Noi premerà principalmente, che il tutto si faccia in modo, che stabile consolazione ne risulti ad entrambi dinanzi a quel Dio, che ha sempre ampiamente premiato anche sulla terra quei Monarchi, che nella considerazione per il Clero, ne' riguardi per i fondi dedicati al sostentamento di esso, ed al divino suo culto, nella deferenza alla voce de' Romani Pontefici si sono contradistinti. Vostra Maestà è animata da questi principj, onde bene dobbiamo esserlo anche Noi di fiducia, ch' Ella sia per degnarsi di valutare quel che il nostro Cardinal Visconti le verrà esponendo su questo proposito. Con vera effusione di cuore diamo intanto alla Maestà Vostra e à tutta l'augusta sua Famiglia in nuova testimonianza dell' intimo nostro paterno affetto l'apostolica benedizione. *Datum Romæ, etc., die* 22 *maji* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCXXIII.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ VALBURGÆ SAXONIÆ,

ELECTRICI VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 junii 1773.

Dilectissima, etc. Reddidit Nobis eximium quod ad Nos misisti munus dilectus filius Joannes Ludovicus Bianconi, unaque præclaros tuæ in Nos voluntatis, atque in S. Apostolicam hanc Sedem observantiæ sensus accurate uberrimeque declaravit. Nos quidem peregregii operis pulchritudine mirifice delectati, miratique exquisitissimi artificii præstantiam magnopere sumus. Verum ex eo maximam jucunditatem cepimus, quod inde potissimum agnoscimus jam pridem Nobis perspectam regii animi tui magnitudinem cum singulari in nos studio conjunctam. Quare delectissima in Christo filia nostra, summas tibi gratias reddimus et habemus pro præstantissimo tuo munere quod vel

idcirco perlibenter excepimus, cum luculentissimum nostrum de te jamdiu factum amplissimumque judicium jucundissima virtutum tuarum recordatione confirmavit. Etsi enim Nobis in memoria insederit omnis veræ solidæque laudis species, quam elucere in te videmus, atque ex sermone tuo coram hausimus, tamen ipso muneris aspectu pietas, sapientia, ac propensissima tua in res divinas, atque in Ecclesiam voluntas menti nostræ potissimum est obversata. Ex hujusmodi gratissimi animi nostri significationibus facile existimabis, quantopere obstricti eximia tuorum in Nos meritorum accessione simus, et quanta existimationis ac Pontificiæ caritatis magnitudine te et ob proprias, ac singulares tuas, et ob communes Saxoniæ ac Bavariæ Domus laudes prosequamur. Demum in manifestius paternæ in te voluntatis argumentum cœlestium beneficiorum auspicem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 5 *junii* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXIV.

DILECTO FILIO

BEDÆ ABBATI MONASTERII ORDINIS SANCTI BENEDICTI

IN CIVITATE SALISBURGENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 junii 1773.

Dilecte fili, etc. Accepimus litteras tuas pietatis, ac observantiæ erga Nos atque apostolicam hanc Sedem plenissimas, unaque novissimum chronicon antiqui monasterii ad Sanctum Petrum Salisburgi quod quo animo quantaque vestrum existimatione excepissemus, ex iis facile potestis cognoscere, quæ qui reddidit dilectus filius Abbas Augustinus nostræque de vobis voluntatis significationibus adfuit, diligenter ad Nos perscripserit. Nihilo tamen minus nostras has ad te paternæ caritatis testes adjungimus litteras, quibus et gratias vobis plurimas reddimus pro illo litterario munere, et clariora pontificiæ benevolentiæ indicia damus, qua te tuumque ordinem adeo de Ecclesia Salisburgensi benemerentem prosequimur, atque ad ejusmodi eruditionis cumulanda decora etiam atque etiam excitamus. Quod reipsa quoque libentissime facturi sumus, si qua Nobis opportunitas aderit nostros hos in vos paterni animi sensus confirmandi. Interim in uberius pontificiæ caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque monachis pera-

manter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 9 junii 1773, pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXV.

DILECTÆ FILIÆ

JOSEPHÆ,

SUPERIORI MONASTERII MONIALIUM CAPPUCINARUM SALISBURGI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 junii 1773.

Dilecta, etc. Gratissimum Nobis fuit a vobis per dilectum filium Abbatem Augustinum receptum munus, a vestra scilicet pietate ac in res sacras studio profectum, effigies nempe infantis Jesu, qualis in Ecclesia vestra summa populi frequentia, ac ex omni Germaniæ concursu colitur. Eam Nos illo quo par est animi cultu excipimus tantaque erga te, dilecta filia, tuasque moniales paterna propensione, ut gratissimos Nos pro opportunitate vobis semper exhibituri simus, eoque etiam magis, quod ex precibus vestris ad infantem Jesum pro Nobis commissaque curæ nostræ Ecclesia fusis non mediocria in eandem promanatura commoda, atque utilitates confidamus. Quapropter vos etiam atque etiam pro paterna nostra caritate hortamur, ut in deprecationibus ad Deum vestris semper memores nostri Ecclesiæque sitis; Nosque invicem plurima te tuasque caritate prosequentes maxime faciles ac propensi erimus ad eas vobis concedendas apostolicæ hujus Sedis gratias, quas vestræ ac Fidelium isthuc confluentium devotioni pietatique fovendæ augendæque consentaneas in Domino judicabimus. Interim in paternæ nostræ erga vos benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecta filia, tuoque monasterio peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 9 junii 1773, pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXVI.

VENERABILI FRATRI

CLEMENTI WENCESLAO, ARCHIEPISCOPO TREVIRENSI,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI ECCLESIÆ AUGUSTANÆ ADMINISTRATORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 25 junii 1773.

Venerabilis, etc. Eximius Fraternitatis tuæ zelus, multis argumentis jampridem comprobatus, novo emicuit fulgore in supplici li—

bello Nobis tuo nomine porrecto, quo statum describens conventus Neoburgensis Ordinis FF. Minorum S. Francisci de observantia Recollectorum nuncupatorum Diœcesis Augustanæ, cujus administratio tibi commissa est, et collabentem in eo regularem disciplinam, ob intermissam nonnullis ab hinc annis ab ejusdem Ordinis Ministro Provinciali Provinciæ Bavariæ illius visitationem, et nondum sequutam ejusdem cum nonnullis aliis conventibus vel domibus religiosis similiter derelictis, erectionem in custodiam juxta indultum apostolicum a religiosis desuper impetratum Nobis hujusmodi præparationem, statum, progressum, et executionem concernunt, decernendi. Nec non circa divinum cultum, Ecclesiæ decorem, regularem disciplinam, religiosorum mores, et rerum temporalium dispositionem, aliaque omnia et singula ad actum hujusmodi visitationis quomodocumque pertinentia diligenter inquirendi; ac in præmissis omnibus et singulis quæcumque correctione, emendatione et reformatione indigere cognoveris, ad regulæ et constitutionum ordinis, nec non sacrorum canonum, constitutionum apostolicarum et concilii Tridentini præscriptum corrigendi, emendandi et reformandi abusus quoscumque tollendi, ac in primis divinum cultum, ecclesiasticam disciplinam et observantiam regularem, si in aliquo exciderint, modis omnibus restaurandi et reintegrandi; si quos in aliquos delinquentes repereris, juxta canonicas sanctiones et regularia instituta puniendi et castigandi, aliaque omnia faciendi, gerendi, statuendi, decernendi et exequutioni demandandi, quæ modo præmisso pro recto ejusdem conventus regimine, regularis observantiæ, religiosæque pacis et concordiæ confirmatione, vel restauratione magis in Domino expedire judicaveris, et cum omnibus et singulis aliis facultatibus ad id necessariis, et opportunis, quibuscumque in contrarium non obstantibus: contradictores atque rebelles, si qui fuerint, per censuras ecclesiasticas, aliaque juris et facti remedia, omni appellatione postposita, compescendo: invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Mandantes propterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis nostræ, aliisque arbitrio nostro imponendis pœnis omnibus et singulis prædicti conventus superioribus, fratribus et personis, cæterisque ad quos spectat ut te et personas ecclesiasticas a te, ut præfertur, subdelegandas in visitatores apostolicos a Nobis, ut præfertur, deputatos reverenter accipiant, tuaque, et illarum salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive pœnam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam habebimus, et faciemus, auctore Domino, usque ad condignam satisfactionem inviolabiliter observari. Non ob-

stantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, et ordinis atque conventus hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenoris præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut prædicta visitatione completa, quam intra spatium sex mensium absolvere curabis, omnia illius acta ad congregationem Venerabilium FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum, et regularium præpositam transmittas. Et si quæ tibi decernenda visa fuerint, quæ statum conventus, aut statuta Ordinis et sanctiones canonicas, aut præscriptum apostolicarum constitutionum immutent, ante executionem eidem Congregationi denuncies, nostram et Apostolicæ Sedis providentiam desuper expectando. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 25 *junii* 1773 *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 julii 1773.

Carissime, etc. Quamquam diuturnis calamitatibus atque ærumnis, quibus Poloniæ Status conflictatur, egregiam Majestatis Tuæ in religione tuenda voluntatem non modo non retardatam, verum etiam alacriorem in dies, tuumque erga Ecclesiam, atque Apostolicam Sedem studium, ac pietatem illustriorem semper futuram non dubitemus; tamen pro Pontificii ministerii munere, nostrique paterni in te amoris magnitudine obtinere a Nobis non possumus, quin te, carissime in Christo fili noster, ad præclaram hanc laudem in re præsertim quæ ad tuam, tuique regni veram ac solidam felicitatem una maxime pertinet, cohortatione etiam nostra excitemus. Cum inter omnia a Deo tibi impertita beneficia, primum ac maximum sit fidei, ac religionis ab illo munus acceptum, quo tibi ad regnum etiam patefactus est aditus; consentaneum est profecto, ut omnes item curæ cogitationesque tuæ sint ad hujus ipsius religionis incolumitatem ac tutelam conversæ.

Ad quam quidem labefactandam cum plures viæ rationesque sunt, tum fortasse ex ceteris periculosiores, quæ etsi non manifesta vi subito aggrediantur, tamen paulatim suis illam præsidiis, ac munimentis cum expolient, injuriæ ac detrimento accipiendo obnoxiam efficiunt. Si enim Ecclesiæ jura sensim infringant, si ecclesiasticos viros bonis ac prærogativis suis exuant, resque divino cultui consecratas, ac sacerdotum sustinendæ dignitati addictas detrahant; debilitatis sanctuarii ministris, et facultate gregis sui opitulandi privatis, necesse erit ipsam religionis sanctitatem pedetentim imminui, et sanctuarium demum vacuum ac desertum relinqui. Quapropter religionis ac fidei integritati præclaram operam te navaturum, et divinam clementiam mirifice tibi conciliaturum existimato, cum hujusmodi detrimenta, quantum in te erit, ab Ecclesia removenda curaveris, resque a prædecessorum tuorum munificentia, ac inclitæ nationis tuæ pietate domus Domini decori amplificando attributas, integras, atque incolumes præsidio tuo servaveris. Supervacaneum omnino ducimus, commemoremus arctissima, quibus reges adstricti sunt defendendæ Ecclesiæ, ejusque legum, jurium tuendorum officia, jurisjurandi religionem in ipsa regni inauguratione propterea susceptam, quæque a præclaris hisce exemplis ad populi imitationem utilitates derivent; hæc enim omnia intimis regii tui animi sensibus infixa penitus esse scimus. Illud tantummodo adjiciemus, te hoc Ecclesiæ declarato patrocinio incredibilem amorem atque existimationem universæ tuæ nationis tibi adjuncturum : ecclesiasticorum autem virorum singularia in te studia assiduasque ad Deum preces extituras, ut tibi divini cultus atque Ecclesiæ ejusque ministrorum tantopere studioso in hac etiam vita amplissima honoris ac gloriæ præmia tribuat, utque in Majestate Tua ratam ac firmam palam faciat cælestem illam suam pollicitationem, qua eum qui se honorificaverit, se item glorificaturum professus est. Demum finem cohortandi tui faciemus, teque ad Deum ac Ecclesiam ceteris rebus omnibus anteferendam beati Cœlestini I. Prædecessoris nostri ad piissimum Imperatorem Theodosium verbis impellemus; si quidem inquit « amplius pro pace ecclesiarum clementia vestra debet esse sollicita, quam pro omnium securitate terrarum; pro vestro imperio geritur quidquid pro quiete Ecclesiæ et s. religionis reverentia laboratur. » Parem in modum Majestatem Tuam Nos alloquimur tibique divini cultus atque Ecclesiæ rationes commendamus. Dum enim easdem studiis tuis complere, tuis tuique regni commodis te eximie provisurum existimamus. Habe, carissime in Christo fili noster, hæc indicia singularis nostræ de excellenti tua pietate fiducia, et summæ pontificiæ in te atque universam Regiam Domum tuam caritatis cætera

prolixius nostro nomine Majestati Tuæ coram referet Venerabilis Frater Josephus Archiepiscopus Beryti, cui benevolentia ac præsidio tuo præsto esse te porrecturum et confidimus, et a te magnopere petimus. Demum cœlestium benedictionum auspicem, et paterni in te animi nostri indicem apostolicam benedictionem Majestati Tuæ intimo cordis affectu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 24 *julii* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXVIII.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO PETRO PATRIARCHÆ ANTIOCHENO MARONITARUM

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 11 augusti 1773.

Venerabilis, etc. Incredibilem dolorem Nobis attulit, Venerabilis Frater, luctuosus in Cypro tuæ Maronitarum Ecclesiæ status, quam in gravissimo animarum salutis et religionis discrimine versari intelligimus. Si quidem ad Nos affertur non solum divinum cultum esse imminutum, et ecclesias sacris supellectibus spoliatas, verum etiam brevi tempore quam plures fide ipsa prodita ad schismaticorum errores, atque ad Mahumetis pravitatem transfugisse et majorem quotidie hujusmodi perniciem timeri cum ob clerum inopia oppressum terræque colendæ ac victui quærendo addictum vix quispiam populum in lege Domini instruat, atque idcirco pueri baptismo recepto, et christiano tantummodo retento nomine, revera in Turcarum moribus atque institutis adolescunt. Nos quotidie neque hæc accidere in vinea curæ tuæ commissa te ignorare arbitramur, neque te gregis tui periculo non summopere commoveri putamus, et officii tui recordatione et divini judicii timore excitatum te ad populi tui subsidium ultro occursurum et præteritorum malorum detrimenta qua par est cura ac sedulitate compensaturum esse omnino ducimus. Tamen pro summa Nobis imposita omnium ecclesiarum sollicitudine id ipsum a te poscimus, Venerabilis Frater, teque per viscera misericordiæ Dei nostri obsecramus, ut populi Christi sanguine redempti et custodiæ tuæ traditi te misereat, ut æternæ ab illo incurrendæ calamitates ad opitulandum te moveat, et tuæ demum animæ salutem ut agas, quæ a gregis tui salute disjuncta esse nullo modo potest. Optime enim nosti episcopali ministerio suscepto arctissime fidem tuam Deo esse obstrictam animarum quæ tibi sunt commissæ, incolumitatem te sedulo ac naviter curaturum, illis te in lege Domini ac

vitæ æternæ semita consectanda ducem ac magistrum futurum. Proinde hoc apostolico munere rite satagendo vides beatissimam immortalitatis vitæ tibi mercedem expectandam aut illo negligendo sempiternos luctus ac dolores omnino incurrendos. Quare dum divinæ gratiæ beneficio opportunitas tibi suppetit hujus maximi et qui unice ad te pertinet, peragendi negotii, age, Venerabilis Frater, et ad reparandas ovium tuarum aberrationes, et ad illas in Ecclesiæ ac fidei pascuis retinendas tua pastorali sollicitudine præsto esse velis, tuos in apostolico officio operarios ac ministros præsidio atque exemplo tuo adjuva, populum opera tua in religionis cognitione institue, atque ad pietatis studium excita. Qui et quam præclari ex hujusmodi labore fructus te maneant cogita; leves enim omnes propterea initæ curæ videri tibi poterunt, cum intuebere per amplam retributionem a pastorum Principe observatum gregem in villicationis tuæ ratione reddenda recipiendam. Deum O. M. precamur ut parem necessitati tibi animarum salutis ardorem injiciat, et quantum hactenus mœroris ex situ ac squallore tuæ Cypri Ecclesiæ cepimus, tantum lætitiæ, ac jucunditatis ex pastorali tua in agro Domini excolendo insumpta opera capiamus. Quo magis rata firmaque sint hæc nostra cœlestium donorum auspicem et nostræ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuoque universo populo peramanter impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die* 11 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXIX.

CLEMENS PAPA XIV.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Romæ, 13 augusti 1773.

Gravissimis ex causis nuper Nos per alias nostras in simili forma Brevis die XXI superioris mensis Julii expeditas literas, Societatem Jesu extinctam, atque suppressam decrevimus, et declaravimus, ac alias, prout in eisdem nostris literis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis haberi volumus, uberius continetur. Accitis postmodum die VI currentis mensis Augusti dilectis filiis nostri S. R. E. Presbyteris Cardinalibus Andrea S. Matthæi in Merulana Corsino, Mario S. Augustini Marefusco, Francisco S. Clementis Carafa, et Francisco Xaverio SS. Silvestri, et Martini ad Montes de Zelada respective nuncupatis, ac dilecto quoque filio nostro Antonio

S. Georgii ad Velum Aureum ejusque S. R. E. Diacono Cardinali Casali pariter nuncupato, nec non dilectis etiam filiis Magistris Vincentio Macedonio, et Onuphrio Alphano, Nos eisdem omnibus causas ipsas, totamque rei gestæ seriem, ejusque singulares etiam circumstantias aperuimus, ac uberrime patefecimus; perlectisque nostris literis prædictis, ipsi omnia per Nos gesta, et in eis contenta quam maxime, ac unanimiter commendantes, omnem promereri laudem agnoverunt, putarunt, ac crediderunt. Modo autem volentes, ut quæ in prædictis literis disposita, constituta, et præscripta sunt, debitæ executioni, ac juxta animi nostri sententiam committantur; hinc est, quod motu proprio, atque ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, unam erigimus, atque instituimus Congregationem ex supradictis quinque Cardinalibus ae duobus Romanæ Curiæ Prælatis, nec non ex duobus quoque Regularibus in Sacra Theologia præclaris, tanquam consultoribus a Nobis nominandis, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat, ut ea omnia, quæ in dictis nostris litteris constituta sunt, atque mandata suum assequantur effectum; et si aliqua in earum executione circa modum personas, et res olim ad Societatem ipsam spectantes suboriri imposterum unquam valeat dubitatio, Nobis prius consultis, tollatur ac declaretur. Eidem vero sic per Nos institutæ Congregationi, omnes et quascumque pro executione dictarum literarum necessarias, et quomodolibet oportunas facultates, etiam summarie, ac sine strepitu, et figura Judicii, sola facti veritate inspecta ac per inquisitionem quoque procedendi adversus omnes et quascumque Personas cujusvis status, gradus, qualitatis, et dignitatis existant, ac res, bona, libros, scripturas, supellectilia, aliaque ad Societatem prædictam jam spectantia retinentes, occupantes, et occultantes, easque tam sub Ecclesiasticis censuris, quam sub aliis arbitrio ipsius Congregationis imponendis pœnis ad earum revelationem, ac restitutionem cogendi, et compellendi, motu, scientia, et pari matura deliberatione tribuimus, et impertimur. Ne autem ea, quæ in Congregatione hujusmodi pertractanda atque discutienda erunt revelentur, et ad aliorum aures perveniant; omnibus, et singulis eandem Congregationem constituentibus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ ipso facto absque ulla declaratione incurrendæ a qua nemo absolutionis beneficium, præterquam a Nobis, seu Romano pontifice pro tempore existente, nisi in mortis articulo constitutus valeat obtinere, prohibemus, atque expresse interdicimus, ne ea, quæ quocumque modo in dicta congregatione proposita, discussa, aut definita fuerint, sub quovis prætextu, causa, vel quæsito colore patefacere, vel directe, aut

indirecte revelare valeant, aut præsumant. Præterea, attenta dictæ Societatis suppressione, et extinctione, omnes, et quascumque facultates, jurisdictiones, privilegia et auctoritates quorumcumque Collegiorum, Domorum, Ecclesiarum, et Seminariorum, ac Personarum ipsius sic extinctæ Societatis protectoribus, aliisque etiam S. R. E. Cardinalibus, et magno quoque Pœnitentiario super eis quomodolibet concessas, indultas, et attributas, motu, scientia, et deliberatione similibus suspensas pro nunc decernimus, et declaramus, atque omnimodam jurisdictionem, auctoritatem, et potestatem in iis omnibus quæ quoquomodo personas, Ecclesias, Domus, Collegia, res, et bona dictæ jam extinctæ Societatis respiciant, privative quoad omnia alia tribunalia, etiam quarumcumque congregationum eorumdem S. R. E. Cardinalium tam Concilii Tridentini interpretum, quam Consultationibus Episcoporum et Regularium, ac negotiis propagandæ fidei, ac disciplinæ regulari præpositorum, sublata eis quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, atque auctoritate, ad eandem congregationem per præsentes constitutam spectare, et pertinere statuimus, et jubemus. Volentes insuper, ut ad dictam tantummodo congregationem a Nobis, ut præfertur, erectam, privative pariter quoad alios quoscumque, et quæcumque alia tribunalia spectet quoque, et pertineat non solum providere, sive quæ Pœnitentiarios Basilicæ principis Apostolorum de urbe, sive quæ alios pœnitentiarios Almæ Domus Lauretanæ respiciunt, sed etiam viros doctrina, ac pietate præditos, in superiores, lectores, seu magistros domorum, collegiorum, et seminariorum hujusmodi eligere, ac deputare. Decernentes easdem præsentes literas firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores. Ac ejusdem S. R. E. Cardinales judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari: non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, vel literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, ac innovatis; quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, ad præmissorum effectum specialiter, et expresse

derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 13 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXX.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 14 augusti 1773.

Carissima, etc., Dilectus filius noster Antonius Eugenius S. R. E. Cardinalis Vice-Comes nostro nomine Apostolicæ Majestati Tuæ reddet, quam ad te mittimus musivo opere elaboratam tabulam, in qua ab ipso pontificatus nostri initio inchoata ac nuper absoluta augustum tuum filium Josephum electum Romanorum imperatorem una cum Leopoldo Magno Etruriæ duce affabre exprimi curavimus. Cum enim jam ex illo tempore testatam tibi esse cuperemus paternam nostram singularem in te voluntatem, nullam rem tibi gratiorem fieri neque ullum a Nobis proficisci posse ad te munus hoc acceptius duximus, quod liberorum imagines eo tibi cariores referret, quo magni, excellentisque animi indole, iidem tibi essent similiores. Nos quidem cum illos coram paucis abhinc annis Romæ vidimus, spectatoresque ac testes præclaræ eorum pietatis, religionis, dignitatis, omnisque laudis fuimus, incredibilem in modum gavisi sumus, singulari felicitate tua, quæ talibus Liberis te atque Augustam Domum divino beneficio ornatam ac munitam videres. Hujus ipsius felicitatis lætitiæque tuæ sensum per Nos auctum quodammodo ac multiplicatum iri censemus, cum illorum vultus hoc artificii genere expressos tibi frequentius usurpandos proponamus. Ex hujusmodi nostro gratificandi tui consilio perspectiora tibi futura eximia nostra in te studia confidimus, et quotiescumque hac jucundissima illorum imagine perfruere fore item, ut paternæ nostræ in te tuosque Liberos caritatis tibi in mentem veniat. Habe igitur, carissima in Christo filia nostra, hoc eximiæ nostræ in te voluntatis indicium atque illud eodem animo accipe, quo a nobis est profectum, nimirum Tuæ Majestatis studiosissimo tuæque Augustæ Domus magnitudinis ac gloriæ cupidissimo. Demum cœlestium beneficiorum auspicem et pontificiæ benevolentiæ testem, Augustæ Majestati Tuæ, universæque Regiæ Domui apostolicam benedic-

tionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 14 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXI.

DILECTO FILIO NOSTRO

ANTONIO EUGENIO,

S. R. E. PRESBYTERO CARDINALI VICECOMITI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, die 14 augusti 1773.

Dilecte, etc. Cum his nostris ad te litteris conjungimus alias, quas ad carissimam in Christo filiam nostram Mariam Theresiam, Romanorum Imperatricem electam damus, quasque illius Majestati abs te reddi cupimus una cum tabula musivo opere perfecta, quam illi dono mittimus. Ex litterarum earundem exemplo, quod una adjungimus, intelliges, quam luculenti sint paterni nostri animi erga Majestatem Suam et Augustam illius Domum sensus. Tamen eosdem in munere, ac litteris nostro nomine reddendis opera tua luculentiores etiam amplioresque fieri volumus, atque omnibus officiis abs te declarari mirificam ac summam nostram caritatem erga illam, ejusque ac nostrum item carissimum in Christo filium Josephum Imperatorem electum, ac cæteros omnes præclarissimos illius Liberos nostramque palam fieri fiduciam ac desiderium mutui Majestatis suæ atque illorum erga Nos retinendi studii, ac Austriacæ Domus pietati consentanei. Hæc te pro tua singulari prudentia ac sedulitate, quam in te semper experti sumus, egregie ex nostra voluntate peracturum non dubitamus, nosque diligenter de omnibus certiores facturum. Ac in pontificiæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, noster peramanter impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 14 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 augusti 1773.

Carissime, etc. Ad Regiam Majestatem Tuam mittimus Venerabilem Fratrem Aloysium Archiepiscopum Cæsareæ, qui nostri et Apos-

tolicæ Sedis ordinarii nuntii apud te munus peragat, atque ita peragat, ut singularem nostrum erga te amorem tibi in dies testatiorem, et mutuam inter nos conjunctionem assiduis officiis ac studiis constrictiorem faciat. Illum ut ad te adeuntem, qua soles regii animi tua humilitate, ac benignitate excipias, eique rebus in omnibus fidem habeas proinde ac si tecum præsentes Nos ipsi ageremus, a Majestate Tua majorem in modum petimus. Cum nostra causa te id libentissime pro tua in Nos pietate facturum confidimus, tum plurimum etiam daturam non dubitamus præstantibus egregii viri meritis, qui ad generis claritatem eximias animi dotes, religionis studium, integritatem, prudentiam, fidem adjungit. Huc accedit singularis ejus ac domestica laus, quæ a clarissimo viro tuæque Catholicæ Domus studiosissimo patruo suo tamquam præclara hæreditas est illa tradita, nimirum erga Majestatem Tuam mirifica observantia atque cultus, quam ob rem tibi etiam eundem commendatissimum atque acceptissimum fore arbitramur, verum quæcumque regii patrocinii ac favoris indicia abs te illi fuerint præstita, eadem Nobis gratissima futura tanquam tui in Nos amoris argumenta Nos reputaturos profitemur. Et paternæ nostræ summæ erga te caritatis pignus, ac cælestium beneficiorum auspicem apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, tuæque regiæ familiæ intimo cordis nostri affectu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub annulo piscatoris, die* 28 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

VICTORIO AMADEO SARDINIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 augusti 1773.

Carissime, etc. Etsi Majestati Tuæ in ipsis regni initiis, quibus maxime potuimus significationibus palam fecerimus, quam singularia sint nostra in te studia, quantoque animi ardore tibi prospera ac secundissima omnia a Deo deprecemur; tamen ea est nostra de religione, sapientia, ceterisque regiis virtutibus tuis opinio, ac tantopere noster inde profectus, atque erga te auctus est amor, ut obtinere a Nobis ipsis nullo modo valeamus, quin caritatis nostræ magnitudinem, si minus explicare satis possumus, testatiorem certe aliqua officii redintegratione faciamus. Patere itaque, carissime in Christo fili noster, ut paterno tam eximio in te animo morem quodammodo nunc

etiam geramus, novaque ad te transmittamus existimationis, studii, amorisque nostri indicia, quæ cum sint ex ipsa pietate ac religione petita, gratissima tibi atque acceptissima fore non dubitamus. Excipe igitur, quæ tibi dilectus filius comes de Partengo isthuc rediens nostro nomine reddet, sacrum a Nobis munus, duas scilicet Jesu Christi Servatoris nostri ejusque Beatissimæ Matris effigies in jaspide orientali sculptas, eoque animo excipe ut non ad rei pretium impar sane regiæ amplitudini tuæ, sed ad ejusdem sanctitatem respexisse videaris. Atque eam ut auctiorem redderemus, apostolicam benedictionem adjunximus, prætereaque apertis Nobis commissis Ecclesiæ thesauris Majestati Tuæ, quotiescumque festivis diebus Christi Domini beatæ Mariæ Virginis, sanctorum XII Apostolorum ac aliorum Sanctorum, quos in præcipuos patronos tuos delegisti confessus, ac sacra communione refectus coram ejusdem imaginibus preces tuas ad Deum pro Ecclesia, pro Nobis, pro tua tuæque Domus ac regni felicitate fuderis, plenariam peccatorum indulgentiam concedimus ac impertimur. Id cum studiose pro pietate in Deum tua sæpissime præstiteris, tibique hac etiam, quæ a Nobis suppeditatur, ratione divina præsidia comparare sategeris, maximum sane Nos operæ pretium fecisse videbimur, quod eum in modum comprobare tibi, et confirmare magnitudinem amoris in te nostri voluerimus. Magnopere cupimus, teque rogamus, ut id ipsum tibi etiam atque etiam persuadeas, carissime in Christo fili noster, a nobisque ea omnia semper expectes, quæcumque a paterna in te caritate nostra, et singulari ac summa, qua te complectimur, benevolentia proficisci unquam poterunt. Interim cœlestium beneficiorum, veræque felicitatis auspicem apostolicam benedictionem Majestati Tuæ, Liberis ac universæ Regiæ Familiæ intimo paterni animi sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 28 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXIV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ ANTONIÆ FERDINANDÆ,

SARDINIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 augusti 1773.

Carissima, etc. Jam pridem cum singulari animi nostri jucunditate optime perspectam habemus egregiam Majestatis Tuæ pietatem, et ab ipsis incunabulis haustam, ac magis in dies confirmatam divini cultus

studiosissimam voluntatem. Cumque hanc nostram ex tua excellenti virtute perceptam lætitiam tibi aliquo argumento comprobatam esse cupiamus illud hujusmodi indicii genus maxime consentaneum, et paterno nostro studio et religioni tuæ ducimus, quod incitandæ, atque augendæ huic ipsi tuæ in Deum pietati sit aptissimum. Itaque sacrum precatoriæ coronæ munus ad Majestatem Tuam mittimus, quam dilecto filio comiti de Partengo isthuc revertenti ad te deferendam dedimus. Pergratum hoc certe atque ad precandi usum peracceptum tibi futurum scimus ob apostolicam benedictionem a Nobis adjunctam, et præterea ex apertis Ecclesiæ thesauris aliud uberrimum eidem a Nobis additum pretium. Nam pro omnibus festis diebus Christi Domini Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum XII Apostolorum atque etiam Sanctorum, quos tibi præcipue in patronos delegisti, si confessa ac sacra communione refecta, eaque corona in tuis precibus recitandis usa fueris, plenariam tibi peccatorum indulgentiam apostolica auctoritate concedimus atque impertimur. Ad hanc religiosam erga te liberalitatem ultro devenimus, carissima in Christo filia nostra, tua eximia pietate excitati, quam non solum tibi fructuosam, sed Nobis item perutilem fore arbitramur. In tuis enim ad Deum precibus, cum sanctæ Ecclesiæ rationes illi commendaveris, nostri etiam, quibus ejusdem regendæ gravissimum est munus impositum, non immemorem pro tua in sanctam hanc Sedem devotione te futuram omnino confidimus, idque a te magnopere flagitamus. Cum igitur, carissima in Christo filia nostra, persuasum est Nobis non mediocrem factum iri, ex hoc munusculo nostro pietatis tuæ accessionem, vehementer optamus, ut illud etiam penes te habere velis tamquam monumentum pontificiæ caritatis, qua te singulariter prosequimur, quaque Majestati Tuæ, atque universæ Regiæ Domui prospera, ac secunda omnia a Deo Optimo Maximo precamur, ac divinæ gratiæ auspicem apostolicam benedictionem intimo paterni animi sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 28 *augusti* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
CAROLO THEODORO DUCI, SULZBACENSI COMITI,
PALATINO RHENI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI
CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 septembris 1773.

Dilectissime, etc. Verissimum itemque amantissimum est tuum

de singulari nostro in te amore judicium, dilectissime in Christo fili noster, et quod scribis de egregia tua propensæ nostræ in te voluntatis fiducia, id ipsum Nobis est jucundissimum, et paterno in te animo omnino consentaneum. Nihil enim magis cupimus, quam ut tibi reipsa confirmemus, te ob singularia tua in Nos ac Sanctam Sedem merita mirifice a Nobis diligi, plurimique fieri et quæ a Nobis gratificandi tui causa proficisci valeant eadem non a te magis expectari, quam a Nobis ipsis ut tibi præstemus optari. Propterea, quæ litteris tuis die XIX maii datis postulasti, diligentissime studiosissimeque cognoscenda suscepimus, atque omnia, quæ ad rem pertinent summa cura conquiri, et ad Nos afferri jussimus. Id itaque tibi, dilectissime in Christo fili noster, jam nunc affirmamus, Nos quatenus apostolici ministerii officio minime impediemur, et quantum pro rei gravitate, et Sanctæ Sedis dignitate Nobis erit integrum, libentissime curaturos, postulatis ut tuis fieri satis possit. Id tibi persuasissimum nunc esse volumus, et cum de omni re perspecta atque absoluta certiorem te faciemus, summopere optamus, ut ejusmodi sententiæ nostræ ratio et postulationi tuæ, et amori nostro, ac moris tibi gerendi desiderio maxime consentiat. Interim summæ, qua te complectimur pontificiæ caritatis testem, et cœlestium beneficiorum auspicium apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, atque universæ electorali domui tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die* 4 *septembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 septembris 1773.

Carissime, etc. Aderit istic cum hisce nostris ad Regiam Majestatem Tuam litteris Venerabilis Frater Josephus Archiepiscopus Seleuciæ cui eximium nostri et hujus Sanctæ Sedis apud te ordinarii nuntii munus imposuimus. Atque is quidem qua animi præstantia sit vel ex ejus singulari in omnem Borbonicam Domum observantia facile cognosces. Præterea præclari sui generis nominisque splendorem minime ambigimus, quin pietate, morum integritate, ingenii candore rerumque agendarum dexteritate æquaturus sit vel etiam amplificaturus. Quibus certe virtutibus si Majestati Tuæ satisfaciet, eundem Nos

quem carissimum habemus, multo adhuc acceptiorem Nobis futurum esse fatemur. Majestatem itaque Tuam etiam atque etiam rogamus ut ipsum et nostra causa, et suo etiam merito, qua soles, regia humanitate tua excipias, tandemque in omnibus rebus præstes fidem, quam Nobis ipsis, si tecum præsentes loqueremur, adhiberes. Atque inter res a Nobis sibi commissas illud sane est præcipuum, ut egregiam nostram ac perpetuam erga te tuumque regnum voluntatem declarare numquam intermittat. Facies igitur pro tua in Nos, ac Apostolicam hanc Sedem perspectissima pietate, si hominem regia gratia tua, ac patricinio foveas, atque hac etiam re confirmes Nobis mutuum tuum in Nos amorem summæ illi paternæ caritati parem qua te singulariter complectimur, quoque Tuæ Regiæ Majestati intimo cordis nostri sensu apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 6 *septembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 8 septembris 1773.

Carissime, etc. Etsi certissimis indiciis luculenter testatum Majestati Tuæ sit quantopere pacis et mutuæ inter omnes confirmandæ caritatis percupidi simus, tamen quo quibusque arctiore benevolentiæ vinculo adstringimur, et quorum consensionem magis ad communem utilitatem conferre ducimus, eo uberiorem ex eorundem conjunctione jucunditatem cupimus. Propterea ex redintegrata, ac dilectissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hispaniarum Infanti nepoti tuo pristina Majestatis Tuæ reddita gratia incredibilem in modum lætati sumus, et tibi, ac Nobis ipsis vehementer gratulamur. Siquidem ad Nos attinere, nosque propius attingere existimamus, quæ ad Majestatem Tuam omnemque regiam tuam familiam pertinent. Quid enim pro nostri in te amoris magnitudine, et publicæ utilitatis studio Nobis optabilius ac jucundius potest contingere, quam ut mutua quemadmodum sanguinis, ac propinquitatis, ita benevolentiæ item necessitudine semper egregie munitam videamus Domus vestræ felicitatem cum communi omnium felicitate, et cum Ecclesiæ ipsius tranquillitate tantopere conjunctam? Deum Optimum Maximum summo animi ardore exposcimus, ut lætitiam hanc nostram, quam tibi significare, et tecum

hisce literis communicare voluimus, firmiorem atque in dies arctiorem esse faciat : utque et tibi majores quotidie causæ existant amplificandæ eximiæ erga nepotem tuum voluntatis et ille officia omnia adhibeat ad promerendam hanc tuam sibique studiosissime magis devinciendam benevolentiam. Cœlestis gratiæ præsidio firma ac rata futura vota hæc nostra confidimus, atque interim apostolicam benedictionem divini hujus beneficii auspicem et summæ paternæ nostræ, qua te complectimur, caritatis testem tibi, carissime in Christo fili noster, et universæ Regiæ tuæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 8 *septembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXVIII.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ WALBURGÆ, SAXONIÆ ELECTRICI VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

In Arce Gandulphi, 25 septembris 1773.

Dilectissima, etc. Nullum præclarius Nobisque jucundius abs te munus, dilectissima in Christo filia nostra, potuit accidere, quam quod nuper ad Nos misisti textili opere affabre elaborato egregie depictam imaginem tuam. In ipsa oris similitudine ac lineamentis, ut dignitatis atque amplitudinis tuæ speciem agnovimus, ita excellentem etiam animum tuum et singulare in Nos ac Sanctam hanc Sedem studium ac pietatem in memoriam revocavimus. Itaque et eximio artificio, et præstanti officio tuo incredibilem in modum delectati sumus, et munus tuum pari voluntate excepimus, qua a te est profectum nimirum erga te propensissima, tuisque insignibus, Nobisque optime coram perspectis virtutibus consentanea. Intimos hos pontificiæ caritatis et gratissimi nostri erga te animi sensus accurate pro suo more tibi perscripsisse non dubitamus dilectum filium Jo. Ludovicum Bianconum, cui luculenter eosdem declaravimus. Interim collocari jussimus eximiam picturam atque effigiem tuam in Quirinalis Palatii nostri illustri et conspicuo loco, ut tuæ in Nos pietatis studia et sæpissime Nobis in oculos incurrant, et omnibus sint testatissima. Vehementer cupimus plurimas Nobis opportunitates suppeditari, quibus invicem paternum nostrum in te animum præclare tibi hactenus cognitum uberioribus tamen indiciis confirmare magis in dies possimus, cujus vadem ac cœlestis gratiæ auspicem apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, tuæque universæ Electorali Domui

amantissime impertimur. *Datum in Arce Gandulphi Albanensis Diœcesis, sub Annulo Piscatoris, die* 25 *septembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXXXIX.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGI FIDELISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 2 decembris 1773.

Carissime, etc. Ad Regiam Majestatem Tuam mittimus Venerabilem Fratrem Bernardinum archiepiscopum Petrensem, qui nostri et Apostolicæ Sedis ordinarii Nuntii apud te munus peragat, atque ita peragat, ut singularem nostrum erga te amorem tibi in dies testatiorem, et mutuam inter Nos conjunctionem assiduis officiis ac studiis constrictiorem ac devinctiorem faciat. Illum ut ad te adeuntem, qua soles, regii animi humanitate et benignitate excipias, eique rebus in omnibus fidem habeas, perinde ac si tecum præsentes Nos ipsi ageremus, a Majestate Tua majorem in modum petimus. Cum nostra causa te id libentissime pro tua in Nos pietate facturum confidimus, tum plurimum etiam daturum non dubitamus præstantibus egregii viri meritis, qui ad generis claritatem eximias animi dotes, religionis studium, integritatem, prudentiam, fidem adjungit. Huc accedit ejusdem erga Majestatem Tuam mirifica observantia, atque cultus, quamobrem tibi etiam eumdem commendatissimum atque acceptissimum fore arbitramur. Verum quæcumque regii patrocinii ac favoris indicia abs te illi fuerint præstita, eadem Nobis gratissima futura tanquam tui in Nos amoris argumenta Nos reputaturos profitemur. Et paternæ nostræ summæ erga te caritatis pignus ac cœlestium beneficiorum auspicem apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, Tuæque Regiæ Familiæ intimo cordis nostri affectu amantissime impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 2 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXL.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

FERDINANDO REGIO HISPANIARUM INFANTI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 2 decembris 1773.

Dilectissime, etc. Incredibilem sane lætitiam cepimus ex amantissimis litteris tuis, omnique in Nos amoris, pietatis, ac filialis observantiæ significatione plenissimis. Cum te semper mirifice ac singulariter dilexerimus, tuasque res omnes perinde ac nostras paterno summo studio prosequuti sumus, nihil profecto accidere Nobis jucundius a te potuit, quam hujusmodi amori in te nostro eam nunc a te reddi vicem, qua eximia tua in Nos voluntas præclare perspicue constare posset. Plurima sæpe clarissimaque ad Nos ejusdem tui in Nos animi delata sunt indicia, quibus magis in dies ad amorem tui, tuæque pietatis ac religionis laudem accenderemur. Dilata etiam nostræ ad te invicem gaudemus eximiæ caritatis testimonia, vel cum filius tibi in tanta Domo tuarum virtutum futurus hæres natus esset, vel cum depositas esse simultates omnes teque in gloriosissimorum regum avi ac patrui, parentum pæne tuorum, gratiam receptum fuisse prolixis ad eos scriptis litteris, tuique studiosissimis gratularemur. Quæ cum tibi nostræ in te benevolentiæ magnitudo perspecta fuerit, eum in Nos ac Sanctam hanc Sedem accedere pietatis tuæ cumulum voluisti, ut quidquam opportunius Nobisque acceptius ne excogitari quidem potuerit. Interponere te scribis apud eosdem carissimos in Christo filios nostros avum, proavum et patruelem tuum, præstantissimos reges plurima atque eximia officia, ut offensionum omnium, quæ ante nostrum pontificatum inciderunt, quamquam ex animis sublatæ eæ omnino sint reliquiæ etiam omnes et vestigia tollerentur, ditionesque proinde Avenionis, Beneventi, et Pontis Corvi ad pristinam ejusdem Sanctæ Sedis possessionem redirent. Majores quidem ac uberiores causæ, cur immortales tibi gratias habeamus, nullæ Nobis esse possunt. Præclare profecto nosti, quanto Nos pacis et concordiæ desiderio teneamur, præsertim cum Borboniæ Domus amplissimis regibus, quorum summa in Nos, in hanc Beati Petri Cathedram, in Ecclesiam universam merita extiterunt, neque jam Nobis ulla inesse dubitatio poterat, quin ipsi pro eorum religione ac sapientia illi nostræ apostolico muneri convenienti consensionis, et concordiæ cupiditati suo essent studio, opera animique magnitudine responsuri. Sed nunc, dilectissime in Christo fili noster, tanto certius in pulcherrimam

hanc spem ingredimur, quanto te magis ab illis et ob necessitudinem, et ob regias virtutes tuas diligi perspicimus. Hæc ipsa etiam officia fore vel idcirco iis jucundissima certi sumus, quod tuæ laudis ex hujusmodi egregio facto profectæ sint, percupidi; proinde libentissimo animo consensuros inter se putamus ut nimirum, unde simultatum occasio extiterit, inde concordiæ etiam initia a tua singulari virtute deducta existant. Nos profecto ea esse tua in Sanctam hanc Sedem merita fatemur, ut gratissimas habituri simus opportunitates omnes, quibus tibi singularis paternæ nostræ caritatis sensum comprobemus. Interim Deum Optimum Maximum precamur, ut suæ gratiæ benignitate virtutes tuas magis in dies augeat, teque veræ felicitatis, et gloriæ, quæ nunquam defectura sit, compotem reddat. In cujus auspicium ac pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque præstantissimæ conjugi, vestroque recens nato filio, ac universæ tuæ Regiæ Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die secunda decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, die 10 decembris 1773.

Carissime, etc. Nihil ad Majestatem Tuam Augustamque Nobis carissimam Domum pertinere ullo modo potest, quod paternum animum nostrum singulari tibi studio conjunctissimum non vehementer afficiat ac percellat. Facile proinde potes cognoscere, quanto dolore acceptis litteris tuis perculsi fuerimus, quibus lugubri sane officio tristissimum nuncias Nobis obitum dilectissimæ in Christo filiæ nostræ Annæ Carolinæ amitæ tuæ. Quam Nos partem tui hujus luctus pro paterna nostra tecum necessitudine jure capturos existimasti, eamdem cumulatissime cepimus, ac propterea pro illa, quam declaras de hujusmodi nostra pietate fiducia obsequuti statim non minus nostræ voluntati sumus, quam tuæ atque ad exorandam Dei O. M. clementiam pro defunctæ Principissæ immortali requie cogitationes nostras convertimus. Leniri aliquantulum posse communem hunc dolorem nostrum putavimus, si una et in divinam misericordiam, et in illius mores ad christianæ religionis instituta compositos intueremur. Accedere porro etiam debet mirifica illa ex divina fide hausta consolatio, ut nimirum

voluntatem nostram ad Domini omnia in bonum disponentis arbitrium conformemus. Quod cum fecerimus, utilissimum animæ suæ, et certissimum nostræ in eam pietatis argumentum extabit. Demum ut salvus ipse ac sospes ad certissimum christianæ reipublicæ præsidium semper vigeas, a Deo precantes in eximium etiam paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die* 10 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLII.

VENERABILI FRATRI

JOACHIMO ARCHIEPISCOPO THEBARUM,

REGIS CATHOLICI CONFESSARIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 decembris 1773.

Venerabilis, etc. Accepimus litteras tuas die XXVI octobris datas, in quibus quod antea perspeximus, studium tuum erga seraphicum Observantium Ordinem mirifice confirmas, accurateque rationes exponis, quibus ministri generalis electiones non jam ut antea per generalia capitula, sed per compromissi viam fieri debere judicas, ut eo nimirum modo et magnus Electorum numerus, et diuturna multorum itinera, et ordinis impendia, et regularis observantiæ detrimenta, ipsorumque comitiorum perturbatio vel omnino tollatur vel plurimum imminuatur. Nos quidem ea in te caritate tuæque virtutis existimatione sumus, ut nihil magis cupiamus, quam gerere tibi morem, Venerabilis Frater, ac tuo animo tam de illius ordinis splendore ac sanctitate sollicito, apostolicæ auctoritatis ope opportune satisfacere. In quo profecto Nos ipsi amori in eundem ordinem nostro, ac etiam pontificio quo fungimur muneri una satisfacere optaremus. Sed tua hujusmodi cura excitati dum in eo sumus, Venerabilis Frater, ut singula, quæ proposita a te sunt, revolvamus animo diligenterque perpendamus, res plurimæ consultationis videtur esse, ut non tam facile quidquam adhuc certo statuere valeamus. Ab eo nimirum consilio suscipiendo Nos vehementer deterret ac retrahit tanta in ipsum ordinem inducenda novitas quæ præterquam quod vetustis Instituti regulis, apostolicis constitutionibus, inveteratæ consuetudini adversatura sit, ipsa per sese etiam plurimorum dissidiorum, ac perturbationum causa esse posset, dum maximæ parti ad suffragia jus tolle-

ret, ac ejusdem Ordinis unitatem semper per generalia capitula confirmatam quodammodo disjungeret ac solveret. Illa præterea utilitate tunc carendum esset, quæ præcipua ex omnium nationum celebritate de ministro generali creando tantum agitur, sed ea opportunitate in commune etiam consulitur, si quid reformandum, corrigendum sit ac de integro statuendum, quid tempora, quid necessitates exposcant, cognoscitur ab omnibus et decernitur. Exemplum porro S. M. Clementis VII Prædecessoris nostri quod affers, Venerabilis Frater, majorem habet profecto ad Nos a compromisso deducendos, quam ad idem impellendos vim. Cum enim semel capitula generalia per suas in forma Brevis litteras cum compromissi via commutasset, ea statim consecuta sunt quæ ipsum ad revocanda comitia generalia abolendumque compromissum impulerunt, ut patet ex ejusdem constitutione in forma Brevis die II Augusti 1533, data quæ incipit « Nuper cupientes ». Illud præterea in hac gravissima re verendum Nobis est, ne quid temere fecisse videamur, si nimirum partes, quarum interest, non auditæ a Nobis ante fuerint, omniumque in commune consulentium sententiæ non exploratæ. Itaque Venerabilis Frater, ex his optime vides nullum a Nobis nunc consilium suscipi oportere sed expectandum propterea videri proximi Capituli Generalis tempus. In illo si pro compromisso præpositæ, expensæ, probatæque rationes fuerint, atque ad judicium nostrum per ejusdem capituli preces delatæ tum Nobis facile futurum erit ea statuere, quæ divinæ gloriæ ratio Seraphici Ordinis utilitas et commune universorum bonum exposcere in Domino videbuntur. Qua quidem in re dum Nos consilio nostro quantum in Nobis est, et aliorum etiam doctrina facile, ac sapientia usuri sumus, potissimum divina ope quam enixe implorabimus, nitemur. Quod jam de capituli generalis expectanda sententia dicimus, idem etiam ad Discretorium Generale extendimus, si illud ipsum habitum ante vel post generale capitulum de compromisso ad Nos innixas gravissimis causis preces detulerit. Demum quod postremum est tuæ epistolæ caput, Venerabilis Frater, in quo de exploranda ante cujusque religiosam professionem multo accuratius, quam factum hactenus sit, vocatione agis, optamus Nos majorem in modum, ut id etiam in proximo Capitulo Generali pertractetur, rationesque Nobis afferantur, quibus id ipsum optime ac utilissime confici possit. Nihil dubitamus, Venerabilis Frater, pro tua perspectissima in Nos pietate ac observantia, quin hæc omnia eo, quo maxime volumus excipias animo, ac existimes nihil Nos libentius unquam acturos esse, quam quod et Seraphici Ordinis decori et præclaro tuo in illum studio sit consentaneum. Ac in singularis nostræ erga te caritatis pignus apos-

tolicam benedictionem Fraternitati tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 16 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 decembris 1773.

Carissimo, etc. Gratum Nobis vehementer fuit post extinctum societatis Jesu ordinem plurimas istic quemadmodum in cæteris catholicis ditionibus, publice suscipi curas de optime supplenda, constituendaque Polonæ juventutis institutione proindeque novem creatos esse magnæ dignitatis viros, inter quos sunt Venerabiles Fratres Vilnensis et Plocensis Episcopi, quibus gravissimum hoc litterarum negotium commissum sit. Id cum a te præcipue, carissime in Christo fili noster, dirigi, tuaque regia auctoritate maxime confici debeat, has ad Majestatem Tuam litteras dare decrevimus, quibus tibi declaremus quantum pro singulari consilio, ac sapientia tua confidamus fore, ut id optime vigilantia tua tuisque auspiciis constituatur. Quod certissima tuæ virtutis opinione inducti facimus; tibi enim maxime ante oculos obversatum iri arbitramur, quantum ex hac cura tua cum religio, tum respublica proficere possit, ùt scilicet et hæc ornatissimis civibus et instructissimis illa ecclesiastici ordinis ministris redundet, ac floreat. Ab egregia enim eorum, qui nostræ ætati succrescunt, educatione sperari tantummodo expectarique imposterum debent uberrimæ eximiæque et in sacra et in civili societate utilitates. Quod cum ipse præclare pro tua prudentia intelligas, connitendum tibi nunc est, ut ea juventutis educandæ ineatur ratio, quæ optimis, atque integerrimis perpetuo constare possit, et doctrinis et magistris; atque idcirco illud tibi potissimum prospiciendum erit, ut quæ facultates ad religionis dogmata ac disciplinam referuntur, sacra nimirum theologia, et canonicum jus Ecclesiæ auctoritati subsint. Quam quidem auctoritatem a Majestate Tua pro regio munere necesse est, omni ope, opera et conatu in republica retineri ac defendi. Præter facultates has duas cetera etiam seu privatis, seu publicis in scholis studia subjecta esse Episcoporum curæ debent iis omnibus in rebus, quæ ad religionem, moresque pertinent, neque magistro cuiquam docendi potestas fieri, quin prius fidei professionem in manus ordinarii sui emiserit, quæ

quotannis erit renovanda, ut sacri canones, ac ipsa etiam generatim recepta inter catholicos consuetudo præscribunt. Sed hæc prolixius tibi commemorare, quæ tu optime nosti, necesse non est. Illud sane persuasum Majestati Tuæ esse majorem in modum cupimus, plurima Nos animi jucunditate affectos fuisse, cum intelligeremus, ab eo rege, qui pietate non minus quam consilio præstat, istam esse curam, qua et de religione et de republica optime mereri possit, ac immortale sui nominis decus apud suos comparare, et ad posteritatem transmittere. Facile enim quisque videt summam iis deberi laudem qui sua opera, ope, ac potestate ad optimam juventutis institutionem ita usi sint, ut egregia ac perpetua religionis, morum, publicæ tranquillitatis, erga patriam amoris, erga regem obsequii fundamenta jecerint. D. O. M. enixe precamur, ut Majestatem Tuam in hoc tibi patefacto veræ gloriæ spatio decurrentem sua cœlesti gratia sustentet, ac adjuvet, deque tua regnique tui felicitate vota nostra rata faxit, quæ cum apostolica benedictione conjungimus, quam tibi, carissime in Christo fili noster, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 18 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLIV.

VENERABILI FRATRI

IGNATIO EPISCOPO VILNENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 18 decembris 1773.

Venerabilis, etc. Magnopere gavisi sumus, Venerabilis Frater, cum te in eorum esse numero intelleximus, quibus ordinandorum studiorum rationisque statuendæ, qua in Poloniæ regno institui juventutem oporteat, gravissimum nuper est munus demandatum. Nam cum leges propterea sanciendæ pertinere plurimum ad mores, pietatem et catholicæ etiam religionis integritatem possint, pergratum Nobis fuit te iisdem ferendis non solum affuturum, sed præfuturum etiam, cujus pastoralem in rebus hujusmodi vigilantiam optime cognitam et compertam habemus. Nihilominus pro apostolica etiam nostra omnium ecclesiarum sollicitudine in re maximi ad fidei incolumitatem momenti, et quæ proinde episcoporum diligentiam excitare summopere debet, ad hanc tuam eximiam alacritatem studia etiam cohortationesque nostras adjungendas duximus. A te itaque petimus, Venerabilis Frater, teque quam maxime in Domino possumus adhortamur, ut

omnem industriam tuam in eo colloces, ut ne quidpiam vestris decretis ac legibus de episcoporum debita vigilantia detrahatur, quibus rerum ad religionem spectantium omnino omnis attributa esse opera debet. Propterea tibi vehementer est satagendum ut qui juventutem instituunt, episcoporum curæ atque auctoritati subjiciantur, præsertim in iis rebus, ac disciplinis, quæ cum religionis ac fidei institutis magis nexæ, et colligatæ sint. Proinde ut sui erga religionem officii identidem commoneantur, illud etiam curandum, ut omnes disciplinarum magistri in inchoanda institutione, et singulis deinde annis, prout in aliis etiam lyceis fit, coram episcopis fidem catholicam profiteri debeant. Cum vero scholæ pro episcoporum seminariis ex Tridentini concilii legibus institutæ in episcoporum item potestate sint positæ, hoc etiam diligentiæ tuæ erit, ne quid huic constanti in Ecclesia legi derogetur. Nos quidem rei gravitate inducti ad carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniæ Regem Illustrem dare litteras voluimus, quibus illi hanc religionis curam in statuendis de ratione studiorum legibus, et in episcoporum propterea tuenda auctoritate vehementer commendamus. Sed te multa qua polles apud regem gratia commendationem nostram plurimum adjuturum, et omnem ea de re cogitationem nostram diligentia tua, et qua instructus es, rerum intelligentia, ad eos quos optamus, exitus perducturum confidimus. Hunc in modum episcopali tuo muneri mirifice satisfacies, rectæ juventutis institutioni consules, et paternam singularem nostram erga te caritatem amplificabis. In cujus egregii erga te pontificii nostri animi argumentum apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuoque universo populo peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 18 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

Eodem Exemplo Episcopo Plocensi.

CCXLV.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

FERDINANDO UTRIUSQUE SICILIÆ ET HIERUSALEM

REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 28 decembris 1773.

Carissime, etc. Summæ paternæ nostræ in te caritatis ac omnium officiorum genere plenissimas jam tum ad Regiam Tuam Majestatem litteras dedissemus, cum primum pro tui animi magnitudine pristinam Beneventi ac Pontis Corvi possessionem ad Nos deferres. Sed has

deferendæ gratiæ partes retardare ac remorari voluimus, ut Avenionis et Comitatus Venaisini etiam accessione conjunctissimorumque tibi regum consensione easdem cumulatissimas, ac lætitiæ jucunditate refertas persolveremus. Mirifico sane gaudio afficimur ob restitutas Nobis antiquas illas Sanctæ hujus Sedis Ditiones, neque quidpiam ab ejus jure detractum, atque imminutum. Sed magis etiam gaudemus eo præclarissimo facto mirifice comprobari illas, quas semper Borboniis Regibus deberi laudes agnovimus, æquitatis, sapientiæ, religionis ac in Nos atque hanc Beati Petri Cathedram pietatis; ratasque factas esse spes nostras, quas de vobis vestraque virtute intimo animi nostri sensu fovebamus. Cum enim summa esset in Nobis vestrum omnium cum singulari paterno amore conjuncta existimatio, majorem sane in modum confidebamus, fore ut non solum simultates omnes quam primum deponerentur, sed clarissima etiam extarent mutuæ inter Nos consecuti jam simus, tantasque nunc a vobis habeamus lætandi causas, eas tibi, carissime in Christo fili noster, reddimus gratias, quas reddere maximas possumus in teque omnia gratissimæ voluntatis nostræ studia atque officia cumulamus. Quæ cum tibi plenissime adhibere ac præstare contendimus, a te etiam atque etiam petimus, ut omnino tibi persuadeas nihil Nobis imposterum antiquius fore, quam ut initam confirmatamque inter Nos concordiam et consensionem novis constringamus, atque in dies amplioribus mutuæ inter Nos pietatis testimoniis uberrima ad te pro sua fide, ac singulari diligentia perscripturum confidimus dilectissimum filium nostrum Dominicum S. R. E. Cardinalem Ursinum, intimos hos animi nostri sensus, quos eidem coram luculenter significavimus. Interea pro Nostro in te summo studio plurimum tibi de tua virtute gratulamur. Ejus consectandæ nulla expeditior tibi esse ratio potest quam si gloriosissimi Parentis tui exemplis insistere pergas, quæ et conspicua per se ipsa sunt et facilius tibi in animum influent, cum hæ domesticæ laudes tibi sint assidue ante oculos positæ a dilecto filio nobili viro Marchione Bernardo Tanuccio, cujus præstantissima opera in maximis rebus gerendis uteris. Magnopere optamus, ut vota nostra, quæ Deo Optimo Maximo de tua tuique regni felicitate nuncupamus, secundissimos eventus habeant, atque hujusmodi omnibus divinæ benignitatis auspiciis Majestatem Tuam prosequentes apostolicam benedictionem in nostræ etiam eximiæ caritatis pignus tibi, carissime in Christo fili noster, Tuæque Regiæ Conjugi, ac eximiis Liberis amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 28 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLVI.

DILECTO FILIO

BEDÆ, ABBATI AD SANCTUM PETRUM SALISBURGI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 29 decembris 1773.

Dilecte, etc. Reddita Nobis sunt per dilectum filium Augustinium una cum litteris tuis quinque de sacris rebus volumina, quorum ipse partim auctor es, partim editor. Alterum hoc a te librorum donum libentissimo excepimus animo, quamque primo tui existimationem in Nobis excitasti, eamdem deinceps magnopere auctam confirmatamque sensimus. Illa porro operum argumenta majorem in modum declarant consentientia religiosæ vivendi rationi studia tua animique ad divinas salutaresque res pertractandas inclinationem. Unde ad illud judicium de tua doctrina nostrum hæc accedit major multo ac potior virtutis ac pietatis tuæ commendatio. Multas itaque tibi habemus ac referemus gratias, dilecte fili, tuaque et doctrinæ et virtutis monumenta plurimum apud Nos valitura pollicemur, ut te quem antea paterna caritate complectebamur omnibus semper singularis studii atque amoris officiis prosequamur. Id tibi persuasum magis esse poterit, si quam Nobis dederis animum hunc erga te nostrum reipsa tibi testandi opportunitatem. Ac in paternæ benevolentiæ pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 29 decembris 1773, pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 29 decembris 1773.

Carissime, etc. Summam ac singularem elucere in te, carissime in Christo fili noster, magnitudinem regiique animi præstantiam jam pridem intelleximus, et huic Majestatis Tuæ egregiæ laudi parem item esse præclaram tuam pietatem, atque in Ecclesiam ac Nos studium arbitrati sumus. Hac tuæ virtutis cogitatione, tuique in Nos amoris fiducia, omnes quibus diu multumque conflictati sumus, curas ac sollicitudines nostras liniebamus. Verum Nobis in pristinam nostram

Avenionis et Comitatus Venaisini possessionem abs te revocatis pulcherrimum factum et consilium hoc tuum sapientia, æquitate, magnanimitate tua dignissimum, etsi minime insperatum accidisset tam incredibilem lætitiæ fructum Nobis attulit, ut omnem de te spem expectationemque nostram mirifice cumulavit. Incolumi sua Ecclesia ditione restituta, Nobis una pacis et concordiæ jucunditatem, qua nihil carius atque optatius habemus, reddidisti, et præstitisti his præclaræ tuæ in Nos voluntatis indiciis veterem et mutuam inter Nos benevolentiæ conjunctionem amplificasti. Nos quidem, carissime in Christo fili noster, his egregiis tuis in Nos studiis obstricti, quam referendæ tibi gratiæ rationem habemus ullis verbis satis assequi possumus. Id unum profitemur, atque affirmamus ad paternæ nostræ erga te caritatis magnitudinem miram quandam accessionem esse factam, et cum Majestatem Tuam singulari animo complexi semper simus, ad te magis in dies diligendum, atque omnibus nostri amoris officiis prosequendum excellenti hac tua pietate Nos mirum in modum commoveri atque incendi. Proinde nihil tantopere cupimus, quam ut Nobis opportunitates suppetant, quibus tibi gratum hunc nostrum animum et rebus in omnibus, quæ ab amantissimo parente in carissimum filium proficisci possint, pontificii nostri in te studii magnitudinem comprobemus. Has gratissimæ nostræ in te voluntatis significationes adjuturum D. filium nostrum Franciscum Joachimum S. R. E. Cardinalem de Bernis, quem ob suas eximias virtutes et ob egregiam in gerendis rebus apud Nos tuis fidem studium et prudentiam singulari benevolentia atque existimatione prosequimur, et testatos Majestati Tuæ facturum confidimus, quos illi coram sæpe aperuimus, mirificos tibique devinctissimos animi nostri sensus. Sed nullam potiorem referendæ gratiæ rationem habemus, quam si cujus in terris vices gerimus, ejus opem, atque auxilium ad nostri officii partes etiam præstandas advocemus. Illum itaque obsecramus ut pro his tuis egregiis in Ecclesiam ac Nos meritis te omnibus divinæ suæ clementiæ beneficiis augeat et Majestati Tuæ optatissimos quosque successus Regni ac Regiæ Familiæ felicitatem largiri cumulatissime velit. Ut rata firmaque sint vota hæc nostra, cœlestis gratiæ auspicem apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ tuisque præstantissimis Liberis amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 29 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLVIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 30 decembris 1773.

Carissime, etc. Utinam explorati, ac satis perspecti Regiæ Tuæ Majestati esse possent intimi, quibus affecti sumus, animi nostri sensus : cognosceres profecto, carissime in Christo fili noster, quantopere tibi devincti obstrictique simus ob magnitudinem tuorum in Nos et S. hanc Sedem excellentium meritorum. Quæ quidem hoc tempore mirifice cumulantur atque augent cum in pristinam Avenionis Comitatus Venaisi, Beneventi et Pontis Corvi possessionem, officiis potissimum tuis atque auctoritate qua apud tuos polles, Nos esse inductos agnoscimus. Una cum Ecclesiæ ditionum incolumitate illud etiam, quod vehementer exoptavimus, per te consecuti sumus, ut non solum sint positæ omnes, quæ ante pontificatum nostrum inciderant simultates, sed etiam mutua inter Nos, ac præstantissimos Nobisque carissimos Borbonios reges sit arctissime confirmata benevolentiæ ac pietatis conjunctio. Proinde nunc summa cum voluptate intelligimus peregregios esse successus nostræ jam pridem in te positæ fiduciæ. Meminimus enim jam ex illo turbulento tempore, cum primum in hanc Beati Petri cathedram conscendimus, ad te tamquam ad carissimum lumen quoddam fuisse spes omnes nostras conservas. Tua religione, sapientia ac in Nos pietate confisi jam tum in animum constantissime induximus fore ut molestiarum ac sollicitudinum nostrarum, a te certissima Nobis solatia existerent. Assiduis eximiis tui in Nos amoris indiciis, mutuisque necessitudinum vinculis magis in dies in hac expectatione nostra confirmabamur. Sed quo major ac diuturnior fuit eximia hæc de te spes nostra, eo nunc uberiorem lætitiæ fructum capimus, cum et ratam illam esse intuemur, et in eadem perficienda tantas, ac tam illustres nunc adjunctas esse causas ad te amandum, teque omnibus gratissimi nostri animi officiis prosequendum. Ad cumulandam summam hanc nostri gaudii vim accedit, quod pacis ac concordiæ tranquillitatem, cujus Nos cupidissimos esse jam diu nosti, firmissime stabilitam esse vedeamus, idque tua præstanti præsertim opera nacti simus, quod a nostri pontificatus initio votis omnibus semper expetebamus. Quas ob res, carissime in Christo fili noster, immortales tibi gratias debemus, quasque etsi referre pro summis tuis

meritis nullo modo possumus, habere tamen, perpetuoque Nos habituros profitemur. Dilecto filio nobili viro equiti Munino, quem ob suas laudes, fidem, consilium atque industriam, in egregia tibi apud Nos novanda opera plurimi facimus, ac diligimus, sensus nostros coram aperuimus, et quomodo incensi tuo beneficio atque erga te animati simus luculenter significavimus, quæ illum pro sua diligentia accurate ad te perscripturum omnino scimus. Illud tantummodo his etiam litteris addimus, Nos summa paterna caritate summo studio, quantum in Nobis est, te tuasque res omnes, ut hactenus fecimus complexuros, tibique a Deo Optimo Maximo universæque regiæ domui ac dilectissimo in Christo filio nostro Carolo Clementi Nepoti tuo, quem ob summam cum eo necessitudinem mirifice ac singulariter amamus prosperos vitæ Regnique cursus, incolumitatem et gloriam enixe semper precaturos. Tibi invicem nostram hanc in te voluntatem gratam atque acceptam futuram minime dubitamus, atque etsi in referenda tibi gratia pro tuorum meritorum præstantia Nobis ipsis minime satisfacere possimus, tibi tamen hoc ipso grato tuique studiosissimo nostro animo satisfacturos. Ac demum divinæ gratiæ auspicem, et nostræ paternæ in te caritatis indicem apostolicam benedictionem catholicæ Majestati Tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 30 *decembris* 1773, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCXLIX.

DILECTO FILIO

MIGNONNEAU

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 12 januarii 1774.

Dilecte, etc. Reddidit Nobis dilectus filius noster Franciscus Joachimus S. R. E. Cardinalis de Bernis una cum tuis litteris Ærea Domus Lotharingicæ numismata, et Calmetianam hujus collectionis declarationem, et cum redderet id a te transmissum munus. Tuam in nos singularem observantiam gravissimo suo testimonio confirmavit, utrumque nobis pergratum accidit, et pietatem in Nos tuam, quam coram Nobis cum his esses, declarasti tam luculenta atque illustri nunc voluntatis tuæ significatione comprobari, et ea ad Nos clarissimæ Domus monumenta esse delata, quæ plurima splendoris accessione auctura sint Vaticanum Museum nostrum. Itaque eas tibi nos habere

idcirco gratias profitemur, dilecte fili, quæ hujusmodi tuis in Nos meritis sint consentaneæ eumque tibi qualem maxime tu velis paternum animum deferimus, atque exhibemus. Acceptum etiam Nobis vehementer fuit illud, quod tamquam pro corollario adjunxisti studiorum tuorum specimen, ex quo facile intelligimus, quam præclare etiam de Italicis litteris mereri satagas. Illud demum quod luculenter etiam ad te perscribet idem Cardinalis de Bernis nostræ in te plurimæ voluntatis amplissimus testis tibi maxime persuasum esse cupimus eximiam nostram esse erga te existimationem, paremque paternæ caritati, qua te singulariter prosequimur, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, peramanter impertimur. ***Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 12 januarii 1774, pontificatus nostri anno quinto.***

CCL.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO DIE XVII JANUARIÆ MDCCLXXIV.

Venerabiles fratres. Cum ex maximislætitiæ nostræ causis, quas hoc tempore vobis declaraturi sumus, facile intelligere possimus, quantus futurus sit jucunditatis vestræ sensus, libentissime easdem vobiscum communicamus, Venerabiles Fratres, atque etiam ex hoc ipso gaudio vestro magnum ad voluptatem cumulum accessurum agnoscimus. Ad ineundam pristinam nostram Avenionis, Comitatus Venaissini, Beneventi, et Pontis Corvi possessionem carissimi in Christo filii Ludovicus Galliarum Rex Christianissimus, et Ferdinandus utriusque Siciliæ, et Hierusalem Rex Illustris Nos ultro compellant, et tanquam sua ipsi manu amantissime inducunt. Nemo unquam tanta cupiditate in suis amplificandis fortunis fuit, quanta alacritate atque animi magnitudine jura resque Ecclesiæ ad Nos ipsi deferunt. Consiliorum omnium ac summæ in Nos pietatis societate cum illis conjunctissimus est carissimi item in Christo filii nostri Caroli Catholici Hispaniarum regis animus, magnis Nobis antea semper, sed nunc maximis atque amplissimis amoris indiciis perspectus. Nos quidem in hanc spem jampridem veneramus, fore, ut omnino sua huc ipsos religio, sapientia, æquitas adduceret. Atque, ut omnem cogitationum nostrarum rationem vobis aperiamus, propterea Nobis neque instandum atque urgendum, ac ne agendum quidem cum iis unquam duximus. Inte-

gram hanc illis laudem reservandam arbitrati sumus. Suo illos studio, sui animi præstantia, pacis cupiditate, Nostri etiam amore, quam flagitatione ac precibus impelli malebamus, uberiorem putabamus illorum inde gloriam, et nostram pleniorem voluptatem extituram. Peropportune accidit, ut illis in Nos jam inclinatis dilectissimi in Christo filii nostri Ferdinandi regni Hispaniarum Infantis summa pietas permagno ad hæc perficiendo momento fuerit. Allatum ad Nos erat clarissimorum regum consanguineorum suorum redintegratam erga illum esse gratiam. Lætitiam illius causa, quem ob eximias virtutes summopere diligimus, tunc a Nobis susceptam extemplo eisdem cum singulari gratulatione testati sumus. Hoc officio nostro perspectum optimis regibus fuit, quanto rerum omnium, quæ ad illos pertinerent, quanto pacis etiam concordiæque studio teneremur. Cum vero præstantissimus juvenis tantopere sua causa Nos gavisos videret, pro eximia sua gratissimaque voluntate similis nobis navandæ operæ, officiique præstandi miro ardore exarsit. Sua ipse sponte suoque judicio cum avo, patruo ac patruele summa contentione egit, ut, quantum Nobiscum animo ac pietate essent conjuncti, re ipsa declararent. Maximas tum illi, qui id Nobis perscripserat, gratias egimus, ac reges ipsi tantopere sunt hac illius virtute delectati, atque eodem in Nos studio excitati, ut quod antea cogitaverant, statim salvis atque integris Ecclesiæ rebus ad Nos deferendis, quam præclara voluntate in Nos essent, palam omnibus facerent. Nunc igitur eodem una omnes animo hanc ipsam rerum Ecclesiæ incolumitatem, quasi certissimum quoddam pignus pacis mutuæque inter Nos concordiæ statuunt. Neque enim solum positas esse ac deletas volunt suspiciones omnes cujuspiam, quæ antea intercesserit, simultatis, sed etiam confirmatam atque auctam mirificæ inter nos benevolentiæ, atque amoris conjunctionem. Lætandum Nobis quidem magnopere est, atque eo uberius lætandum, quo magis sancte, pieque tueri jura ditionemque Ecclesiæ debemus, ut, quæ a majoribus accepimus, salva, atque integra posteris nostris transmittamus. Sed nullas majores gaudii nostri causas habere possumus, quam cum hanc ipsorum regum pietatem, animique præstantiam intuemur. Non in opibus atque copiis, sed in legum æquitate, ac virtute summam regni gerendi laudem, veramque ac solidam utilitatem sitam esse existimant. Se potestate sua egregie usos arbitrantur, si illius imperio pareant, cujus beneficio imperii dignitatem acceptam referunt; si illius gloriam augeant, si Domum Domini suo præsidio tueantur, si denique Jesu Christi speciem, cujus vicariam auctoritatem licet immerentes sustinemus, in Nobis colant ac diligant. Ab hujusmodi animorum inductione cum profecta sit tam præclara

eorundem actio, religionis, sapientiæ, in Nos amoris plenissima, maximam illis quidem ad cætera decora atque ornamenta gloriæ accessionem faciunt ac jure sibi plausus omnium vindicant, qui virtutis ac pietatis pulchritudinem sentiunt. Sed quæ nostra erga optimos reges studia esse debent? quæ grati animi significatio eximiæ eorum in Nos voluntati par esse potest? Semper illos quidem pro suis majorumque suorum singularibus in Ecclesiam meritis summa benevolentia prosecuti sumus. Magnis et plurimis causis inducti fuimus, cur in illos omnia paternæ caritatis officia conferremus. Dignitate ac potentia inter maximos Ecclesiæ filios sunt, florentissimæ Ecclesiæque fidissimæ nationes eorum dominatu, atque imperio continentur. In religionis sanctitate atque obsequio populos suis ipsi et legibus et exemplis retinent. Sed hæc omnia pietatis ac sapientiæ exempla inclusa esse atque comprehensa videri possunt hoc pulcherrimo facto quod sane, (ut optima quæque rarissima sunt) eo difficilius ac præclarius existimari debet, quo justius est, atque ab omni cupiditate sejunctius. Hoc velut religionis, suique in Nos amoris posito monumento, mirum in modum Ecclesiæ dignitatem, Sedis Apostolicæ observantiam omnium in Nos studium augent, atque una suam ipsi potestatem muniunt, atque confirmant. Neque enim regna atque imperia ulla vi, et timore tantopere munita ac vallata esse possunt, quam si religionis institutis, quæ vera sunt regnandi fundamenta, si divina auctoritate, ac præceptis, quæ Ecclesiæ opera ac ministerio in populorum animos influunt constituta ac roborata sint. Ita ipsi suæ potestati optime consulunt, cum eandem arctissime cum religionis et Ecclesiæ rationibus colligatam esse volunt. Tam præstantibus eorum in Nos animi indiciis devincti mirifice commovemur, Venerabiles Fratres, et mutuo atque incredibili quodam erga illos paternæ caritatis ardore incendimur. Ad hæc nostra acrius excitanda studia accedunt peregregia in Nos merita, cum eorum quorum in maximis regni gerendis rebus præcipua utuntur opera, tum quos consiliorum suorum apud Nos habent administros. Qui omnes regum ipsorum voluntati obsecuti, eorumque pietatis exemplo incitati et suam illis fidem, industriam, prudentiam, et Nobis singularem in Sanctam hanc Sedem animum probaverunt. Quapropter illis item plurimum a Nobis deberi, eosque magnopere diligi, et eorum etiam causa augeri summa nostra erga reges ipsos officia profitemur. Carissimis itaque filiis nostris, etsi datis ad eos litteris, quas maximas potuimus, gratias egimus, pares tamen ut referamus, quam aliam meliorem invenire rationem possumus, quam si pro illis vota nostra, easque, quarum in Ecclesia maxima vis est, divinæ clementiæ conciliatrices atque auspices precationes omni

animorum contentione adhibeamus? Summum igitur Apostolatus nostri conditorem Deum, ac Dominum nostrum Jesum Christum assidue flagitemus, ut, quam etiam in mortalis hujus vitæ cursu tribuere mercedem solet optimis de seque præclare meritis regibus, eandem illis amplissime referat cum secundissimo rerum omnium successu, regni, ac liberorum, regiæque domus prosperitate, ac diuturnitate conjunctam. Sed huic ipsi summo præstantium consiliorum, factorumque omnium auctori, per quem Potentes decernunt justitiam, præsertim immortales agendæ sunt gratiæ. Numquam ille Ecclesiæ suæ præsidium ac tutelam deserit; etsi aliquando, ut vigilantiorem, suæque ac suorum incolumitatis studiosiorem faciat, agitari illam turbarique sinat, demum pacis et tranquillitatis suavitate omnem præteriti mœroris molestiam abstergit. Ille sacerdotii itemque imperii jura instituit, atque inter religionis ac regnorum moderatores magnam necessitudinem intercedere voluit, et posuit consilium pacis inter illos, quo uno ad divinæ gloriæ incrementum, quæ rerum humanarum est finis, inserviant. Divinum itaque hunc, pacis largitorem obtestemur, ut voluntatem hanc suam nostris hisce temporibus ratam ac firmam et hoc præclarum concordiæ munus Nobis perpetuum esse velit, ut ex hac mutua nostra conjunctione optatissimi exitus, atque ad animarum salutem, ac Ecclesiæ utilitatem, ad eorundem regum felicitatem uberrimi cumulatissimique fructus derivent. Quo facilius hæc divinæ gratiæ munera obtineri a Nobis possint, B. Petrum Ecclesiæ, ac sacerdotii nostri ducem, custodem, ac præsidem, et seraphicum P. Franciscum, cujus in disciplina instituti sumus, et præsidium paratissimum semper sensimus, Nobis patronos, atque adjutores adjungamus. Proinde et nunc in SS. XII Apostolorum templo, ad quod ex hoc ipso consessu perrecturi sumus et crastina die in Vaticana Basilica post solemnia Apostolicæ S. Petri Cathedræ sacra de more celebrata, vestris una Nobiscum conjunctis precibus summas Deo. O. M. gratias et laudes referemus, et ab eodem Ecclesiæ tranquillitatem, et ipsis regibus omnem gloriæ ac felicitatis amplitudinem postulabimus. Qua obsecrationum opportunitate Nos paterna nostra erga ceteros etiam potentissimos Nobisque carissimos in Christo filios studia inducunt, ut eos item eorumque imperia ac regna precibus nostris comprehendamus. Cum ad omnes Catholici orbis partes oculos convertimus, illosque suam regnandi rationem a religionis et justitiæ institutis repetere intuemur, tanto acrius inflammamur ad perpetua ac summa quæque ipsis imploranda cœlestis clementiæ beneficia ac præsidia, quanto uberior atque constantior, iis omnibus pro divina gloria, et Christianæ reipublicæ utilitate con-

sentientibus, nostra debet esse atque universæ Ecclesiæ jucunditas. Ad hæc, pietatis exempla cum publicæ etiam lætitiæ vestræ significationis accedent, magnopere ceteros omnes ad similem et pietatis, et hilaritatis imitationem excitabitis.

CCLI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1774.

Carissime, etc. Cum Cæsareæ Majestati Tuæ pergrata futura arbitremur, quæ Nobis prospere, atque ex sententia eveniant, ad te qui principem locum inter Ecclesiæ filios tenes mittere voluimus Allocutionem a Nobis in consistorio secreto in Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium habitam die 17 hujus mensis quam una cum his nostris litteris dilectus filius noster Antonius Eugenius S. R. E. Cardinalis Vicecomes ad te deferet. Ex eadem cognosces æquitatem, et religionem carissimorum in Christo filiorum Ludovici Christianissimi Galliarum Regis, et Ferdinandi utriusque Siciliæ et Hierusalem Regis Illustris in Nobis restituenda pristina nostra Avenionis, Comitatus Venaissini, Beneventi, et Pontis Corvi possessione, cumque iis conjunctam egregiam carissimi itidem in Christo filii nostri Caroli Catholici Hispaniarum Regis in Nos voluntatem, et quibus paterni animi nostri sensibus pulcherrimam hujusmodi illorum actionem prosequuti sumus. Majestatem Tuam nostra causa non mediocrem inde animo jucunditatem suscepturam non dubitamus, et ex hoc ipso amoris in te nostri officio intellecturam, quanta sit nostra de singulari, ac perpetua tua erga Nos ad Sanctam hanc Sedem pietate fiducia. Quod quidem ex ipsa etiam allocutione deprehendes; inest enim in ea aliquod nostri in te studii specimen; etsi tacita animi nostri significatione satis tamen adumbratum atque in præclarius summæ nostræ paternæ in te caritatis argumentum apostolicam benedictionem Cæsareæ Majestati Tuæ, Augustæque universæ Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 19 *januarii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLII.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1774.

Carissima, etc. Ad Apostolicam Majestatem Tuam deferet dilectus filius noster Antonius Eugenius S. R. E. Cardinalis Vicecomes hasce litteras una cum Allocutione typis edita, quam in consistorio secreto die XVII hujus mensis ad VV. FF. nostros S. R. E. Cardinales habuimus. Ex ea facile intelliget, quanto affecti gaudio simus ob pulcherrimum factum carissimorum in Christo filiorum nostrorum Ludovici Galliarum Regis Christianissimi, et Ferdinandi utriusque Siciliæ et Hierusalem Regis illustris, quo Nos, ac Sanctam hanc Sedem in pristinam Avenionis, Comitatus Venaissini, Beneventi, et Pontis Corvi possessionem restituunt. Lætitiam hanc nostram majorem in modum augent suo in Nos studio ac mirifica amoris pietatisque confirmatione, in qua Nobis deferenda carissimus item in Christo filius noster Carolus Hispaniarum Rex catholicus eximia cum illis societate conjungitur. Pro Majestatis Tuæ perspectissimo in Nos animo, proque ea, qua es in hanc Sanctam Sedem necessitudine, certi plane sumus fore, ut has nostras gaudendi causas tibi nequaquam alias esse existimes, atque idcirco voluimus, ut eædem ad te quæ dignitate et potentia inter Ecclesiæ filios præstas nostro nomine etiam perferantur. Vehementer optamus, ut ex hoc officio cognoscas, quæ nostra sit de tua in Nos pietate non minus fiducia, quam regiarum tuarum virtutum, Augustæque Domus in Sanctam hanc Sedem meritorum existimatio. Quod quidem etiam ex postrema nostræ Allucutionis parte perspicies, in qua idipsum etsi tacito, claro tamen prout ratio argumenti pati poterat animi in te nostri indicio adumbravimus. Ac in singularis paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ, carissima in Christo filia nostra, amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 19 *januarii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

STANISLAO AUGUSTO POLONIÆ REGI ILLUSTRI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 19 januarii 1774.

Carissime, etc. Quos Nobis Regia Majestas Tua precatur a Deo Optimo Maximo cœlestes ejusdem bonitatis ac clementiæ fructus, quibus imbecillitas nostra in hoc gravissimo apostolatus sustinendo munere indiget, et tuam in Nos, atque Ecclesiam jam dudum perspectam pietatem majorem in modum Nobis confirmant, et jamdiu inclinatam in te paternam caritatem nostram magis adhuc impellunt hoc tempore ut assidue concepta de tua, tuique regni felicitate vota multo ardentiore animi contentione restauremus. Id dum enixe accurateque facimus, carissime in Christo fili noster, teque ac tua omnia luculentissima nostra pietate prosequimur vehementer optamus persuasum tibi sit, numquam ulla paternæ summæ voluntatis officia a Nobis tibi defutura, neque umquam præterituros Nos esse opportunitates quasque palam testandi quanti faciàmus regias virtutes tuas, quantaque te complectamur benevolentiæ magnitudine, in cujus pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ tuisque populis amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 19 *januarii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLIV.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

FRIDERICO AUGUSTO SAXONIÆ DUCI,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 22 januarii 1774.

Dilectissime, etc. Accepimus tuas litteras per dilectum filium Bianconi diligentem ac sedulum Residentem tuum, ex quibus comprobatum Nobis maxime fuit, quæ tua esset in Nos, ac S. hanc Sedem pietas atque observantia, quam præcipue cura atque auctoritate tua, ut apostolicæ scilicet litteræ nostræ de abolito Soc. Jesu Ordine rite executioni isthic mandarentur, confirmasti. Quamobrem pristinum nostrum de tua virtute ac religione judicium, singularemque, qua te semper complexi sumus caritatem majorem in modum amplificatam

profitemur. Luculentissimum porro Nobis fuit testimonium tuum de illorum obedientia apostolicis iis litteris præstita, qui socii in illo ordine erant, quos cum in aula, muneribusque retinere constitueris, minime dubitamus, quin suam illi vivendi agendique rationem ad illius nostri Brevis normam accuratissime exacturi sint, neque quidquam præterituri eorum omnium, quæ Nos ibidem maturo consilio constituta mandavimus. Aliter enim indignos plane judicares, qui tua gratia, tuo patrocinio fruerentur. Quod vero petis, ut confessarium tuum, qui ex illo ordine fuit, in vicariatus apostolici per Saxoniæ electoratum munere confirmemus, persuasum tibi primum hoc sit, vehementer cupimus, maximam esse nostræ ad tibi in omnibus gratificandum voluntatis inclinationem, sed cum iste vicariatus Nobis ignotus fuerit, neque quidquam de eo sit hactenus usquam repertum. etsi plurima adhibita esset in quærendo diligentia iis in locis, ex quibus solemni forma ac ratione emanare debuit, resque hujusmodi gravissimi momenti ac maximæ consultationis sit, ne quid forte inducatur novi, receptusque sacrarum rerum status atque ordo perturbetur, patere, dilectissime in Christo fili noster, ut quantum necesse est spatii ad deliberandum Nobis sumamus, ac quod in Domino videbitur, decernendum. Hæc ad te eum in modum rescribenda duximus, ut par erat a Nobis qui tua sapientia, ac eximio in S. hanc Sedem studio maxime freti sumus, quique de virtute tua parem habemus fiduciam summæ illi paternæ benevolentiæ, in cujus pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque Electorali Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *januarii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

LUDOVICO EUGENIO DUCI WURTEMBERGENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 januarii 1774.

Dilecte, etc. Plurimam voluptatem ex tuis litteris cepimus, quibus nostrum de tua virtute jam pridem præoeptum judicium mirifice confirmasti. Intelleximus enim te maximo religionis studio teneri, Ecclesiæ rebus majorem in modum affici, ejusdem adversis angi, lætari secundis ac nihil magis cupere, quam ne quid saluti animarum obsistat, neque divinæ gloriæ hominum adversetur perversitas. Cum ita animo comparatus sis, nullum esse dubium Nobis potest, quin tuis

ad Deum deprecationibus assidue contendas, ut in populos omnes optima cum sentiendi, tum agendi inducatur ratio, ut cuncti in unam fidem, quæque ex fide est pietatem consentiant, ut pastorum erga commissas sibi oves ubique constet zelus, sedulitas, ac vigilantia, oves ipsæ invicem pastoribus suis morigeræ sint, iisque debitum cultum ac obedientiam deferant. In hujusmodi precibus tuis certi profecto sumus plurimum habere Nos locum, proque gravissimo quod gerimus munere paria Nobis cælestis gratiæ implorari subsidia nostramque imbecillitatem pro virili tua parte adjuvari. Nos quidem quantum labore, consilio, auctoritate valemus, connitimur profecto, ut incolumes vel retineamus, vel constituamus creditæ Nobis Ecclesiæ rationes. Sed quid in infirmitate nostra possumus? poterimus tamen omnia in eo, a quo confortari confidimus, ad quem supplices confugimus, quem enixe flagitamus, ut sedium suarum assistricem det Nobis sapientiam, quæ Nobiscum sit, ac Nobiscum laboret. Cum te itaque summo in Nos studio esse videamus, incredibilem in modum lætamur, et nostra simul et tua causa dum tu enim egregias præstas in Nos filii partes, proficere Nos inde maxime in summa hac gravissimarum rerum procuratione speramus. Quod scribis de egregia Venerabilis Fratris Venceslai Archiepiscopi Trevirensis virtute, jam pridem ex perspecta Nobis illius indole agnovimus, quale in eo columen Ecclesiæ futurum esset, ac nunc plurimas molestias nostras jucundissima illius pietatis, ac omnigenæ laudis cogitatione pensamus. Quod reliquum est, dilecte fili nobilis vir : vehementer cupimus locum Nobis dari summam tibi benevolentiam nostram reipsa comprobandi, eamque paternam caritatem qua te in Domino complectimur, tibique veram a Deo felicitatem omnem cælestiumque munerum cumulum precamur, atque in hujus eximiæ nostræ in te voluntatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, universæque familiæ tuæ peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 26 *januarii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLVI.

VENERABILI FRATRI

EMMERICO JOSEPHO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO,

S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 februarii 1774.

Venerabilis, etc. Pergratæ Nobis fuerunt Fraternitatis tuæ litteræ die 21 præteriti mensis octobris datæ, quibus, quod tuum esset in Nos atque in Sanctam hanc Sedem studium singularem in modum comprobasti. Ac a Nobis quidem responsum, Venerabilis Frater, quale maxime velles, statim tulisses, ac quantum essemus tui ejus officii memores, tibique propterea obstricti luculenta amoris in te nostri significatione jam tum testati fuissemus; sed cum adnexum iisdem tuis litteris folium plurimum ut par erat, Nobis et molestiam et in auctorem inquirendi curam attulisset aliquantulum spatii sumendum duximus, ut cum certum aliquid exploratumque de auctore deprehenderemus minus perturbato animo gratissimam tibi nostram voluntatem deferremus. Tandem cum eo res adducta jam sit, ut affirmare prope certo possimus quis conficiendo illi folio operam navavit, plurimas habere Nos tibi ob tuum ejusmodi in Nos collatum officium gratias atque ad pristinum nostrum erga te animum maximam hoc potissimum nomine Pontificiæ caritatis accessionem factam esse perspicue profitemur. Quod dum prolixe facimus, tua nunc tam perspecta in Nos pietate confisi, quanto possumus, paterni animi ardore Fraternitatem tuam in Domino hortamur et obsecramus, ut animi tui fortitudinem illamque agendi vim, quæ tuæ maxime amplitudini convenit, magis magisque excites, atque intendas ad Ecclesiæ pacem unitatemque tuendam, desque operam pro virili tua parte, ut Ecclesiæ mandatis omnes obtemperent, quosque ejusdem mansuetudo, ac lenitas non flectit, ipsa tandem compescat, et ad obsequium revocet auctoritas. Id equidem Nobis certissime pollicemur de virtute atque animi tui magnitudine, deque ea, qua in Petri Cathedram animatus es voluntate, cujus egregia, teque digna jam Nos habere indicia ac pignora summa cum voluptate agnoscimus. Hac profecto ratione et præclarissimam tibi laudem, atque amplissimam gloriam comparaveris, et incredibilem in modum cumulaveris eximiam qua te prosequimur pari cum existimatione conjunctam caritatem. In cujus uberius argumentum apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuæque fidei commissis populis peramanter impertimur. ***Datum Romæ, etc., die 5 februarii 1774, pontificatus nostri anno quinto.***

CCLVII.

VENERABILI FRATRI

JOSEPHO ARCHIEPISCOPO BERYTENSI,

AD CARISSIMUM IN CHRISTO FILIUM NOSTRUM
STANISLAUM AUGUSTUM POLONIÆ REGEM ILLUSTREM,
NOSTRO ET SEDIS APOSTOLICÆ NUNTIO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 3 martii 1774.

Venerabilis, etc. Cum inter curas, ac sollicitudines, quibus carissimus in Christo filius noster Stanislaus Augustus Poloniæ Rex Illustris nec non inclytæ Reipublicæ ordines ad rectam juventutis institutionem animum intendunt, ea præcipua sit, ut non modo scholæ hactenus existentes novis adjumentis fulciantur, verum etiam ad majorem publicæ rei utilitatem latius propagentur, ex parte ejusdem Stanislai Augusti Regis, et Octovirorum juventuti instituendæ supplicatum Nobis fuit, ut nostra etiam auctoritate salutaria hujusmodi consilia tueri, iisque ex parte nostra opem, ac manum adjutricem porrigere dignaremur. Nos quibus nihil potius est, quam cum civili etiam religiosam, et catholicam juventutis institutionem ubique terrarum promovere, ut Christi fideles quo magis religiosis ac civicis officiis instructi, eo etiam utiliores tum Ecclesiæ, tum Reipublicæ reddantur, petitionibus super hoc Nobis porrectis benigne inclinati Fraternitati tuæ, tuisque in officio isto successoribus pro tempore existentibus nostris, nostrorumque successorum, et Apostolicæ Sedis Nuntiis committimus, et mandamus, ut omnes, et singulos religiosos ordinum regularium professores, quos ad munus instituendi pietate, ac literis juventutem idoneos, et aptiores repereris, et judicaveris (habito prius cum superioribus eorum provincialibus consilio) dispenses imo inducas, ut scholarum, quibus Octoviri prædicti eos præficere intendant, curam suscipiant, easque diligenter, ac religiose regant; proviso tamen, ne religiosi prædicti ad munus docendi in scholis publicis evocati extra claustrum sui respective ordinis, vel alterius, si proprii instituti non adsit, commorentur, neve propter novum munus ab ipsis susceptum a debita erga superiores locales, vel provinciales obedientia, consuetisque ac debitis regularis observantiæ exercitiis (nisi in aliquo eos expresse et in scriptis juxta prudentiam tuam dispensaveris) subtrahantur. Quod si in aliquo conventu ac monasterio scholas ipsas aperiri contingeret, volumus, et expresse man-

damus, ut diligenter præcaveas, quatenus scholæ a claustro sint separatæ, vel si aliter fieri nequeat, saltem ita congrue instituantur, ut per transitum, et intromissionem scholarium intra septa quies, et observantia regularis turbari nulla ratione possint. Iis autem religiosis, qui præfata munera suscipient, distincti etiam virtute sanctæ obedientiæ, præcipias, ut scholares suos non modo in litteris instruant, sed etiam pietatis, ac religionis principiis sedulo et assidue imbuant, ita ut pluries in hebdomade christianæ catecheseos rudimenta pro captu cujuscumque eis tradant, sacrosanctæ Missæ sacrificio quotidie, si fieri potest, eos assistere faciant, ac festivis diebus eos in unum congregent, ut fusiori verbi Dei explicatione, sacramentorum perceptione, devotarum precum, vel psalmodiæ, aut officii de beata Virgine Maria recitatione, aliisque pietatis actibus, et incitamentis festivum diem, prout decet, transigant, sicque in Christiana pietate exercitatiores, et instructiores evadant. Si autem contingeret, ut ubi nullum religiosorum claustrum existit, aliqua schola institueretur, ac necessaria alicujus religiosi viri opera videretur, licet summe enitendum sit, ne ullo unquam tempore vel loco regulares a proprio claustro avellantur, attamen succurrendo præsentibus regni ac populi istius necessitatibus, quoties nullus alius inveniri possit, qui scholarum regimen assumere valeat, non renuimus, quin hujusmodi etiam scholis aliquem religiosum virum præfici permittas, dummodo raro, ac nonnisi in casu præcisæ necessitatis hac nostra facultate utaris, eamque ad tempus tibi benevisum concedas, renovandam deinde, si eadem necessitas duraverit, ac demum omnino provideas, ne religiosi prædicti alibi, quam in domo parochi loci commorari, ac degere possint. Cæterum quandoquidem Regis, ac Octovirorum præfatorum sollicitudo non modo ad puerorum instructionem incumbit, sed miserabilium puellarum præcipue nobilium in pietate, bonis artibus, ac manuum laboribus juxta earum conditionem opportunis, ac necessariis institutionem promovere laudabiliter intendit, hac etiam in parte eorum precibus indulgemus, et monasteria monialium etiam Apostolicæ Sedi immediate subjecta, quæ numero personarum, et congrua dote, seu fundatione, commodisque ædibus magis præstant, huic piæ institutioni addicimus, decernentes, ut puellæ prædictæ in earum claustris recipi debeant, in quibus diligenter, ac religiose instituantur, ibique servata clausuræ lege commorentur, donec statum, vel religiosum, vel conjugalem amplecti voluerint: hoc tamen cauto, quod si ad sæcularia vota transire instituant, antequam desponsentur, a monasterio dimittantur. Ut autem in monasteriis ipsis regularis disciplina exacte servetur, et piorum fundatorum menti satisfiat, de-

cernimus, ac præcavemus, ne propter puellarum prædictarum admissionem, monialium professarum, et choralium numerus ultra duodenarium diminuatur : adeo ut duodecim saltem moniales professæ, in iis continuo ac perpetuo commorari, ac religiosæ vitæ onera, nec non debita chori, et ecclesiarum suarum servitia congrue supportare debeant et valeant. Quocirca Venerabilibus Fratribus Episcopis in Regno Poloniæ et Magno Ducatu Lithuaniæ constitutis nomine nostro committas, ut pensatis singulorum monasteriorum suarum respective diœcesium facultatibus ac necessitatibus, accitis etiam eorundem monasteriorum immediatis superioribus, ac de eorum consilio et consensu, si quæ monasteria repererint, quæ possint puellas aliquas (ab Octoviris designandas, ipsisque ordinariis quoad paupertatem, vitam et honestatem approbandas), absque familiæ religiosæ actu ibi existentis incommodo, vel detrimento, caritative, et gratis recipere, ipsi pro arbitrio, et prudentia sua eas in hujusmodi monasteria recipi, et admitti omnino faciant; decedentibusque ultra duodenarium numerum monialibus in earum locum totidem alias puellas (similiter ut supra ab Octoviris designandas, et ab ipsis ordinariis approbandas) substituant, ac sufficiant : ita quod tot ibi puellæ fere commorentur, quod deductis oneribus ecclesiæ et monasterii, nec non congrua duodecim saltem monialium prædictarum sustentatione, poterunt ex annuis redditibus, et proventibus ali et sustentari. Quod si deinde monasteria ipsa aliquid paterentur in fundis, ædificiis, vel redditibus evidens detrimentum, nec possent amplius una cum religiosa familia omnes ibi constitutas alimentarias puellas sustentare, provideatur per ipsos ordinarios ante omnia religiosæ ejusdem familiæ sustentationi, ac necessariis ministeriis : proindeque tot puellæ deinceps admittantur, ac substituantur, quot, deductis religiosæ familiæ, nec non ecclesiæ, ac monasterii necessitatibus, poterunt ex reliquis redditibus ali, ac sustentari. Si vero aliqua honesta virgo, vel vidua ad instructionem puellarum necessaria videretur, et ab ordinario loci expresse approbaretur, eam quoque inter puellarum alimentariarum numerum recenseri, et admitti posse non renuimus. Non obstantibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 3 *martii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

A. Card. Nigronus.

CCLVIII.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 5 martii 1774.

Carissima, etc. Reddidit Nobis litteras Apostolicæ Majestatis Tuæ dilectus filius noster Alexander S. R. E. Cardinalis Albanus, quæque in iis continentur, ipse est etiam summo, quo in tuas esse res solet, studio prosecutus. Ac primum, ut antea per dilectum filium nostrum Cardinalem Vicecomitem certiores Nos feceras, ita nunc per litteras significas Nobis, carissima in Christo filia nostra, potitam te esse nonnullis Poloniæ provinciis, quas ille rex et respublica tibi atque Augustæ tuæ Domui cesserunt. Pergratum Nobis fuit officium hoc tuum, Deumque O. M. precamur, ut id felix, fortunatumque Majestati Tuæ esse velit. Certo confidimus rata fore vota hæc nostra, cum pro pietate Nos tua facile intelligamus in novis provinciis tuis minime unquam defutura esse omnia præsidia iis quorum curæ ac vigilantiæ spirituales ecclesiasticæ res sunt creditæ. Quam eximia, quam ampla hujusmodi nostri de te animi sit inductio, ex summo etiam nostro studio cognoscere potuisti, quod eidem Cardinali Vicecomiti ad te nostro nomine deferendum mandavimus, ut a qua unice sunt expectanda pro religione subsidia, eadem a te constarent ac parata essent hoc tempore, quo maxime necessaria esse videmus. Sed de his ipse cardinalis coram tecum ut rei gravitas postulat, iterum pluribus aget. Nos etsi omnino tibi persuasum esse optemus, paternum animum nostrum rebus tuis omnibus, Tuæque Domus felicitate singulariter affici, tamen minime nunc opus esse judicamus uberiori sensus hos nostros significatione comprobare, cum abunde tibi eosdem sæpe antea declaraverimus, nec minus opera etiam nostra, cum opus fuit, quam votis consilia tua omnia prosecuti simus, quæ ad tuorum populorum utilitatem, ac Dei ipsius gloriam erant conversa. Eodem nunc plane animo excepimus, quod deinceps in tuis litteris a Nobis postulas; atque idcirco statim tam ipsi Cardinali Vicecomiti, quam nostro in Polonia nuntio mandamus, ut quæ multa interest Nos scire accurate exquirant omnia ad Nosque perscribant, quibus nimirum uti in nostra de tanta re deliberatione, opportunioraque consilia capere valeamus.

Quæ tum fieri a Nobis oportere in Domino videbuntur, communicaturi tecum sumus teque nobiscum conveniente, ut confidimus decreturi. Ac in singularis paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Augustæ Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 5 *martii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLIX.

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCESCO JOACHIMO

TITULI S. SILVESTRI IN CAPITE PRESBYTERO,

S. R. E. CARDINALI DE BERNIS, ARCHIEPISCOPO ALBIGENSI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 9 martii 1774.

Dilecte, etc. Optime cognitæ tibi sunt maximæ gravissimæque rationes quibus inducti fuimus ut ordinem societatis Jesu per apostolicas in forma Brevis literas die 21 julii anni proxime præteriti datas aboleremus. Nimirum hunc in modum pacem, et concordiam in Ecclesia evocare, et constituere volebamus : quod assiduis carissimorum in Christo filiorum, ac præsertim Christianissimi regis postulationibus, a Nobis fuerat, ut præclare nosti, diu, multumque flagitatum. Itaque hæc ad te scribimus, dilecte fili noster, non tam ut nostram in illo judicio tanta consilii, ac temporis maturitate a Nobis suscepto constantiam, minime enim est necesse, confirmemus, quam ut tuam egregiam operam Nobis adjungamus, quod illud idem judicium nostrum magis in dies stabile ratum ac firmum præstemus. Quæ abs te cupimus perlibenti animo facturum te omnino confidimus, cumque et S. R. E. Cardinalis et Archiepiscopi personam, et regii apud Nos administri summa cum laude sustineas, plurimum apud te valituram videmus, et hujus Sanctæ Sedis auctoritatem et episcopalis muneris gravitatem et Regis ipsius voluntatem. Nobis igitur pergratum facies, unaque has tot nominibus impositas tibi partes rite perages, si dabis operam, ut et carissimo in Christo filio nostro Ludovico regi Christianissimo luculenter declares, quam fixa et constans nostra sit in consilio semel inito sententia et Venerabilibus etiam Fratribus Episcopis collegis in Gallia tuis, quæ mens nostra fuerit in iis omnibus per apostolicum Breve decernendis palam facias; ac præsertim significes quantopere optemus, ut quæ Nos pro Ecclesiæ utilitate sanximus, atque executi sumus, iisdem omnes accurate summaque Nobiscum consen-

sione inhæreant, atque insistant. Proinde nostro etiam nomine ab illis contendes, ne quid in suis diœcesibus fieri et constitui sinant, quod non omnino sit nostris apostolicis litteris consentaneum. Neque Nos quidem cum hæc scribimus, de eorum vel sapientia vel in hanc Sanctam Sedem observantia quidpiam dubitamus, aut ullo modo diffidimus æquos sponte Nobis ac obsequentes futuros esse, quos antea Regi in simili causa morigeros fuisse non ignoramus. Sed in eam hæc partem accipi volumus, ut a rebus, quas sedulo diligenterque servari cupimus, omnem quibuscumque interpretationibus, et quæ afferri videntur posse, causis locum adimamus. Quæ ut causæ facilius etiam præcidi valeant, majorem in modum hortamur Venerabiles Fratres, ut alios, quos habent in diœcesi sua sacerdotes tam e regulari quam sæculari clero, sibi adjutores in curanda animarum salute et vinea Domini excolenda operarios asciscant; ita enim ipsa apostolici ministerii exercitatione paulatim instructiores et ad spiritualem militiam aptiores illi omnes accedent, et suas episcopis copias pro gregis cura et custodia abunde postmodum suppeditare poterunt. Hæc omnia cum pro tua singulari prudentia ac rerum usu, dilecte fili noster, optime intelligas, minime dubitamus, quin eam teneas in agendo viam, quæ voluntati huic nostræ accommodatior esse possit. Illud certissime tua ejusmodi opera, diligentia, consilio consequeris, ut et præclarum hoc ad cætera adjunxeris tui erga Regem ipsum obsequii testimonium, et nostrum de tua virtute, ac nobiscum conjunctione judicium mirifice comprobaveris. Ac in uberius Pontificiæ caritatis pignus apostolicam benedictionem tibi, dilectissime fili noster, peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 9 *martii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLX.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO,

BAVARIÆ DUCI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 23 martii 1774.

Dilectissime, etc. Accepimus ad Nos tuo nomine delata undecim monumentorum Electoratus tui volumina. Quod minus etsi valde suo pretio commendetur, Nobisque idcirco peracceptum sit, tamen eo jucundius accidit, quod clarissimum præ se ferat tuæ in Nos præcla-

ræ pietatis testimonium. Quanto enim major est animi nostri ad te diligendum, omnibusque paternæ caritatis officiis prosequendum inductio, tanto magis per tua in Nos merita confirmari eandem atque augeri gaudemus. Plurimas atque tibi, dilectissime in Christo fili noster, idcirco habere gratias profitemur, eaque volumina spondemus apud nos fore tamquam perennia non magis Electoratus tui, quam munificentissimæ tuæ in Nos voluntatis monumenta. Quæ tua perspectissima Nobis voluntas facit ut tibi majorem in modum commendemus dilectum filium Henricum Braun cujus ad Nos delatum supplicum precum libellum hisce nostris conjungimus. Ex eo cognosces quam bene de Nobis meritus ille sit, quamque jure cupiamus, ut nostra de ipso studia velis tua in illum gratia ac beneficentia prosequi. Quod igitur illi tua benignitate præstiteris, id Nos factum a te esse nostra causa existimabimus. Ac in singularis nostræ caritatis argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque universæ Electorali Domui amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die* 23 *martii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXI.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO,

BAVARIÆ DUCI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 24 martii 1774.

Dilectissime, etc. Quæ semper Nobis cognita ac perspecta fuit, nunc mirifice comprobatur pietas in Deum tua, dilectissime in Christo fili noster, dum gratias agis Nobis ob tuam electoralem S. Michaelis Archangeli ecclesiam eo indulgentiarum thesauro participem factam, quo hæc nostra Patriarchalis Lateranensis Basilica exornatur. Nihil regia tua in subjectos tibi populos caritate dignius, quam ea ipsis ex religione comparare præsidia, quibus plurima animarum utilitas ac expeditior æternæ consequendæ salutis ratio continetur, quapropter gratulamur Nos tibi tuasque hujusmodi egregias cogitationes et curas summis extollimus laudibus, Deumque Optimum Maximum precamur, ut inde cumulatissimi in te ipsum præcipue, tuamque omnem Electoralem Domum cœlestis gratiæ fructus exuberent. Votis hisce nostris divinorum beneficiorum auspicem adjungimus apostolicam benedictionem, quam tibi, dilectissime in Christo fili noster, intimo cordis

nostri sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 24 *martii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXII.

VENERABILI FRATRI

IGNATIO EPISCOPO VILNENSI

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 aprilis 1773.

Venerabilis, etc. Pergratæ Nobis fuerunt, Venerabilis Frater, litteræ tuæ, quibus post plurimas laudes dilecto filio Stanislao Siestrczenzewicz cathedralis ecclesiæ tuæ canonico tributas ob præclaram operam in diœcesi tua te absente, navatam a Nobis postulasti, ut eodem canonico ad episcopatus gradum evecto, majora illi spatia exercendæ virtutis, tuique in apostolico ministerio adjuvandi patefaceremus. Nihil enim Nobis jucundius accidere potest, quam ut Apostolicæ Sedis beneficiis ac præmiis eum augeamus, quem tuo gravissimo judicio ac commendatione ornatum iisdem dignissimum ducimus, tibique una gratificemur, quem de Ecclesia atque adeo de Nobis ipsis tam præclare meritum esse scimus. Allatum enim ad Nos est, quæ tua fuerit pro fidei integritate tuenda, quam strenua atque egregia opera; et Venerabilis Frater Josephus Archiepiscopus Beryti Ordinarius noster in Polonia Nuncius, dum hunc ipsum canonicum Siestrczenzewicz Nobis commendaret, suasque etiam laudes tuis de illo præconiis adjungeret, luculenter Nobis de tuo singulari in religionem studio, tuisque egregiis factis perscripsit, ut quantum tibi debeamus et sperare deinceps de pastorali tua solicitudine possimus, Nobis sit persuasissimum. Itaque magnopere gaudemus grati nostri tibi declarandi animi opportunitatem Nobis dari in episcopali dignitate canonico Siestrczenzewicz conferenda, quod quidem libentissime Nos facturos profitemur. Illum enim cum in eo gradu erit a Nobis constitutus, et tuo exemplo mirifice excitatum iri, et te hujus subsidii accessione in vinea Domini excolenda paratiorem futurum arbitramur. Interim te præclare de Nobis mereri perrecturum, et quæ præsentiora religionis incolumitati præsidia afferri a te, Venerabilis Frater, possunt, ea potissimum hoc tempore te præstiturum confidimus. Cum enim magno in metu simus ne quæ molitiones in proximis regni vestri comitiis adversus divini cultus integritatem fiant, te ad easdem omni conatu repellendas, quoad tua fieri poterit, adnixurum,

et nuncio nostro in id ipsum incumbenti adfuturum expectamus. Hanc egregiam operam apostolico tuo ministerio, tuoque Domus Domini tuendæ studio consentaneam eo enixius a te poscimus ac flagitamus quo magis in avita Poloniæ fidei sanctitate retinenda veram ac solidam illius utilitatem, ac æternam animarum salutem contineri agnoscimus. Deum Optimum Maximum precamur, ut suæ gratiæ auxilio eximiam hanc tuam in defendendo divino cultu voluntatem muniat, et confirmet, ac cælestium beneficiorum auspicem et nostræ singularis in te caritatis testem apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis Frater, tuoque universo gregi peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 10 *aprilis* 1773, *pontificatus nostri anno quarto.*

CCLXIII.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

FREDERICO AUGUSTO,

SAXONIÆ DUCI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 16 aprilis 1774.

Dilectissime, etc. Detulit Nobis tuo nomine dilectus filius Consiliarius Joannes Ludovicus Bianconus eximium et regium plane ac singulari opere ex porcellana confectum munus, idemque tuis verbis amoris in Nos ac pietatis plenissimis est cumulatissime prosecutus. Excepimus id Nos quidem pari tam egregiæ munificentiæ tuæ voluntate ac majorem in modum adjuncto pretiosæ illi materiæ artificio usuque præterea ad quem omnia elaborata sunt, ac ipsa imaginum quibus maxime afficimur, specie sumus delectati. Sed jucundissimum præ cæteris fuit hujusmodi animi in Nos tui, dilectissime in Christo fili noster, testimonium, quem enim ob præclarissimos tantæque Domus splendore consentaneas virtutes præsertim vero ob religionis, pietatisque studia maximi semper fecimus, ac intima paterna caritate complexi sumus, ab eodem cum intueremur novas ultro ac tam illustres afferri confirmandi, atque amplificandi amoris nostri causas, incredibilem quemdam summæ voluptatis sensum percepimus. Itaque immortales tibi gratias idcirco et referre Nos et habere profitemur, omnibusque gratæ voluntatis officiis, quantum maxime possumus, amplissime respondemus. Adjunxeris profecto tam eximiæ tuæ in Nos pietatis cumulum, si quod assequi satis verbis non possumus, id de Nobis tibimetipse certissime persuaseris. Etsi sensus hos nostros idem Bianconus, qui adfuit, ac perspexit ad te diligentissime pro

sua fide perscripturus est, voluimus tamen Nos ipsi tecum per litteras peragere has partes, quas ut cumulatiores tibique gratiores faciamus. Deum Optimum Maximum enixe precamur, ut cœlestibus beneficiis perpetuo ratam ipse faxit apostolicam benedictionem, quam tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque electorali Domui intimo paterni cordis affectu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 16 *aprilis* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXIV.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV

ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO, DIE XVIII APRILIS MDCCLXXIV.

Venerabiles Fratres. Antequam Christifidelibus universis rite indiceremus appropinquantis jam anni sancti jubilæum, quem ex Ecclesiæ instituto ac more majorum si vita divino beneficio Nobis suppetet, celebraturi sumus, consilium hoc nostrum vobis, Venerabiles Fratres, palam facere voluimus, ut ea quæ parari prius expedirique oporteat ad majorem ejus temporis sanctitatem promovendam, una vobiscum curas cogitationesque nostras converteremus. Ac Nos quidem primum omnium opportune providendum duximus ut in publicis reficiendis, ac muniendis viis, quæcumque ad commeandi commodum, ac securitatem spectarent diligenter fierent, neque quidquam esset quod peregre huc advenientium pietatem retardaret. Porro cum intelligamus, quantopere ad hominum animos ad sanctitatem excitandos externa etiam religionis species, ac dignitas valeat, arbitrati sumus esse accurate exquirendum, qui sit præcipuarum urbis ecclesiarum status, ut si qua instauranda, ac reficienda in iis essent, apte ac tempestive curari juberemus. Sed magnæ profecto jucunditati Nobis fuit, cum quam plurima templa prædecessorum nostrorum ac præsertim S. M. Benedicti Papæ XIV liberalitate peregregie exornata adhuc retinere pristinum ab iis allatum splendorem cognovimus. Veruntamen cum Vaticana sanctorum Petri et Pauli Basilica pro sua ipsius magnitudine, ac præstantia assiduam restaurandi diligentiam postulet, et propterea una omnium maxime curas nostras ad se revocet, jam pridem operam dedimus, ut quidquid in illa obscuratum esset aut temporis diuturnitate corruptum, restitueretur, et recentes etiam atque illustriores or-

natus inducerentur. Aliud etiam cogitationes nostras suo jure quodammodo efflagitat, nimirum sanctorum XII Apostolorum templum, cui et ob pristinæ nostræ vitæ institutique rationes et ob ejusdem titulum in cardinalatu a Nobis gestum obstricti ac propensi plurimum sumus. Proinde Vobis significamus illud etiam ornatum atque adductum iri ad eam speciem, quæ et hujus urbis amplitudini et temporis sanctitati conveniat. Quibus templis hunc in modum instruendis dum Nos, Venerabiles Fratres, distinemur, ad cæteras urbis ecclesias, quod attinet earum plerasque eximiæ vestræ sollicitudini ac pietati commendamus. Cum multæ vobis, vel in titulum vel in patrocinium sint traditæ, vehementer cupimus vosque in Domino hortamur, ut palam omnibus fieri velitis, quantam sedulitatem in hac muneris vestri parte collocetis. Magnopere speramus fore ut hac præclara ac mutua nostra de rerum sacrarum apparatu contentione ceteros omnes etiam, ad quos templorum, nosocomiorum, atque hospitiorum cura pertinet ad ejusdem studii imitationem excitemus. Quod ut certius assequamur nostro apostolicæ visitationis secretario mandavimus, ut alias omnes obeat, ac perlustret ecclesias Nobisque accurate referat, si quid in iis compereat, quod loci sanctitati minime sit consentaneum, quodque operam nostram vel auctoritatem desideret. Sed cum hæc externa, quæ in sensus, atque oculos incurrunt, ac quodammodo ad interiora virtutum præsidia facilius conquirenda ducunt, diligenter provisa fuerint tum ad ea, quæ præcipua sunt, nimirum ad ipsam animarum ædificationem, et intima spiritus ornamenta comparanda, in quo divini cultus ac religionis vires, et natura continetur gradum faciemus. Quæ consilia dum versamus animo ac rationes omnes, quibus id aptius obtineri a Nobis possit consectamur, omnipotentem Deum enixe obsecramus, ut suæ cœlestis gratiæ subsidio illa omnia quæ ad suam gloriam maxime conducant, parati instructique una vobiscum aggrediamur.

CCLXV.

DILECTO FILIO NOBILI VIRO

DUCI D'AIGUILLON,

SECRETARIO STATUS REGIS CHRISTIANISSIMI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 20 aprilis 1774.

Dilecte, etc. Quod assidue Nobis versatur ante oculos perspectissimum atque excellens tuum in Nos, ac sanctam hanc Sedem studium hoc præsertim tempore quo de Avenionis et Beneventi restitutione

agebatur a te eximie declaratum quod proinde grata semper tui commemoratione et commendatione prosequimur, inducit, dilecte fili nobilis vir, ut has ad te nunc demus litteras, quibus tua ejusmodi merita non solum a Nobis agnosci, sed et plurimas idcirco haberi tibi per Nos ac referri gratias testemur. Hoc a Nobis eum in modum præstari velimus, existimes, ut una etiam tibi vehementer gratulemur de præclaro tuo in religionem, atque in Ecclesiam animo de optimis plenisque æquitatis, fidei, ac sapientiæ consiliis atque actionibus tuis, quibus tuum ministerium et Illustrimo Regi quod maximi interest acceptissimum et exteris etiam omnibus spectatissimum reddis : valde cupimus aliquam Nobis opportunitatem dari, ut qui ad hoc judicium de te nostrum accedat paternæ singularis benevolentiæ cumulus, reipsa tibi confirmemus, ac interim apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili nobilis vir, intimo gratissimæ voluntatis sensu peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 20 *aprilis* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXVI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 maii 1774.

Carissime, etc. Cum primum Avenionis et Comitatus Venaissini restituendi a Regia Majestate Tua consilium fecit initium Nobisque tuo nomine delatum gratissimum nostrum animum tibi ut debuimus, et datis ad te litteris, et publicis etiam significationibus declaravimus. Nunc vero eximio a te constituta cum præclare item atque ex regia animi tui magnitudine, ac religione perfeceris veteri illa Ecclesiæ possessione Sanctæ huic Sedi jam reddita, cumque eam præstantissimam actionem omnibus pietatis tuæ, nostrique amantissimæ voluntatis testimoniis conjunxeris, iterum luculentissima ejusmodi officia tibi a Nobis deberi cognoscimus, atque eas propterea gratias et reddimus et habemus, ut neque majores, neque summæ caritatis vi ac sensu ampliore referri unquam possint. Omne tempus pontificatus nostri fuisse profecto plurimis et maximis tuis, carissime in Christo fili noster, in Nos amoris indiciis meritisque refertum agnoscimus quæ nunc tamen omnia uno hoc pulcherrimo tuo facto amplexus es et cumulasti. Quare nihil Nobis optabilius ac jucundius esse potest, quam

ut Christianissimæ Majestati Tuæ reipsa probemus, quibus officii, studii ac paternæ caritatis vinculis ipsi obstricti ac devinti simus. Illud quod maxime possumus tibi summopere præstabimus. Deum omnipotentem, prout facimus, assidue nimirum deprecabimur, ut quæ Majestati Tuæ debemus, ipse tibi in glorioso ac prospero vitæ tuæ cursu in liberorum tuorum, et Regiæ Domus amplitudine, felicitate, diuturnitate referat. Quo firmiora sint hæc vota nostra, apostolicam benedictionem cœlestis gratiæ auspicem tibi, carissime in Christo fili noster, tuæque universæ Regiæ familiæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 4 *maii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXVII.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO, DIE IX MAII MDCCLXXIV.

Venerabiles fratres. Cum jam instet solemnis Ascensionis Domini dies, qua universis fidelibus apostolica voce anni sancti jubilæus est indicendus, præsto vobis esse voluimus, Venerabiles Fratres, litterarum exempla quibus eosdem ad hanc maximam Ecclesiæ celebritatem evocamus. Qua cura perfuncti exemplo dabimus operam ut viros in Evangelico ministerio exercitatos deligamus, qui divina gratia eorum conatus et consilia nostra adjuvante, in hac urbe populum ad pœnitentiam agendam ac peccatorum remissionem percipiendam inflamment. Quæcumque præterea ad criminum expiationem, ad Dei justitiam placandam, misericordiam ac indulgentiam obtinendam, animarum denique salutem comparandam magis idoneæ atque utiles rationes, præsidia, ac facultates suppeditari a Nobis poterunt, eas omnes libentissime uberrimeque conferemus. Interim una vobiscum omnipotentem Deum obsecrari non intermittemus, ut hæc studia nostra pro illius augenda gloria et Ecclesiæ ædificatione suscepta optatissimos exitus habeant, utque hoc tempore suam clementiam ac benignitatem in omnium sanctificatione maxime perspectam, ac manifestam esse velit.

CCLXVIII.

DILECTO FILIO

FRANCISCO XIMENEZ DE TEXADA,

HOSPITALIS S. JOANNIS HIEROSOLIMITANI MAGNO MAGISTRO,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 15 mai 1774.

Dilecte, etc. Quæ nostra sit, quam prolixa atque eximia erga te tuumque inclitum Ordinem voluntas, quæ præstantium in rempublicam christianam meritorum existimatio, et quo idcirco studio incendamur, ut ad egregia majorum vestrorum militari virtute pro religione parta decora, nova per vos fiat semper gloriæ ac splendoris accessio uberiori significatione testari tibi dilecte fili, non possumus, qui præclaram in præstantissimo ordine moderando, plenamque sedulitatis, ac sapientiæ das operam, quam si dono ad te mittamus Ensem et Pileum, quos dum natalitia D. N. Jesu Christi mysteria perageremus, solemni benedictionis ritu consecravimus, quosque Romani Pontifices prædecessores nostri ad magnos sæpe Principes, qui summa animi fortitudine christianam rem propugnaverint, suo nomine deferre voluerunt. Excipe itaque, dilecte fili, hoc a paterno plane animo profectum munus, ut vobis una et excellentium laudum præmium sit et, augendorum in posterum meritorum incitamentum. In eo proposita vobis esse cœlestis opis ac præsidii pignora existimate, quibus freta atque innixa Hierosolymitanorum militum virtus in præliandis Domini præliis debellandisque nostræ fidei hostibus acrior multo evadat, seque ipsa major atque incitatior. Tum nostræ huic singulari in vos benevolentiæ pietatique præclare satisfactum esse per vos putabimus, cum in dies ampliorem istius ordinis efflorescere gloriam ex præclaris consiliis gestisque vestris intuebimur. Sed hæc non tam hortandi vestri, quod minime necesse est, quam commendandi ornandique gratia dicimus, certique plane sumus tibi pro eximia tua in Nos ac Sanctam hanc Sedem observantia gratissimum fore munus hoc nostrum quod ad te deferet dilectus filius Hieronymus Bonannius utriusque signaturæ nostræ referendarius, et S. Congregationis Rituum consultor, nostrisque verbis in differendo amplissime, prout ipsi in mandatis dedimus, prosequetur. Eidem itaque volumus ut omnem adhibeas fidem in iis quæ de plurima nostra in te, tuumque ordinem caritate studioque significabit, quo pro sua diligentia ac fide cumulatissime præstituram non dubitamus.

Illum Nos ad hoc munus libenter cum ob clarissimi generis splendorem, tum ob suorum morum virtutumque præstantiam delegimus, minimeque ambigimus, quin commendatissimus tibi futurus sit, quem acceptissimum Nobis esse profitemur. Atque idcirco cum eundem peculiari benevolentia excipies, præterquam quod de ornatissimo viro optime mereberis, nostrum tibi majorem in modum obstringes animum; nostra enim causa factum esse, quod in ipsum pro tua humanitate feceris, arbitrabimur. Volumus autem ut sacrum munus a moderno priore istius Ecclesiæ conventualis S. Jo. Hierosolymitani peracta re divina de more tibi, dilecte fili, tradatur. Interim omnipotentem Deum pro vestræ gloriæ ac virtutis amplificatione obsecrantes, apostolicam benedictionem in uberius etiam paternæ eximiæque benevolentiæ pignus tibi, dilecte fili, ac universo inclyto Ordini peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 15 *maii* 1774, *pontificatus nostri anno quinto.*

CCLXIX.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ THERESIÆ HUNGARIÆ REGINÆ APOSTOLICÆ,

NECNON BOHEMIÆ REGINÆ ILLUSTRI,

IN ROMANORUM IMPERATRICEM ELECTÆ VIDUÆ,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 maji 1774.

Carissima, etc. Singulari Apostolicæ Majestati Tuæ pietati ac religioni sunt omnino consentaneæ curæ et cogitationes, quæ sollicitam te habent, atque anxiam de spiritualibus populorum tuorum subsidiis, et de commodiore expedienda via, qua iidem a suis pastoribus accurate regi gubernarique possint. Præclara hujusmodi tuæ eximiæ sollicitudinis indicia agnoscimus ex iis, quæ Nobis deferre voluisti de nimia episcopatus Pragensis et Olmucensis amplitudine, quæque a Nobis proinde postulasti de novis episcopatuum sedibus erigendis, ut imminutis spatiis et vineæ Domini cultoribus auctis ejusdem excolendæ facilior ratio sit, atque accommodatior, neque amplius a sui pastoris conspectu ob longinquitatem ipsam locorum, ut nunc necessario usuvenit, quamplurimi careant. Nos quidem hæc egregia tua studia summopere commendamus, carissima in Christo filia nostra, et postulationes has tuas diligentissime expensuros profitemur, atque in deliberando pro rei gravitate omnem sedulitatem, atque indus-

triam, qua æternæ omnium populorum saluti satagere ex imposito Nobis munere debemus, adhibituros. Interim Nobis est gratissimum te pro regio tuo munificentissimoque animo paratissimam esse ad ea subsidia tribuenda, ac præstanda, quæ plurima certe propositi perficiendi ratio postulabit. Æque Nobis pergrata fuit prudens, atque opportuna a Majestate Tua cura suscepta ne ea fieri ægre ac gravate finitimi principes ferant. Verum ut Deo adjuvante stabilire possint hæc omnia, suoque tempore perfici illa animorum consensione, et juxta illam ecclesiasticæ mansuetudinis et caritatis legem, quæ in his consiliis capiendis requiritur, alias etiam a Majestate Tua suscipi atque adjungi oportere partes ducimus, atque adeo cupimus, nimirum ut opera tua episcopus Ratisbonensis ejusque ecclesiæ capitulum, alii item episcopi, quæque insignia sunt, capitula canonicorum quos propius attingit, et quorum maxime interest præsens earum diœcesium status, æquo item ac libenti animo eas immutationes accipiant. Hæc habuimus, quæ in præsentia ad te perscriberemus; cæterum Majestati Tuæ persuasissimum esse volumus nihil Nobis esse optatius quam dum Dei gloriam potissimum consectamur, ut tuæ una voluntati divini cultus studiosissimæ satisfaciamus, tuique nominis laudi, ac populorum tuorum utilitati consulamus. Demum in manifestius argumentum summæ pontificiæ, ac paternæ caritatis qua te tuamque Augustam Domum prosequimur, apostolicam benedictionem Majestatique Tuæ, tuæque universæ Regiæ Familiæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 21 *maii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXX.

DILECTIS FILIIS

PRÆTORI, SENATUI, ET CONSILIO MAJORI

CIVITATIS ET REIPUBLICÆ LUCERNENSIS,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 21 mai 1774.

Dilecti, etc. Minime mirari debetis, dilecti filii, quod litteris vestris die 24 præteriti septembris ad Nos datis respondere aliquamdiu distulerimus. Ea enim in illis postulabatis ob quæ expectandum Nobis erat, ut certiores antea redderemur executioni mandatas isthic fuisse nostras apostolicas litteras, in quibus societatis Jesu ordinem justissimis permoti causis abolebamus; quod quidem apud vos effectum esse tardius, quam in aliis catholici orbis partibus postmodum intel-

leximus. Nihilo tamen minus petitionum vestrarum memores facile tum paternum animum nostrum ad rescribendum induximus. Sed eæ litteræ ne redderentur, quidam ex vobis causam dedere, qui tum moliri aliquid visi sunt, quo apostolicam auctoritatem Nobis immerentibus a Deo commissam declinarent. Cum porro recentiorem epistolam vestram die 22 aprilis datam accepissemus, in qua novum exhibetis, ac maxime opportunum filialis in Nos devotionis, et constantis in Sanctam hanc Sedem observantiæ vestræ testimonium ac plurimam præfertis de paternæ nostræ voluntatis in vos propensione fiduciam, perlibenter, atque ex animo per nostras hasce litteras respondemus, vobisque significamus, dilecti filii, curas cogitationesque nostras in eo nunc potissimum versari ut aliquo modo postulatis vestris satisfacere valeamus. Sed quo id facilius consequi possimus valde cupimus, ut cum ad moderationem aliquam consilia illa vestra deduxeritis, rationem etiam excogitetis, ad Nosque perscriptam transmittatis, qua illa commode, pacate, ac ex æquitate confici istic posse videantur. In qua tamen ineunda ratione id præcipue caveri a vobis debebit, quod dilecto filio Severino Servantis nostris verbis coram referendum vobis exponendumque committimus. Illud præterea in ipsa perscribenda ratione considerandum a vobis erit, cum ea consilia cessura in communem sint reipublicæ vestræ, scilicet tum ecclesiasticorum cum laicorum utilitatem, minime æquum videri, ut in unam tantummodo partem ecclesiasticorum nimirum, omne novum recidat, atque incumbat onus. Hæc habuimus, quæ in præsentia vobis rescriberemus, dilecti filii. Interim persuasum vobis esse volumus, nequaquam vobis defuturam esse apostolicam nostram sollicitudinem quam in ea omnia intensam gerimus quæcumque æqua, utilia, ac salutaria esse in Domino judicamus. Ac ut perspicuum de plurima nostra in vos paterna benevolentia pignus habeatis, apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 21 *maji* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXI.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO AUGUSTO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 junii 1774.

Carissime, etc. Si mœroris atque ægritudinis a Nobis præceptæ societas ac magnitudo mederi aliquo modo posset doloris acerbitati

quam a Regia Majestate Tua ex obitu amantissimi gloriosissimique regis avi tui susceptam esse scribis, magno profecto tibi solatio Nos esse posse existimaremus. Tantam enim doloris inde vim cepimus, quantam Nos quidem dicendo assequi minime possumus, sed tumet ipse optime intelliges ex summa tibique prespectissima mutua nostra cum illo conjunctione, quem ob illius religionem ceterasque regias animi virtutes, ac singularia in Ecclesiam, in Nos ac in hanc S. Sedem merita, hoc ipso tempore præsertim cumulata, et plurimi semper fecimus, et incredibili paterni amoris pietate prosecuti sumus. Verum ad compescendum luctum atque ægritudinem tuam illa potissimum cogitatio valebit quam nostro item leniendo dolori prodesse experimur, cum quo in religionem studio semper fuerit, perpendimus, cumque perspicua fuisse videmus divinæ erga illum misericordiæ indicia, quæ præcipue supremo illo suæ vitæ actu sapientissime sanctissimeque ex christiana pietate confecto extiterunt illustria. Is etiam dolor, ne inanis sit, adhiberi et converti a Nobis opportune debet ad inflammandas cumulandasque nostras preces, quas Nos pro illius animæ incolumitate ad divinam clementiam assidue fundimus, eumque in modum, quæ possumus maxima quæque debere profitemur, gratissimæ etiam voluntatis officia ipsi persolvimus. Ad nostri autem proprii mœroris ac molestiæ partem amovendam illud præ cæteris accedit, quod præstantissimum regem non esse ereptum reputare possumus, qui talem in te Nobis reliquerit expressam, ut suæ gloriæ ac virtutis, ita eximii in Nos, atque Apostolicam hanc Sedem animi effigiem. Quamobrem eo uberiore solatio, ac jucunditate afficimur, quo magis perspectas habemus regias tuas laudes, ex quibus Nobis summa ac præclara futura in religionem, in Ecclesiam merita tua certissime pollicemur. Hac egregia spe, tuique in Nos amoris significatione excitati, carissime in Christo fili noster, omnem illam in te traducimus paternam caritatem, qua cum avo tuo conjuncti eramus, omnia studia, officia, quæ proficisci a Nobis possunt; nostram omnem de mutua in Nos pietate et conjunctione fiduciam in te collocamus. Gratissimæ Nobis erunt res opportunitatesque omnes, quibus mirificam hanc nostram in te voluntatem tibi reipsa declaremus. Nunc enim intelliges omnem nostram erga avum tuum benevolentiam nedum in te esse traductam verum etiam, si fieri potest, auctam atque amplificatam. Demum Deum Optimum Maximam obsecrantes, ut tibi secundissimi rerum omnium cursus, amplissimique regni administrandi successus cum Ecclesiæ ac religionis utilitate conjuncti illius benignitate contingant, in cælestium beneficiorum auspicium, nostræque summæ caritatis pignus apostolicam benedic-

tionem Majestati Tuæ, ac universæ Regiæ Domui tuæ intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 1 *junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXII.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ ANTONIÆ FRANCORUM REGINÆ CHRISTIANISSIMÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 junii 1774.

Carissima, etc. Quam Nobis nuncias doloris tui causam, carissima in Christo filia nostra, eandem ita partimur tecum, ut ex immensa nostra ægritudine, qui, quantusque mœror sit tuus, maxime percipiamus. Summa Nobis cum Christianissimo rege Ludovico, quem extinctum lugemus, eximiæ caritatis, studii, amoris, omniumque officiorum consuetudo semper intercesserat, hoc ipso vero postremo tempore tanta ejusdem Nobiscum conjunctionis ac necessitudinis indicia extiterant, ut incredibilem in modum ejus pietate, religione, animi æquitate ac magnitudine afficeremur. Sed quo major est Nobis dolendi ratio, eo incitari magis debemus, ut assiduas fundamus pro ejus animæ incolumitate preces, æternumque exoremus Judicem, ut placabilis ipsi suæque in eum clementiæ ac misericordiæ sit memor. Id Nos, quanta maxima animi sollicitudine possumus, assidue a Deo contendimus, ut nunquam, quæ illi debemus, quæque Nobis reliqua nunc jam sunt persolvere hujusmodi munera intermittamus. Dum id ipsum Majestas Tua paribus permota pietatis causis peragit, valde cupimus atque hortamur, ut dolorem luctumque suum divina voluntate soletur, ejusque optima esse consilia omnia a Nobisque verenda atque adoranda ducat. Nos vero propriam ægritudinem nostram illa etiam cogitatione levamus, quod ut florentissimi Regni successionem, ita quodammodo nostræ etiam paternæ caritatis summæque conjunctionis hæreditatem transmissam esse videamus in carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Augustum conjugem tuum, in quem teque una libentissime omnia paternæ voluntatis officia transferimus, omnem collocamus de perspecta religione atque in Nos, ac S. hanc Sedem studio ac pietate fiduciam, Deumque enixe precamur, ut suis eum una tecum gratiæ ac benignitatis cumulet donis, quæ in istius Regni felicitatem, in Christianissimæ Domus gloriam, in Ecclesiæ præsidium, in nostram et Apostolicæ Sedis jucunditatem redundent.

Cum hæc vota nostra tuis consentiant, carissima in Christo filia nostra, præclare vides, quantum iis, quæ ad te maxime pertinent affecti simus, quamque eximia te prosequamur, paternæque caritatis plenissima voluntate, in cujus argumentum apostolicam benedictionem Regiæ Majestati Tuæ intimo animi nostri sensu amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die prima junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

LUDOVICO AUGUSTO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 1 junii 1774.

Carissime, etc. Reddidit Nobis Venerabilis Frater noster Franciscus Joachimus S. R. E. Cardinalis de Bernis Episcopus Albanensis litteras Majestatis Tuæ, quibus ipsum in pristino apud Nos, atque Apostolicam hanc Sedem ministerio confirmas, ac præclaram idcirco tuam de ipsius fide, diligentia, prudentiaque fiduciam testaris. Jucundissimum Nobis fuit, carissime in Christo fili noster, tam amplum in illum regiæ voluntatis testimonium plane nostro de eximiis ipsius meritis judicio consentaneum esse cognoscere. Ejusdem Nobis jam pridem perspectissima omnis est agendi ratio, qua præstantissimo Regi avo tuo in gravissimis negotiis operam suam navavit; quæ quidem ejusmodi est, ut dum officio suo regiæque voluntati egregie satisfaceret, una etiam Nobis mirifice studia et consilia sua omnia comprobaret. Quapropter cum ipsum pro sua virtute, et plurimi faciamus, et singulari benevolentia complectamur magnopere Majestati Tuæ persuasum esse cupimus tam gratum Nobis acceptumque esse, quod idem fungendum apud Nos ipsi munus imposueris, ut idcirco tibi maximas Nos agere atque habere gratias profiteamur. Cum enim summopere optemus voluntates nostras mutua eximiaque inter Nos pietatis, amorisque conjunctione, ac necessitudine in dies magis constringi, majorem in modum gaudemus illum confirmatum a te esse ejusmodi officiorum interpretem, cujus excellentem in eo operam experti antea sumus, cujusque consilio industria, atque experientia valde nitimur ac singulari etiam, qua erga te est, resque omnes tuas, fide, quæ tuæ res a nostris, Ecclesiæque rebus disjungi pro tua religione non possunt. Ac in eximiæ, qua te, carissime in Christo fili noster, tuam Christianissimam Domum prosequimur caritatis argumentum apostolicam benedictionem Regiæ

Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die prima junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXIV.

DILECTISSIMIS FILIIS

DECANO ET CAPITULO

ECCLESIÆ METROPOLITANÆ MOGUNTINÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 2 junii 1774.

Dilecti, etc. Ex nostro paterni animi dolore facile intelligimus mœrorem luctumque vestrum, dilecti filii, quem ex Venerabilis Fratris Emmerici Josephi istius metropolitanæ sedis Archiepiscopi et S. R. J. Principis Electoris obitu percepistis. Nos sane una cum vestris enixa pro ejus animæ salute vota conjungimus, ac intenso studio divinam illi misericordiam imploramus. Quod reliquum nunc est, nostrum hoc desiderium lenimus ac solamur illa cogitatione, fore quam primum, ut egregium ac omni episcopalis virtutis laude præditum virum in illius locum vestra electione substituatis. Vos itaque quantum possumus hortamur in Domino, dilecti filii, ut gravissimam illam actionem pro vestri muneris fide peragatis, in eaque et ad Catholicæ religionis incrementum, et ad istius ecclesiæ dignitatem rationes curasque vestras omnes conversas esse comprobetis. Plurimum Nos sane vestro studio prudentiaque nitimur, sed maxime optimorum consiliorum omnium auctorem Deum precamur, ut sui spiritus afflatu vos in consultationibus vestris suffragiisque dirigat, ac unanimes ad suam gloriam promovendam esse faxit. Quod ad dilectum filium Fargna Agentem vestrum pertinet, eundem etsi antea Nobis valde probatum atque acceptum ob perspectam suam diligentiam ac fidem, tamen vestras Nobis reddentem litteras vestræque in Nos devotionis officia accurate deferentem perlibenter excepimus, coramque ipsi declaravimus quæ nostra esset erga vos conjuncta cum plurima existimatione paterna caritas. Ac in ejusdem uberius pignus apostolicam benedictionem vobis, dilecti filii, peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 2 junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXV.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 4 junii 1774.

Dilectissima, etc. Nuper intelleximus te valde cupere ac dare operam, dilectissima in Christo filia nostra, ut ad istius tuæ Carmelitarum ecclesiæ ornamentum sex ex argento candelabra cum crucifixi Domini effigie quam primum compares. Nihil gratius atque optatius Nobis accidere potuit, quam hanc opportunitatem cum pietati tuæ tam voluntati in te nostræ consentaneam nactos Nos esse ut ejusmodi munus ad te statim transmittere valeamus. Illud igitur Venerabili Fratri nostro Francesco Joachimo S. R. E. Cardinali de Bernis episcopo Albanensi tradidimus, ut ad te nostro nomine deferendum pro suo in Nos teque studio diligenter curet; nunc a te vehementer petimus, dilectissima in Christo filia nostra, ut eo, quo a Nobis proficiscitur, animo idem excipere velis, summæ nimirum erga te paternæ caritatis existimationisque plenissimo. Etsi is tibi perspectissimus jam pridem sit, tamen hanc ejusdem tibi significationem perlibenter renovamus hoc ipso præsertim tempore quo sextum jam, exacto quinto auspicamur nostri pontificatus annum. Nova enim ex hoc Nobis tuæ pietatis præsidia comparamus, quibus imbecillitas nostra pro reliquo apostolicæ sollicitudinis, si quem Deus concedet cursu sublevetur. Quapropter ut ardentiores pro Nobis tuas ad Deum precationes reddamus, salutare itidem plenariæ indulgentiæ munus eidem crucifixi imagini adjungimus pro solemnibus Christi Domini, B. M. Virginis, Sanctorum Petri et Pauli, sancti Ludovici Galliarum regis et sanctæ matris tuæ Theresiæ festivitatibus quam indulgentiam tibi et dilectis in Christo filiabus tui monasterii monialibus et fidelibus omnibus confessis et sancta communione refectis, coramque ea imagine rite orantibus apostolica auctoritate concedimus, ac indulgemus. Minime hic necesse arbitramur, dilectissima in Christo filia nostra, ut aliquod tibi conemur afferre consolationis genus, quo luctum ad dolorem tuum ex amantissimi et gloriosissimi Parentis obitu perceptum aliquantulum leniamus. Te enim in Domino consolari ejusque sanctissimæ voluntati pro tua religione conformari atque acquiescere non dubitamus, et non tam de jactura hac tua, quam de illius animæ salute cogitare, eamque divino Judici, ut propitius ac misericors ipsi sit, assiduis precibus commen-

dare. Id vos etiam paternæ pietatis officium maximo, quo possumus ipsi studio persolvimus, quemque eximia caritate prosecuti semper sumus, eidem nostris obsecrationibus suffragari numquam intermittemus. Deum itaque precantes, ut qui te tribulatione visitavit, omni etiam sui spiritus consolatione repleat. Apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, in eximiæ nostræ caritatis pignus, tuisque in Christo Carmelitis sororibus amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 4 *junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXVI.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XIV ALLOCUTIO,

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO, DIE VI JUNII MDCCLXXIV.

Venerabiles fratres. Quæ Nobis vivo, atque incolumi carissimo in Christo filio nostro Ludovico Galliarum rege Christianissimo maximum jucunditatis fructum, ac sollicitudinem nostrarum solatia afferebant, nimirum egregia illius in Ecclesiam voluntas et mutui Nobiscum amoris ac necessitudinis conjunctio, nunc eadem, Venerabiles Fratres, illo gravissimi vi morbi extincto summi nostri luctus ac doloris causas augent. Quodque incredibili mœrore Nos afficit, orbati illo sumus eodem plane tempore, quo ejus insignia æquitatis, magnitudinis animi in Nos atque Apostolicam hanc Sedem pietatis testimonia extiterunt. Ita quæ ad ipsum diligendum, atque omnibus paternæ gravissimæque voluntatis officiis prosequendum valere plurimum debuerunt, illa potissimum ad nostrum dolorem cumulandum accedunt. Verum divini consilii rationes veneramur, ac a summo rerum Moderatore, in cujus manu sortes regum sunt, omnia ad suam gloriam dirigi, et in altitudine divitiarum sapientiæ suæ disponi agnoscimus. Illius voluntate nostri luctus acerbitatem mitigamus. Nostræ veræ utilitatis illum unum auctorem esse intelligimus. Nos quidem cum primum de regis vitæ discrimine ad Nos esset allatum extemplo preces ad Deum nostras una vobiscum summo animorum ardore convertimus. Cum nostris erant conjunctæ universæ Galliæ obsecrationes, et præsertim Christianissimæ Domus, ac quibus maxime nitebamur, dilectissimæ in Christo filiæ nostræ Aloysiæ Mariæ in illo sanctitatis domicilio pro amantissimo parente assidui gemitus ac lacrymæ. Minime irritas atque inanes fuisse has nostrum omnium flagitationes

ducimus. Si minus in regis impetranda valetudine profecimus, plurimum preces nostras valuisse ad illius animæ salutem, ac æternam felicitatem comparandam confidimus. In hanc fiduciam Nos inducet perspectus illius Catholicæ religionis tuendæ ardor, in Ecclesiam ac Sanctam hanc Sedem studium, in Nos denique egregius semper animus, recentibus his præsertim, ac præclarissimis indiciis Nobis maxime confirmatus. Id ipsum non obscure declarant ea quæ supremo vitæ tempore ab illo gesta, ac dicta fuisse scimus, cum Ecclesiæ mysteriis ad æternitatis iter ineundum munitus pacem ac veniam a Deo expeteret; nec vitam sibi prorogari nisi ad navandam religioni operam, atque ad populos suo etiam exemplo ad pietatem incitandos exposceret. Quare, Venerabiles Fratres, quo majores divinæ erga illum misericordiæ significationes intuemur, eo alacriore studio ad ipsius animæ incolumitatem a Deo impetrandam contendamus. Hæc una reliqua est, quam pro sua in Nos pietate referre ipsi possumus ac debemus, gratia. Hoc illi et privatim hactenus præstare non prætermisimus, et publice in pontificio sacello justis solemni ritu persolvendis una vobiscum præstituri sumus, nec ullum erit vitæ nostræ tempus, quo illius memores non quotidie hæc caritatis subsidia referamus, ac assiduis illi precibus apud divinum Judicem suffragemur. Interea desiderium nostrum solemur, Venerabiles Fratres, ac illa etiam cogitatione leniamus, transmissam esse carissimo in Christo filio nostro Ludovico Augusto, ut aviti regni ac potestatis, ita gloriæ ceterarumque omnium Christianissimæ Domus virtutum amplissimam hæreditatem. Elucere jam in illo scimus summum divini cultus studium, singularem pietatem, integritatem, in Nos etiam amorem. Hæc intelligimus ex amantissimis illius ad Nos litteris, hæc prædicatione omnium ac famæ celebritate ad Nos perferuntur. Nos invicem excellentis ejus virtutis, ac felicitatis studiosissimi sumus. Omnem propensissimi animi sensum, quo gloriosissimum ejus avum prosequebamur, in illum cumulatissime traducimus. Omnia paternæ caritatis officia, omnem de sua in Nos pietate fiduciam in illo collocamus. Atque hoc loco ad rem pertinet, ut vobis significemus, Venerabilem Fratrem nostrum Franciscum Joachimum S. R. E. Cardinalem de Bernis episcopum Albanensem in pristino apud Nos atque hanc Sanctam Sedem ministerio confirmatum esse nostrumque de ejus præstanti laude judicium præclaro regis testimonio comprobatum. Hunc in modum vehementer gaudemus, quod et vobis pergratum fore scimus, in illo cum eximium regiæ voluntatis interpretem, tum nostri erga regem animi testem gravissimum Nos esse habituros. Deum Optimum Maximum obsecramus, ut quos in his regnandi auspiciis

secundissimos carissimo in Christo filio nostro cupimus rerum omnium cursus, suo cœlesti præsidio ratos ac firmos esse velit ad religionis, Ecclesiæque incrementum, et ad florentissimæ Galliæ nationis utilitatem.

CCLXXVII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

JOSEPHO IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 29 junii 1774.

Carissime, etc. Incredibili profecto flagramus studio ut quem ex more institutoque majorum universis christifidelibus indiximus annum sanctum, annum nimirum remissionis et veniæ, eundem Nobis per summam celebritatem, confluentibus undique in almam hanc urbem populis, piorumque operum æmulatione a Deo propitiationem cum Ecclesiæ indulgentiarum thesauris consequi satagentibus, transigere divina benignitate contingat. Quæ dum animo assidue versamus, omniaque, quæ ad ejus temporis sanctificationem augendam facere possunt cogitatione complectimur, præcipue ad Augustissimam Majestatem Tuam mentem nostram convertimus, votisque omnibus te carissimum in Christo filium nostrum te Principem catholicæ Ecclesiæ patronum ac defensorem ad Nos accedere, atque ad nostrum paternum complexum venire exoptamus. Nulla unquam in vita Nobis tanta accidere jucunditas potest, nulla res adeo illustrare pontificatum hunc nostrum, quam tuus iste, quem animo præcipimus ac fovemus, cujus Nobis speciem summa voluptate proponimus adventus. Postquam itaque per alias nostras sub plumbo litteras ad omnes christifideles datas, promulgatas, et publici juris factas eosdem ad proximi anni millesimi septingentesimi septuagesimi quinti celebrationem invitavimus, peculiares hasce in forma Brevis ad te, carissime in Christo fili noster, damus litteras, quibus in singulare paterni amoris testimonium te nominatim invitamus, ut etsi antea etiam, quod jucundissime recordamur ad principum apostolorum limina accesseris, ac ingentia tot prædecessorum tuorum in illis conspicua pietatis ac religionis decora, liberalitatis, beneficentiæ, et gloriæ monumenta non sine summa animi tui voluptate conspexeris, tamen iterum hac spiritualis boni opportunitate huc te conferas, ac sacras indulgentias uberiori quam unquam ante hoc tempus copia consequaris. Optime pro sua sapientia intelligere Majestas Tua potest, quanto ipsa adventus tui

fama incitamento cæteris esset ad huc convolandum, quantum tuæ pietatis species omnibus ardorem injiceret ad cœlestium divitiarum munera tuo exemplo consectanda. Sed dum hac de te spe gaudemus, teque Nobis præsentem Nobiscum colloquentem mutuis amoris, pietatisque indiciis certantem quodammodo intuemur, jucunditatem hanc nostram illa sæpe reprimit cogitatio, ne forte gravissima imperii negotia Majestatem Tuam retineant, nostrisque optatis ac desideriis etiam tuis obsequi non sinant. Si secus igitur quam Nos cupimus, acciderit, idque tuarum rerum conditio postulavit, divinæ Nos voluntati, tuoque consilio confirmamus; persuasum tamen certissime habemus facile Nos a te impetraturos, quod vehementer petimus, ac rogamus, ut quod adventu, tuaque præsentia non poteris, illud studio, pietate, religione tua egregie pensatum esse gaudemus. Quapropter, carissime in Christo fili noster, sollicitudinem hanc, nostramque operam auctoritate tua adjuva, ac sustenta, præsto sibi esse tuam opem sentiant Venerabiles Fratres ecclesiarum antistites, dum populos ad sacram peregrinationem capessendam inflammabunt, ea omnia pro tua magnanimitate ac munificentia expedita, instructa, ac parata esse jube quæ peregrinantium commodum ac securitas postulabunt. Hunc in modum cum pro divino augendo cultu populorumque spirituali utilitate laboraveris, maxime tibi polliceri poteris juxta nostras omniumque pro te, tuoque imperio ad Deum deprecationes, in Majestatem Tuam summam gloriam ac felicitatem et cœlestium charismatum dona uberrime esse redundatura. Sed de his rebus prolixius tecum nostro nomine acturus est dilectus filius noster Antonius Eugenius S. R. E. Presbyter Cardinalis Vicecomes, quem a te pro tua humanitate libentissime auditum iri non dubitamus. Interim in eximiæ nostræ caritatis pignus apostolicam benedictionem Majestati Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 29 *junii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CLXXVIII.

ILLUSTRI AC POTENTISSIMO

REGI DE TRAVANCOR

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 2 julii 1774.

Illustris, etc. Cum de regii tui animi magnitudine ceterisque præclaris tuis laudibus multa sæpe in suis litteris perscribant nostri mis-

sionarii ordinis carmelitani qui in tui regni partibus degunt, tuaque insignia præsertim in se collata beneficia assidue prædicent : magna idcirco est tuo nomini tuisque virtutibus in his Europæ regionibus conciliata celebritas, tibique plurimi plausus multorum sermone merito tribuuntur. Sed quoniam hæ singulares tuæ dotes, tuaque summa erga missionarios humanitas Nos potissimum astringunt qui religioni christianæ præsidemus, et quorum nomine ac mandato iidem missionarii isthic versantur, Nos propterea tuas laudes, tuamque clementiam summopere afferimus, et tua in illos beneficia, ac merita tanquam Nobis ipsis præstita arbitramur, et profitemur. Quam ob rem has nostras litteras ad te dare voluimus, ut hos ipsos nostros plenissimos tuæ existimationis ac laudis sensus tibi aperiremus, atque una gratissimum tibi nostrum animum testaremur, et saltem reddendæ tibi gratiæ desiderium probaremus. Ipsi nostri missionarii tibi pluribus significabunt hanc propensissimam nostram tuæque felicitatis cupidissimam voluntatem. Interim a te magnopere petimus, ut has tuas laudes atque hæc tua in Nos merita cumulatiora in dies facias, et missionarios nostros tamquam pignora sinceræ ac mutuæ inter Nos amicitiæ usitata benevolentia, ac patrocinio tuo prosequare. Hoc tibi de illis recipere ac polliceri certe possumus, neminem tibi fideliorem atque addictiorem quam illi sint et ad obsequia tua paratiorem fore. Hoc enim et ab ipsa lege quam profitentur, et a Nobis arctissime illis mandatur atque injungitur. Ac proinde hac etiam causa legis christianæ incolumitatem, et ejusdem præcones missionarios nostros tibi commendatissimos futuros confidimus. Demum Deum omnipotentem obsecramus ut prosperam ac diuturnam vitam, et omnium bonorum incrementa tibi, Illustris, et Potentissime Rex, effuse largiatur. In primis vero suæ gratiæ subsidio concedat ut per agnitionem veritatis ad veram perpetuam felicitatem pervenias. ***Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die*** 2 *julii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXIX.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO

BAVARIÆ DUCI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 26 julii 1774.

Dilectissime, etc. Iterum litteras tuas accepimus, dilectissime in Christo fili noster, in quibus a Nobis vehementer postulasti, ut cons-

tituendo Prioratui simulque aliquot commendis Ordinibus Equestris Melitensis, ac erigendæ uni vel duabus feminarum illustrium canoniis bona et reditus nonnullorum monasteriorum tuæ ditionis, Ecclesiæ et reipublicæ minus, ut scribis, utilium, assignari applicarique apostolicæ potestatis plenitudine concederemus. Quæ postulata tua minime ambigere debes, quin pro nostra in te singulari caritate studiosissimo animo exceperimus, idque maxime exoptaremus, ut in his etiam, quemadmodum antea sæpe fecimus, voluntatem tibi nostram cumulatissime comprobare possemus. Verum ad gravissimas res expendendas decernendasque judicii quoque gravitatem, ac maturitatem afferri oportere ipse pro tua prudentia non ignoras. Hac proinde causa in postremis litteris tuis singillatim monasteriorum illorum statum enucleateque describere Nobis voluisti, ne quid esset in quo cognoscendo statuendoque hæreremus. Sed adhuc, dilectissime in Christo fili noster, supersunt hic quædam, a Nobisque desiderantur, ne quid in hoc judicio temere inconsulteque fecisse videamur. Quod ut tibi perspicue magis explicemus, a tertio tuæ ejus descriptionis capite sumimus exemplum, in quo de monasterio ordinis S. Brigittæ agens eo devenisse rem scribis, ut et ordinarii et Principis territorialis consensu ejusdem a Nobis extinctio postulari debuerit. Illud igitur superesse facile nunc vides, ut utraque cum Ecclesia, tum laica potestas non solum in ejus Ordinis extinctionem a Nobis postulandam justis de causis consentiat, sed modum etiam, rationemque reperiat, qua minus incommode quidquid exequendum videbitur, peragi valeat. A vobis itaque, qui in præsenti re estis, explorandi primo sunt mores voluntatesque illius Ordinis virorum ac mulierum, et in quod aliud singuli vel singulæ monasterium pro cujusque animorum inclinatione transferendi, vel transferendæ sint, cognoscendum : tum quo commigrare cuique libuerit, videndum, ut benevolum illic receptorem habeat, ne qua scilicet ex habitationis et consortii novitate vel instituti varietate perturbatio, ac offensio oriatur, et ex uno in plura monasteria dissensiones propagentur. Hæc atque hujusmodi cetera, quæ ad hanc rem rite conficiendam pertinent, cum cognoveritis, ac non solum in rei æquitatem, sed in certam etiam ejusdem peragendæ rationem consenseritis, tum omnia ad Nos singillatim, perspicueque conscribenda erunt, ut iis perspectis, ad illud, quod optimum videbitur consilium descendere valeamus. Tertium hoc tuæ descriptionis caput pro exemplo induximus, ut quid etiam in aliis postulatorum tuorum capitibus præstandum istuc a te, ac loci cujusque ordinario sit, ad Nosque transmittendum intelligas. Illud demum majorem in modum, dilectissime in Christo fili noster, a te petimus, ut tibi etiam

atque etiam persuadeas Nos in judicando illud unice præ oculis habituros, ut cum apostolico muneri nostro, Ecclesiæ utilitati, divinæque gloriæ satisfecerimus, una tibi etiam satisfaciamus. Quod facile Nos consecuturos confidimus; cum enim has ad res consilia tua omnia conversa esse certi simus, gratum tibi acceptumque, quidquid Nos de expositis a te causis in Domino decernendum judicabimus. Ac in singularis paternæ benevolentiæ argumentum apostolicam benedictionem tibi, dilectissime in Christo fili, ac universæ Electorali Domui Tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 26 *julii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXX.

DILECTISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

MAXIMILIANO JOSEPHO

BAVARIÆ DUCI, S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 31 julii 1774.

Dilectissime, etc. Pluribus ex rebus, quas a Nobis identidem flagitasti, quasque tibi pro apostolici nostri ministerii officio impertiri potuimus, libentissimeque largiti sumus, luculenter cognovisti, dilectissime in Christo fili noster, quantopere simus ad te S. hujus Sedis beneficiis ornandum, tibique gratificandum propensi. Ex hoc ipso paterno nostro erga te animo æque tibi perspectum esse non dubitamus, Nos si aliquando petitionibus tuis assentiri minime possumus, gravissimis causis impediri, nostræque voluntati ipsas Pontificii muneris rationes adversari. Per molestum est Nobis hujusce generis esse illa, quæ nuper tuis ad Nos datis litteris de abroganda nostra de festis diebus lege deque sanctorum solemnitate in Dominicos dies transferenda a Nobis postulas. Si quidem dies Domino consecratus, ut præclare nosti, maximam ac præcipuam semper in Ecclesia venerationem obtinuit, et diligenter quantum fieri potuit est cautum, ne ab hujusmodi divino cultu, ac Domini celebritate fidelium mentes distraherentur. Propterea cum tuis, ac multorum Germaniæ Principum precibus ac rationibus inducti fuimus, ut festorum dierum numerum imminueremus, eam in primis curam adhibuimus, ut festa sanctorum in statis suis diebus retineremus, ne si in Dominicum diem eadem transtulissemus : (etsi omnis religiosus cultus ad Deum referatur) tamen hominum mentem sanctorum celebrationi assuetam, hujusmodi conjunctione a primo illo Domini cultu quodpiam remitterent. Sed

ad hujusmodi translationem a Nobis flagitandam te esse adductum videmus exemplo minime illo quidem vero, sed tanquam verissimo ad te relato similis alicujus translationis ad aliorum postulationem a Nobis concessæ. Tam enim abest, ut id cupiam impertiti simus, ut mallemus in alios dies traducere sanctorum solemnitates Domini diebus hactenus attributas, quam novis translationibus sacros Altissimo dies magis occupari patiamur. Sublato hoc fundamento, quo postulatio tua potissimum erat subnixa, supervacaneum esse ducimus, ut alias rationes explicemus, quæ Nos ab abrogando nuper lata lege omnino deterrent. Tute ipse vides quantus ex hac inconstantia, atque ex ipsa cultus inter finitimos varietate fidelium scandalo atque offensioni et adversariorum calumniis pateret aditus. Quapropter, dilectissime in Christo fili noster, si populi ditioni tuæ subjecti sanctorum celebrationi, atque operum vacationi assueti, diuturnæ consuetudini initio acrius inhærescunt, tamen id ipsum paullatim dediscent, et Episcoporum potissimum institutione percepta ad officium ac laborem, ut multis in locis usuvenit, revocari facile poterunt. Ad hujus consilii nostri rationes te libentissimo animo voluntatem tuam adjuncturum esse confidimus, idque a te magnopere petimus. Hunc in modum tuam erga Nos, ac Sanctam hanc Sedem pietatem mirifice Nobis comprobaveris. Demum in nostræ singularis erga te caritatis pignus tibi, dilectissime in Christo fili noster, tuæque universæ Electorali Domui apostolicam benedictionem amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 31 *julii* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXXI.

DILECTISSIMO FILIO

FREDERICO CAROLO JOSEPHO

ELECTO ARCHIEPISCOPO MOGUNTINO, ET S. R. I. PRINCIPI ELECTORI,

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 6 augusti 1774.

Dilecte, etc. Quamquam certi essemus, dilecte fili, te ob perspectam omnibus meritorum tuorum præstantiam a dilectis filiis canonicis, collegis tuis ad Moguntinæ Ecclesiæ cathedram electum iri, tamen id ipsum summa omnium consensione effectum esse magna animi nostri jucunditate intelleximus. Ex hac enim delata tibi dignitate et singulares in istam Ecclesiam utilitates redundaturas, et tibi episcopalis exercendæ virtutis et veræ solidæque comparandæ gloriæ præclaram opportunitatem extituram facile cognoscimus. Quaprop-

ter tibi summo pere gratulamur, unaque plurimas habemus gratias, quod hanc Nobis lætandi causam pergrato hujusmodi officio tuo tuæque in Nos observantiæ plenissimo tribuisti, si quidem hunc eundem, quem præ te fers, in Nos atque Apostolicam hanc Sedem animum ita accepimus ut optimum inde episcopatus tui auspicium capiamus. Vehementer enim inde etiam persuasum est Nobis, te in eodem egregie perfungendo eximiam nostram de tua virtute opinionem amplioribus in dies indiciis confirmaturum, teque in hoc novo vitæ curriculo ineundo omnem tuam curam, omnem operam ad animarum incolumitatem, Ecclesiæ utilitatem ac divinæ gloriæ incrementum præcipue collocaturum. Hoc a te maxime expectamus, dilecte fili, atque hac tuæ sollicitudinis fiducia freti te singulari benevolentia nostra complectimur, tibique omnia paternæ caritatis studia pollicemur. Dilectus filius Joannes Baptista Fargna hujusmodi nostros de te sensus, cum tuas nobis litteras redderet, sibi perspectos, minime dubitamus, quin accurate etiam pro sua diligentia tibi perscripturus sit, quem Nos, etsi valde Nobis antea pro sua fide et integritate probatum atque acceptum, tua tamen causa nunc perlibenter excepimus, et imposterum semper tua peragentem ac ad Nos deferentem negotia excepturi sumus. Ab eodem et modo quantam postulatorum tuorum rationem pro peculari nostro in te studio habeamus, et quid postea de iisdem expensis omnibus fuerit constitutum intelliges. Demum Deum Optimum Maximum obsecrantes, ut animi tui virtutem suæ gratiæ vi ad tantum sustinendum munus confirmet, ac roboret, omnesque tibi ac Moguntinæ Ecclesiæ deferentes paternæ nostræ voluntatis fructus apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, amplissimo pontificiæ caritatis testimonio cumulatam peramanter impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 6 *augusti* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXXII.

DILECTISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

ALOYSIÆ MARIÆ REGIÆ GALLIARUM PRINCIPISSÆ

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 10 augusti 1774.

Dilectissima, etc. Binas eodem tempore abs te litteras accepimus, quibus pergratas tibi fuisse paternæ nostræ ac plurimæ erga te caritatis significationes luculenter pro eximia tua in Nos pietate declaras. Hac ipsa pietatis tuæ fiducia excitati, dilectissima in Christo filia nos-

tra, rem de qua magnopere in præsentia solliciti cupidique sumus ad te his litteris perscribere, tibique commendare voluimus, cum persuasissimum sit Nobis te in illa conficienda, atque ad eum quem optamus exitum perducenda voluntatem, atque operam tuam mirifice Nobis approbaturam. Venerabilem Fratrem nostrum Franciscum Joachimum S. R. E. Cardinalem de Bernis valde diligimus plurimique facimus ob illius excellentes virtutes Nobis optime perspectas toto nostri pontificatus tempore, quo gloriosissimi patris tui ministerio est apud Nos perfunctus. Singularem in munere gerendo, regiisque mandatis exequendis intelligentiam, integritatem, fidem, industriam in illo agnovimus, præclarum item in Nos animum ac Sanctam hanc Sedem observantiam ac egregium tranquillitatis, mutuæque concordiæ studium experti sumus. Quam ob rem vehementer gavisi fuimus receptis carissimi in Christo filii nostri Christianissimi regis fratris tui filii litteris, quibus illum confirmare se eodem apud Nos munere quo hactenus fuisset Nobis præscripsit. Verum quo gratior Nobis est, ac jucundior hominis consuetudo, quoque magis idoneum, ac utilem futurum in regii ministerii partibus apud Nos sustinendis judicamus, fit, ut eo diuturniorem Romæ illius commorationem et quoad vita divino beneficio Nobis suppetet sui apud Nos ministerii perfunctionem cupiamus. Id tua opera, tuoque interposito officio Nos potissimum consecuturos arbitrati sumus. Quæ tua sit apud præstantissimum regem fratris tui filium gratia novimus. Non mediocrem item futuram scimus tuam nostro huic desiderio obsequendi alacritatem, teque pro tua sapientia omnes, quæ maxime ad id aptæ accommodatæque sint rationes adhibituram non dubitamus. Ipsius carissimi in Christo filii nostri Christianissimi regis propensam in Nos voluntatem facile te comperturam pro ejus egregio in Apostolicam Sedem animo confidimus. Sed hanc Nobis gratificandi opportunitatem tua etiam causa acceptiorem illi futuram arbitramur. Alienum a tuo summo in Nos studio ducimus, ut te cohortatione nostra incitemus, quam hujus Nobis navandæ operæ tua sponte cupidissimam cognoscimus. Illud tantummodo adjungimus inde pontificiæ nostræ summæ quidem erga te voluntati maximum tamen cumulum accessurum, teque hoc eximio facto tuo egregie de Nobis, atque hac Sancta Sede esse merituram. Interim divinæ gratiæ auspicem et nostræ qua te prosequimur caritatis testem apostolicam benedictionem tibi, dilectissima in Christo filia nostra, amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 10 *augusti* 1774, *pontificatus nostri anno sexto.*

CCLXXXIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO

CAROLO HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 8 septembris 1774.

Carissime, etc. Certissima spe tenebamur fore ut res omnes, quæ istic ad nuntiaturam apostolicam pertinent, pro Regiæ Majestatis Tuæ singulari æquitate, ac summa in Nos benevolentia in eum statum reducerentur, quem Nos maxime optaremus. Tamen cum id ipsum egregie perfectum absolutumque esse a te, carissime in Christo fili noster, atque omnia ad desiderii nostri rationes composita intelleximus, tantam inde jucunditatem cepimus, ut ipsa expectatio nostra ac summa de te fiducia nihil ex nostræ lætitiæ magnitudine detraxerit. Itaque quam maximas possumus Majestati Tuæ gratias et reddimus et habemus. Præclaro hoc facto tuo novas Nobis causas dedisti te omnibus mutui amoris officiis prosequendi, atque etsi nulla ad nostram summam ac paternam in te caritatem fieri possit accessio, tamen eximio tuo in Nos animo incredibilem in Nobis cupiditatem nostræ idem mirificæ erga te voluntatis rebus in omnibus confirmandæ excitasti. Deum Optimum Maximum enixe precamur, ut pro tua erga Nos ac Sanctam Apostolicam Sedem pietate in te, tuosque regios liberos ac universam Catholicam Domum optimos quosque, atque optatissimos suæ benignitatis fructus conferat. Ac cœlestis gratiæ auspicem, ac nostræ paternæ caritatis pignus apostolicam benedictionem Regiæ Majestati tuæ amantissime impertimur. *Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die* 8 *septembris* 1774, *pontificatus nostri anno sexto*

DOCUMENTA VARIA

HISTORIAM PONTIFICATUS

CLEMENTIS PP. XIV

ILLUSTRANTIA.

DOCUMENTA VARIA

HISTORIAM PONTIFICATUS

CLEMENTIS PP. XIV

ILLUSTRANTIA.

CCLXXXIV.

DILECTO FILIO NOSTRO

VENCENTIO TITULI SS. MARCELLINI ET PETRI PRESBYTERO,

S. R. E. CARDINALI MALVEZZI

NUNCUPATO EX CONCESSIONE ET DISPENSATIONE APOSTOLICA

ARCHIEPISCOPO BONONIENSI,

BENEDICTUS PAPA XIV.

Romæ, die 15 maii 1756.

Dilecte fili noster salutem et apostolicam benedictionem. Tibi præ cæteris, dilecte fili noster, qui Bononiæ, dum archiepiscopus agere-mus, et Romæ, ubii primum intimus cubicularius, deinde cubiculo nostro præfectus per plures annos fuisti, magis compertum explora-tumque est, quantum, quoad Nobis integrum fuit, pro metropolitana ecclesia Bononiensi olim Nobis, modo tibi desponsa studuerimus et adlaboraverimus, ut illius instauratio a tot annis cœpta, neque inquam absoluta, tandem per divinæ bonitatis abundantiam perficeretur, et sacrarium sacris supellectilibus etiam pretiosis ex auro et argento affatim locupletaretur. Quoniam autem ipsam metropolitanam eccle-siam ita instauratam esse probe novimus, ut nova consecratione indi-gere non dubitemus; cum eæ potissimum concurrant causæ, quæ juxta sacros canones novam ejusdem instaurationem jure ac merito exigere videntur; quemadmodum per nostram epistolam Italico sermone scrip-tam, ac typis editam gravissimis rationum momentis ostendimus ac

probavimus. Eapropter eo semper flagrantissimo desiderio tenebamur, atque spe allicebamur, fore nimirum, ut luculentis nonnullorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum exemplis insistentes Bononiam repetere, dilectissimum clerum ac populum nostrum invisere, atque una invicem gratulantes, metropolitanæ ecclesiæ laudatæ consecrationem peragere valeremus. Verum votorum nostrorum impotes faciunt, atque a concepta spe dejiciunt non contemnenda provectæ ætatis impedimenta et non levia podagræ incommoda. Itaque illud tandem consilium suscepimus, in eamque devenimus sententiam, ut relicta Nobis pariter a nonnullis Romanis pontificibus prædecessoribus nostris documenta sequentes aliquem deputaremus, qui nostro nomine illam perficeret. *Itaque te, dilecte fili noster, qui a Nobis Archiepiscopus Bononiæ constitutus, qui creatura nostra es, qui tanta cum nominis tui laude, tanta cum Christiana pietate, pastorali sollicitudine, sacerdotali vigilantia, bono exemplo et ecclesiastico zelo impositum tibi ministerium cumulate adimplere satagis et adniteris;* apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus et deputamus, ut solemnem sæpe dictæ ecclesiæ metropolitanæ eo die, eo mense, prout tibi opportunius visum fuerit, nostro nomine consecrationem facias ac perficias. Volumus autem ut universis et singulis Christifidelibus per edictum publicum indicas plenarias indulgentias a Nobis concessas esse iis omnibus, qui sive in ipsa consecrationis die, sive in duobus immediate sequentibus diebus confessi ac sacra communione refecti eamdem metropolitanam ecclesiam visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Indulgentiam vero septem annorum et totidem quadragenarum pro visitantibus ipsam metropolitanam ecclesiam in anniversario consecrationis die in perpetuum assignes. Porro etsi persuasum habemus, te, dilecte fili noster, memorem impositionis manuum nostrarum super te, et paternæ caritatis, qua te semper complexi sumus, et pro filiali tua erga Nos observantia assiduas ad bonorum largitorem Deum pro Nobis preces fundere, tamen hac occasione te, dilecte fili noster, rogamus et poscimus, ut ferventioribus deinceps obsecrationum suffragiis tum dilectionis tuæ, quam aliorum Christifidelium curæ tuæ commissorum, quos excitare et hortari ne omittas, apud supremum pastorum principem Jesum Christum, cujus vices in terris immerentes gerimus, continuo pro nostra imbecillitate instes et urgeas, ut cor et corpus nostrum cælesti lumine illustret, divina virtute repleat et superna ope confirmet non solum in gravissima universalis Ecclesiæ procuratione et in omnium ecclesiarum sollicitudine, verum etiam in ultima mor-

talis hujus vitæ nostræ exitu, cum districtam de actibus gestisque nostro æterno Judici rationem reddituri sumus. Cæterum volumus et mandamus, ut tu, dilecte fili noster, in fine solemnis Missæ in ipso consecrationis die per te celebrandæ nostro nomine et auctoritate papalem benedictionem Christifidelibus tibi creditis impertiaris; dum Nos ad prosperum rerum omnium successum cœlestis præsidii auspicem et studiosæ nostræ voluntatis pignus apostolicam benedictionem uberrima cum cælestium munerum copia conjunctam tibi, dilecte fili noster, ex intimo corde depromptam elargimur. *Datum Romæ, etc., die* 15 *maji* 1756, *pontificatus nostri anno decimosexto.*

CCLXXXV.

BEATISSIMO PADRE

Vicsuroine, 1 mars 1760.

Averti depuis longtemps, par des personnes pieuses et d'une doctrine irréprochable, qu'il se répandait des bruits fâcheux sur la manière dont je pensais au sujet des disputes qui troublent aujourd'hui la paix de l'Église, je m'étais rassuré par ma soumission reconnue aux décrets du Saint-Siége; je n'avais pas cru devoir faire une attention sérieuse aux avis qui m'étaient donnés : mais depuis que des docteurs et plusieurs évêques respectables m'ont assuré par leurs lettres que ces bruits calomnieux se répandaient de plus en plus et qu'on les appuyait de circonstances capables de faire impression non-seulement aux simples fidèles, mais aussi aux premiers pasteurs; que même dans l'assemblée générale du clergé de France, dont l'ouverture a dû se faire aujourd'hui, il était à craindre que ces bruits ne missent en doute sur ma doctrine plusieurs membres, du premier et du second ordre; j'ai pensé, très saint-Père, qu'ayant l'honneur d'être attaché à l'Église par l'ordre sacré du Diaconat, qu'étant abbé commendataire de deux célèbres abbayes, membre de l'Église de Lyon si respectable par son ancienneté et par la pureté de sa doctrine, surtout qu'ayant été élevé à la dignité éminente du cardinalat par la bonté infinie de Votre Sainteté, il ne m'était plus permis de laisser subsister le moindre doute sur ma respectueuse et profonde soumission aux décisions du Saint-Siége, et que si la prudence ne me permettait pas, dans les circonstances où je me trouve, d'édifier avec trop d'éclat le clergé de France, assemblé à Paris, par une profession authentique de ma doctrine, je devais du moins l'hommage de ma foi à Votre Sainteté, dont j'ai l'honneur d'être la créature.

J'ai pensé aussi qu'après avoir rempli cette obligation indispensable, je devais laisser à la sagesse supérieure du chef de l'Église le soin d'instruire le sacré Collége de mes sentiments; qu'ayant mis aux pieds de Votre Sainteté une profession sincère de ma doctrine et un monument authentique de mon obéissance, je devais espérer qu'elle voudrait bien me défendre dans tous les temps auprès du Saint-Siége, opposer un bouclier aux traits de la calomnie, et empêcher, par les moyens que sa haute prudence pourra lui inspirer, qu'une de ses créatures, qui a rempli des places si importantes dans ce Royaume et qui est revêtue d'une si grande dignité dans l'Église, ne soit taxée de favoriser des erreurs si souvent et si justement proscrites;

Qu'après avoir déposé dans le sein paternel de Votre Béatitude l'expression de mes sentiments, j'étais dispensé désormais de rompre le silence respectueux que ma situation actuelle me prescrit : que surtout je devais éviter qu'on ne pût attribuer les démarches que j'aurais pu faire auprès du clergé de France à un esprit d'inquiétude; et peut-être même à l'envie de faire parler de moi, et au désir de m'associer, sans y être autorisé, aux affaires qui vont occuper l'assemblée du clergé.

Mes intentions sont pures : je crois de mon devoir de prévenir Votre Sainteté contre les imputations de la calomnie; de l'instruire de mes principes sur la doctrine; de ne laisser aucun doute sur ma parfaite soumission : et après avoir rempli les obligations de mon état, il ne me restera plus qu'à pardonner, comme je le fais du fond de mon cœur, à mes ennemis, et à les plaindre de s'être trompés sur mon compte ou de chercher à faire illusion sur ma véritable façon de penser.

Je déclare donc et je proteste à Votre Sainteté que, dès l'âge de vingt ans et aussitôt que j'ai sû écrire et penser, j'ai employé mes faibles talents à défendre la religion contre l'impiété des matérialistes, des déistes, des sceptiques, des libertins, et en particulier contre les hérétiques;

Que mes ouvrages sur ces matières ont été connus et approuvés non-seulement des savants, mais des personnes les plus éminentes en dignité et en vertu;

Que dans mes œuvres académiques et de simple littérature je n'ai rien fait qui blessât en aucune manière la religion, les mœurs ou la charité chrétienne : que j'ai désavoué publiquement, dans mes discours imprimés en 1744, des recueils que mes ennemis avaient fait courir sous mon nom, et qu'ils n'ont cessé de répandre dans toutes les occasions où cette supposition aurait pu me nuire.

Je désavoue donc de nouveau au pied du trône de Votre Sainteté t

les ouvrages qu'on a pu m'attribuer jusqu'ici, n'en reconnaissant de légitimes que ceux que j'ai publiés moi-même et dans lesquels j'ai rendu constamment hommage à la religion, à la vertu et aux bonnes mœurs.

A l'égard de mes sentiments théologiques, ils n'ont jamais pu être suspects. J'ai fait mes premières études au collége des Jésuites à Paris, ma philosophie et ma théologie au séminaire de Saint-Sulpice et en Sorbonne. Je n'ai jamais eu aucune liaison directe ni indirecte avec aucun réfractaire aux Bulles des souverains Pontifes qui ont proscrit les erreurs contenues dans les livres de Baïus, de Jansénius et de Quesnel, dont je proscris les erreurs dans le même sens que les souverains Pontifes les ont condamnées.

J'ai souscrit plusieurs fois purement et simplement et avec une véritable soumission le formulaire d'Alexandre VII.

Je proteste de cœur et de bouche d'avoir rendu et de rendre toujours à l'avenir la même obéissance à la bulle Unigenitus.

J'adopte à ce sujet les sentiments du clergé de France, et je l'imiterai toujours dans son profond respect pour le Saint-Siége et dans sa soumission aux décisions de l'Église.

Je déclare de plus que, dans la vie privée ou publique, je n'ai pensé, rien dit, rien écrit, rien fait ni rien conseillé qui n'eût pour fondement, pour motif et pour objet ces mêmes sentiments que je viens de manifester à Votre Sainteté : que je n'ai rien projeté qui ne fût conforme à l'esprit de l'Église et aux sages maximes du clergé de France et du royaume : que je n'ai rien proposé qui ne tendît à faire cesser l'obstination des esprits indociles aux décrets du Saint-Siége, à les *plier au joug* de la soumission, à les réunir dans le centre de l'unité : que mon attention ne s'était pas bornée à guérir les maux présents, qu'elle avait eu pour objet de les prévenir dans les suites, de purifier les écoles, de perfectionner les études et de ramener, s'il était possible, au sein de l'Église, cette foule d'aveugles que l'hérésie en a arrachés.

J'ai toujours craint et détesté le vent de nouvelles doctrines : j'ai vécu et je mourrai attaché à la foi de l'Église catholique, apostolique et romaine et au fil non interrompu de la tradition.

Si, par ignorance, ou défaut de lumières, je me suis trompé dans mes vues ou dans les moyens que j'ai employés, il ne faut en accuser que la faiblesse de l'humanité, et rendre à la droiture et à la pureté de mes intentions la justice qui leur est due.

Tels sont mes sentiments, Très-Saint Père; si dans la profession sincère que j'en fais il y avait, soit au fond, soit dans la forme, quel-

chose à changer, à retrancher ou à ajouter, je suis entièrement
mis, par avance, au jugement qu'en portera Votre Sainteté; et
dopte avec respect, obéissance et amour toutes les réformes qu'elle
aignera y faire.

Baccio alla Santità Vostra umilissimamente i santissimi piedi

Di Vostra Santità

Umilissimo, divotissimo, obligatissimo servidore
e creatura Il Cardinale DI BERNIS.

Vicsuraine, 1° marzo 1760.

Je demande mille pardons à Votre Sainteté de n'avoir point écrit cette lettre de ma propre main; mais mon écriture est trop mauvaise; Votre Sainteté voudra bien m'excuser.

CCLXXXVI.

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO JOACHIMO S. R. E. CARDINALI DE BERNIS

CLEMENS PAPA XIV.

Romæ, 31 martij 1760.

Dilecte, etc. Magnam te cepisse molestiam oportuit, cum primum accepisti, iniquos de te quosdam spargi rumores, quibus tua in Ecclesiam voluntas animique tui sensus de rebus, quæ ad Catholicam religionem pertinent in suspicionem venirent. Etsi enim cum de eo agitur, quid de nobis homines sentiant, ita medios Nos gerere debemus, ut Nobis bonum nomen curæ esse videatur. Scriptum est enim, « curam habe de bono nomine », neque tamen abjecte sermonibus hominum et existimationibus serviamus, cum beatissimus Paulus dicat: « Si adhuc hominibus placerem Christi servus non essem », tamen justo arbitramur te dolore commotum, quod tam atrocibus fama tua suspicionibus læderetur, ex quibus universæ Ecclesiæ magna accidere possit offensio. Nos vero de ista animi tui ægritudine vehementer sane doluimus; sed tamen mirabiliter lætati sumus, quod gravissimis verbis Nobis declaraveris, religioni te ab ineunte ætate animum tuum devovisse, Catholicæ fidei esse studiosissimum, et in hanc Sanctam Sedem præclare animatum; qui omni, quo æquum est, obsequio apostolic decretis adversus Baii, Jansenii et Quesnelli errores nullo non te pore obtemperaveris, Formulario felic. record. prædecessoris no Alexandri VII semel iterum ac sæpius sincere subscripseris, con tutioni Unigenitus non tam voce, quam intimo animi tui sensu par

semperque parueris. Ex his animi tui rectissimi sensibus velut e fonte, tua omnia scribis fluxisse consilia; nunquam cum iis, qui Sedis Apostolicæ decretis adversantur quidquid tibi fuisse commercii, nihilque te designasse, molitum esse, dixisse, aut cogitasse, ex quo rem catholicam quidpiam detrimenti accipere posse suspicarere. Quæ quidem voluntatis, studii, pietatis, quæ tuæ in Ecclesiam præclara significatio etsi Nobis gratissima fuit et perjucunda, tamen apud Nos nihil illa opus fuit; cum non modo de ejusmodi malevolis sermonibus, quos de te jactari conquereris, nihil unquam inaudierimus, sed ne tenuissimus quidem rumusculus ad aures nostras afflaverit. Id vero te tibi validius persuasurum existimamus, si de beneficio nostro singularique Cardinalatus honore, quo te ornatum voluimus, cogitaveris : neque enim illum assequutus esses, si vel levissima Nobis, in re tam gravi, de te fuisset injecta suspicio. Reliquum est, ut ista tua dictorum factorumque tuorum, quæ ad Ecclesiam pertinuerint, conscientia te consolere; cujus vis quanta sit declaravit B. Petrus apostolus cum scripsit « cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, ut in eo, quod detrahunt vobis, confundantur. » Nos quidem ob tam præclaram apud Apostolicam Sedem obsequii, obedientiæ, fidei denique tuæ significationem illud fore confidimus, ut ejusmodi de te rumores mali, prolata in lucem veritate, funditus evanescant. Illud autem quod de se dicebat B. Job, dum te monemus, ne tibi unquam ex animo excidat, non recedam ab innocentia mea; justificationem meam, quam cœpi tenere non deseram », paternæ in te caritatis et benevolentiæ nostræ pignus apostolicam benedictionem peramanter impertimur. *Datum Romæ, etc., postridie kal. aprilis* 1769, *pontificatus nostri anno secundo.*

CCLXXXVII.

A M. LE MARQUIS D'AUBETERRE.

A Versailles, le 8 janvier 1765.

. . . . . .

Je croyais que Mgr le cardinal de Rochechouart avait laissé à Rome dans la secrétairie de l'ambassade du Roi, des copies de sa correspondance relative aux affaires de Sa Majesté; mais puisque ma conjecture à cet égard ne se trouve pas fondée, je vous envoye la dépêche que je lui adressai par un exprès le 16 janvier 1762 concernant les jésuites. J'approuve fort le parti que vous avez pris de concert avec Mgr le cardinal de Sciarra, de ne faire aucune démarche au sujet de l'édit du Roi par rapport à leur compagnie, et d'attendre qu'on vous

donne lieu de vous expliquer sur ce sujet conformément aux intentions de Sa Majesté.

. . . . . .

Le duc DE PRASLIN.

CCLXXXVIII.

COPIE A M. LE CARDINAL ROCHECHOUART.

A Versailles, le 16 janvier 1762.

Monseigneur,

Jusqu'à présent l'affaire des Jésuites n'est point entrée dans notre correspondance, parce qu'elle ne ressortissait point à mon département, ne devant pas être traitée à Rome; mais le Roi m'ordonne aujourd'hui de vous instruire de l'état où elle est, et de la démarche que Sa Majesté juge à propos de vous prescrire.

Votre Éminence a sans doute été informée du commencement de cette affaire, de ses progrès et de ses suites. Le Parlement l'ayant entamée d'une manière trop vive, le Roi crut qu'il était de sa sagesse d'envoyer au mois de septembre dernier des lettres patentes pour surseoir aux poursuites de cette compagnie, et annonça en même temps qu'il se ferait rendre compte de l'affaire, qu'il en prendrait connaissance par lui-même, et qu'il ferait connaître ses volontés avant l'expiration du délai. En conséquence, Sa Majesté a nommé des commissaires de son conseil pour examiner les constitutions des Jésuites et pour lui en rendre compte. Postérieurement, le Roi a demandé l'avis des évêques qui se sont trouvés à Paris ou dans les environs, et Sa Majesté s'est expliquée en même temps, que ces évêques ne devaient point former une assemblée régulière ni authentique; qu'elle attendait d'eux une consultation et non une décision, et qu'elle ne prétendait point s'assujettir à l'avis qu'ils lui présenteraient. Ces évêques ont rempli les vues du Roi; ils ont examiné la matière dans des conférences tenues chez Mgr le cardinal de Luines, et qui n'avaient point l'authenticité d'une assemblée; il en est résulté trois avis, l'un approuvé par quarante-cinq évêques, l'autre par cinq, et le troisième s'est trouvé solitaire. Ces différents avis ont été remis entre les mains de MM. les commissaires du conseil, qui suivaient en même temps l'objet de leur travail, et ces magistrats après avoir examiné avec l'attention la plus scrupuleuse et la plus impartiale les constitutions des Jésuites, les procédures du parlement, l'avis de MM. les gens du Roi, et ceux des évêques, viennent enfin d'en faire le rapport au Roi, et de lui proposer le plan qu'ils ont cru le meilleur pour terminer cette

affaire, et pour faire cesser les troubles qu'elle occasionne dans le Royaume. L'objet des commissaires a été de conserver les Jésuites, de les tirer de la crise violente, où ils se trouvent et de fixer irrévocablement leur état en France; mais en même temps, ils se sont occupés de remédier aux inconvénients et aux abus qu'ils ont cru pouvoir résulter de leurs constitutions, et de prendre les précautions convenables pour les assujettir aux lois fondamentales de la monarchie, et pour mettre des bornes à l'autorité excessive de leur général. C'est, Monseigneur, l'excès de cette autorité qui a le plus frappé les commissaires; elle leur a paru telle qu'il n'en existe point de pareille dans aucun ordre religieux. Ce pouvoir illimité d'un général étranger sur des sujets du Roi, leur paraît inconciliable avec celle de Sa Majesté et avec les maximes du royaume. MM. les commissaires ont donc cherché tous les moyens possibles de modérer cette autorité dangereuse sans attaquer essentiellement l'institut des Jésuites et sans le dénaturer; ils ont trouvé les plus grandes difficultés à remplir cet objet; la plupart des expédients qu'ils ont imaginés étaient insuffisants ou destructifs de la société. Enfin après un long travail, de profondes réflexions, et l'examen le plus scrupuleux, un seul leur a paru capable de remplir les vues du Roi. Cet expédient est, que le général nomme un vicaire général français qui exerce en France l'autorité du général, qui prête serment de se conformer aux lois de l'État, et qui soit le gage et la caution de la conduite des Jésuites dans le royaume; ces magistrats ont remarqué que l'expédient qu'ils proposaient étaient d'autant meilleur qu'il était puisé dans les constitutions mêmes des jésuites qui permettent au général de nommer un vicaire général dans des cas prévus; elles citent en particulier celui d'infirmité et de maladie, et il faut avouer que si le général est en bonne santé, la société est bien malade, et qu'elle est aujourd'hui dans le plus grand danger. MM. les commissaires ont encore observé que la nomination du vicaire général, en remédiant aux inconvénients reconnus de l'autorité sans bornes du général, ne changeaient en rien le régime de la société, qu'elle le maintenait au contraire dans toute son intégrité; que l'autorité même du général demeurait entière avec la seule différence qu'elle s'exerçait par son vicaire, nommé par lui, et changé tous les trois ans. Je dois encore ajouter une attention que MM. les commissaires ont eue pour le général, c'est que dans le cas où il se trouverait en France de sa personne, dès lors il exerçait par lui-même son autorité, et que le vicaire général serait déchu de tous ses droits. Ils ont appuyé leur proposition par des exemples, en citant plusieurs ordres religieux, tels que les Prémontrés, dont les généraux sont en France

et qui ont des représentants en Italie, et l'on a rappelé toutes les tentatives que la cour de Rome a faites pour établir la même réforme dans l'ordre des Chartreux.

Une autre observation très-importante et sur laquelle MM. les commissaires se sont fondés, c'est que l'expédient du vicaire général est non-seulement analogue aux constitutions des jésuites et aux lois de leur fondateur, qui permettent au général de choisir un vicaire, mais que de plus il est conforme à l'édit de 1603 rendu par Henri IV pour l'établissement des Jésuites en France; ils ont pensé même que la nomination de ce vicaire était en quelque sorte l'exécution d'une clause de cet édit, qui porte qu'un Jésuite muni de pouvoirs demeurera auprès de la personne du Roi comme le gage de la caution de sa société.

Telle est, Monseigneur, la base du plan qui doit être rédigé en forme de déclaration. Cette déclaration contiendra beaucoup d'autres articles dont je ne vous fais pas aujourd'hui le détail, attendu que je ne vous écris que de mémoire et avec une grande précipitation, pour ne pas perdre un temps très-précieux, et je me borne à vous instruire des points les plus importants. Il y en a entre autres un fort essentiel pour les Jésuites, et dont il est à propos que vous soyez informé, c'est que MM. les commissaires ont découvert dans leurs recherches que de cent quarante-huit maisons qui sont dans le royaume, il y en a environ quatre-vingts dont les biens ne sont pas en règle, ni leurs titres revêtus des formes qui devraient légitimer leurs possessions. La déclaration doit statuer sur cet article et surseoir à toute démarche que pourraient faire les tribunaux jusqu'à ce que Sa Majesté ait pris les moyens d'assurer à ces maisons leurs possessions d'une manière irrévocable.

Au surplus, la déclaration mettra au néant tous les appels comme d'abus, interjetés par le parlement, des différentes Bulles, et elle stipulera que dorénavant on ne reconnaîtra que celles qui auront été duement enregistrées. Cet article est conforme à nos maximes, et ne laissera aucune suite à cette affaire.

Telles sont les principales dispositions au moyen desquelles on espère de faire cesser les troubles du royaume, en fermant la bouche aux parlements et en leur ôtant toute occasion d'inquiéter les Jésuites, et l'on se flatte par ces précautions d'avoir pourvu aux inconvénients de toute espèce. Mais Sa Majesté, qui honore la société des Jésuites d'une protection spéciale, veut encore donner une marque distinguée de ses égards pour le général, en lui communiquant le plan qu'elle est dans l'intention d'adopter, pour l'engager à entrer

lui-même dans ces vues salutaires. C'est, Monseigneur, l'objet du courrier que je vous dépêche par ordre du Roi; vous devez faire sentir à ce général toute la reconnaissance qu'il doit aux soins paternels que Sa Majesté se donne pour garantir sa compagnie des dangers auxquels elle est exposée, et lui représenter, qu'étant plus intéressé que personne à la splendeur de son ordre, il ne doit pas balancer de concourir aux moyens qui sont seuls capables de fixer leur état en France d'une manière irrévocable; mais si ce général y paraissait opposé et qu'il fît difficulté de s'y prêter, vous ne devez pas lui cacher que le Roi n'en connaît point d'autres pour conserver et sauver les Jésuites, et que s'il se refusait à un expédient indiqué par leurs constitutions mêmes et autorisé par leur fondateur, il se rendrait responsable au public, à lui-même et à sa compagnie, des malheurs qu'elle pourrait éprouver. Votre Éminence n'aura pas de peine à sentir combien la situation du Roi est délicate dans les conjonctures présentes et l'intérêt essentiel qu'il a de maintenir la tranquillité dans l'intérieur de son royaume. Les tribunaux séculiers et le public même ont pris parti dans cette affaire avec tant de vivacité, et paraissent si animés contre la société, que si on ne leur donnait aucune satisfaction, surtout dans les articles où l'on ne saurait disconvenir que leurs représentations sont fondées, il en résulterait nécessairement des troubles très-dangereux et très-difficiles à apaiser, et dont les suites ne pourraient qu'êtres funestes aux Jésuites mêmes, qui deviendraient les victimes du malheur public.

Sa Majesté prescrit donc à Votre Éminence, aussitôt la présente reçue, d'envoyer chercher le général des Jésuites, de lui faire le tableau de la situation actuelle des affaires, et de lui communiquer le plan dont je viens de vous rendre compte. Aux termes de la déclaration projetée, le général doit nommer dans six mois un vicaire général qui lui sera toujours subordonné et qui exercera son autorité en France pendant l'espace de trois ans; ce terme expiré, le général sera le maître de continuer le même vicaire, ou d'en nommer un autre; mais cette qualité de vicaire général ne pourra être conservée au même homme au delà de six années. Voilà le point important et vraiment essentiel de la déclaration; c'est sur cet article que le Roi demande le consentement formel du général et une réponse précise et catégorique de sa part. Vous ferez sentir, Monseigneur, tout le prix de l'attention qu'a Sa Majesté de demander ce consentement avant de donner sa déclaration, et vous devez employer tout votre crédit sur l'esprit du général pour lui faire adopter le seul moyen qu'on imagine pour conserver les Jésuites en France, et pour les mettre à l'abri

des persécutions auxquelles ils sont exposés. Il n'y a rien à négliger pour réussir dans un objet aussi important, et qui intéresse véritablement le Roi par l'affection particulière qu'il porte aux Jésuites. Mais en même temps vous lui déclarerez que son refus pourrait devenir fatal à sa société, Sa Majesté alors ne pouvant se dispenser ou de donner sa déclaration sans égard à son opposition, ou de laisser agir les parlements suivant leur système et leurs principes. Vous ferez observer au général que le temps presse et qu'il n'y a pas un moment à perdre; l'affaire des appels comme d'abus devant être portée définitivement au Parlement le 9 du mois prochain, il est indispensable que le Roi prenne un parti avant cette époque, et que je reçoive de votre part une réponse satisfaisante et précise. Je recommande la diligence à mon courrier, et j'espère qu'il arrivera à Rome dimanche prochain 24 de ce mois. Si vous le gardiez plus de quatre ou cinq jours, il serait à craindre que son retour ne fût trop reculé. Le Roi remet aujourd'hui dans vos mains, Monseigneur, une affaire très-importante par sa nature et dans ses conséquences, et ce qui doit encore vous la faire paraître plus intéressante, c'est qu'elle affecte particulièrement son cœur; je n'ai rien à ajouter à des motifs si puissants. Sa Majesté ne doute pas que vous n'y mettiez tout le zèle qu'elle vous connaît pour son service, et je finis en vous répétant, selon ses ordres, que vous devez employer tous les moyens possibles pour obtenir le consentement du général à la nomination d'un vicaire, puisqu'on ne connaît ici d'autre ressource que cet expédient pour sauver les Jésuites et rétablir la tranquillité dans le royaume.

Il serait superflu, Monseigneur, de vous dire que cette dépêche n'est point faite pour être communiquée au général des Jésuites; vous en prendrez l'esprit et la substance sans en affaiblir l'énergie pour obtenir sans délai le consentement qu'on lui demande.

J'ai l'honneur, etc.

CCLXXXIX.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Ex conclavi, 16 mart. 1769.

Universis et singulis præsens hoc publicum instrumentum visuris, lecturis pariter, et audituris evidenter pateat, et notum sit, quod die decima sexta mensis martii anni MDCCLXIX Indictione II, horis pomeridianis post absolutum scrutinium, completaque prorsus omnia ad idem pertinentia, cum rite aperta fuerit janua conclavis, ut ingredi possit

Eminentissimus et Reverendissimus Hieronymus tituli S. Balbinæ, S. R. E. Cardinalis Spinula, Serenissimi Joseph II electus Romanorum Imperator, et Petrus Leopoldus ejus germanus frater, magnus dux Etruriæ, in prædicta porta steterunt, ut Eminentissimum Alexandrum Albani præfati imperatoris apud Sanctam Sedem administrum plenipotentiarium adloquerentur.

Hac occasione Eminentissimi Stuppanius Episcopus Prænestinus, Boschius tituli SS. Joannis et Pauli presbyter, et Veteranus SS. Cosmæ et Damiani diaconus, cardinales in ordine Priores, ac cæteri omnes Eminentissimi, biretum præ manibus habentes, retentoque in capite pileolo rubro, ad prædictam januam accesserunt, ut præfatis Regiis Principibus, etsi diversa alia ut assolet, quam vera præcelsæ dignitatis specie almam urbem ingressis, luculenta obsequii testimonia, et communis lætitiæ significationes exhiberent. Omnes et singulos Imperator, ac magnus dux Etruriæ capite omnino detecto, humanissime exceperunt, et allocuti sunt.

Post mutuum ac longum sermonem iidem Serenissimi Principes ardens desiderium ostenderunt ingrediendi paulisper conclave, ut ejus structuram conspicerent et legitimum Romanum Pontificem eligendi methodum edocerentur. Æquo tantorum Principum desiderio obsistere Eminentissimi Patres non putarunt. Quare ingressi sunt tantummodo prædictus Romanorum electus Imperator, ejusque frater Magnus Dux Etruriæ, vetitusque alteri cuicumque etiam nobili et illustri caractere insignitæ personæ aditus ab Excellentissimo magno Conclavis Mareschalco, exterius eamdem portam, interius vero illam custodiente Eminentissimo et Reverendissimo cardinali Rezzonico, S. R. E. camerario pro suis officiis, et vigilantiæ debito.

Directe ad capellam Sixtinam ducti fuere laudati Serenissimi Principes, universo Eminentissimorum Cardinalium cœtu adstante. Ibi accensis cereis facibus, magnificam sacelli structuram, nobilium pictu rarum ornatum, Eminentissimorum Patrum sedilia, schedulas, eas comburendi modum, ceteraque omnia scrutinio peragendo materialiter tantum inservientia, ac tandem novo pontifici induendo paratas jamdiu vestes inspexerunt.

Ex hac capella ad aliam Paulinam, in qua sanctissimum Sacramentum asservatur, accesserunt, ubi sacratissimam Eucharistiam in tabernaculo clausam humiliter venerati, ad viciniores Eminentissimorum cellulas progressi sunt. In his multa de vivendi ratione, de frugali vescendi modo, ac de domestica veneratione suscitati sunt.

Super magnum Vaticanæ Basilicæ porticum adducti, de loco, ac forma publicandi novum pontificem inquisiverunt. Tandem ad regiam

Aulam regressi, multo temporis spatio cum Eminentissimis Patribus humanissime conloquuti sunt.

Hos inter sermones non defuerunt nonnulli ex Eminentissimis Patribus Cæsareæ Majestati Suæ propinquiores, qui et particulari, et communi ac publico S. collegii nomine, fidei, religionis, et viduæ Ecclesiæ tutelam Principi illius advocato, et de eadem pro avita Majorum suorum pietate semper promerito, impense commendarent; quibus Imperator non minus urbane, quam graviter respondens, multa de pontificia dignitate, de suaque erga Romanam Ecclesiam devotione disseruit.

Tandem singulos Eminentissimos Cardinales perquam humaniter alloquutus, faustaque omnia eisdem adprecatus, una cum prædicto Magno Etruriæ Duce e conclavi discessit. Quare Eminentissimus Carolus tituli S. Clementis cardinalis Rezzonicus S. R. E. Camerarius, januam clausit, ac tribus clavibus de more obfirmavit. Quæ omnia, etc.

Conclave per la morte di Clemente XIII. Relazioni delle feste, e regali fatti all' Imperadore, e Gran Duca di Toscana; Biglietti di Mgr Maggiordomo sopra il trattamento del G. Duca di Toscana del conte d'Almada; Trattamento del Gran Maestro di Malta, e della Repubblica di Lucca, pag. 69, etc.

CCXC.

NOS MARIA THERESIA ROMANORUM IMPERATRIX,
VIDUA, REGINA HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ,
CROATIÆ ET SLAVONIÆ, ETC.; ARCHIDUX AUSTRIÆ, DUX BURGUNDIÆ,
MAGNA PRINCEPS TRANSYLVANIÆ, DUX MEDIOLANI,
MANTUÆ, PARMÆ, ETC.; COMES HABSBURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, ETC.
LOTHARINGIÆ ET BARRI DUX;
MAGNA DUX HETRURIÆ, ETC., ETC.

Viennæ, 10 aprilis 1769.

Reverendissimis in Christo Patribus Dominis N. S. R. E., episcopis, presbyteris, diaconis, ac universo collegio cardinalium; amicis nostris carissimis salutem ac benevolentiæ nostræ affectum; Reverendissimi in Christo Patres, amici carissimi. Quæ de gaudio a R. P. V. ob faustum Augusti Cæsaris, serenissimique Archiducis Magnæ Etruriæ Ducis, dilectissimorum filiorum nostrorum, in urbe adventum, ac de singulari, quod in eosdem excipiendos, omniumque honorum significatione persequendos impendistis, studio vestris litteris die XVII superioris mensis ad Nos datis nunciata, et ab Archiepiscopo Ephesino Sanctæ Sedis Apostolicæ in hac Aula nostra nuntio uberius

coram fuere exposita, nec nova Nobis acciderunt, nec sane inexpectata; utpote quæ solitus Purpurati ordinis erga Cæsaream Majestatem cultus, et studiosa in Augustam Domum nostram voluntas Nobis certissime videbantur polliceri. Pergratum nihilominus atque jucundum Nobis fuit, læta R. P. V. animi sensa super tam auspicato ac novi pæne exempli eventu percipere : neque jam mirum esse debet, vobis præeuntibus, reliquos illum proceres populumque Romanum ovantes plaudentesque celebrasse.

Hæc vero dum grato animi sensu recolimus, magnas quantum ad Nos pertinet, toti amplissimo cardinalium collegio gratias habemus. Quid vero de novi Summi Pontificis electione, de religionis incolumitate, de sacerdotii et imperii concordia, temporisque ratione sentiamus, vobis jam constare minime dubitamus. Ecclesiæ certe, pro officio nostro, ea, qua consuevimus pietate colendæ tuendæque non deerimus; tum et sacri ordinis vestri decora et ornamenta cordi semper habebimus; quem interea supremi Numinis tutelæ commendamus, et de Cæsareo Regiæ in eundem benevolentiæ affectu volumus esse certiorem. *Datum Viennæ, die* 10 *aprilis* 1769, *regnorum nostrum vigesimo nono.*

Reverendissimarum Paternitatum Vestrarum

Benevola

MARIA THERESIA.

W. KAUNITZ RITTBERG.

HENR. GABR. A COLLENBACH.

Litteræ Cæsareo Regiæ ad S. Collegium Cardinalium.

CCXCI.

A MONSEIGNEUR LE CARDINAL DES LANCES.

Turin, ce 25 septembre 1770.

Monseigneur,

J'ai informé en son temps Votre Eminence du plaisir que le Roi s'est fait de déférer à la requisition qu'elle lui a faite de la part de Sa Sainteté de s'employer pour dissiper ses inquiétudes au sujet du traitement que les États Ecclésiastiques pourraient essuyer de la part des vaisseaux russes. Ensuite de bons offices que Sa Majesté a fait passer à ce sujet à la cour de S. Pétersbourg, le marquis de Cordon vient de mander, en date du 11 de ce mois, que le prince Gallitzin, ministre de Russie à la Haye, lui a fait voir une lettre du comte Panin, par laquelle il le charge de lui exprimer dans les termes les plus obligeants et

les plus affectueux que l'Impératrice de Russie est très-flattée de profiter de cette première occasion qui se présente de marquer son attention pour tout ce qui peut plaire à Sa Majesté. Que quoique l'Impératrice se soit suffisamment expliquée que ses vaisseaux, loin d'inquiéter la navigation et le commerce d'aucune puissance chrétienne, chercheraient au contraire à leur donner toute l'assistance qui serait à leur main, et que quoiqu'elle n'eût aucun doute que la conduite de ses commandants ne fût uniforme à ces sentiments, voyant néanmoins l'intérêt que le Roi prend à ce qui regarde le Pape, elle se faisait un plaisir de déclarer que son intention est et a toujours été dès le commencement de comprendre les sujets et les États de Sa Sainteté dans l'assurance générale donnée pour la navigation des puissances chrétiennes; et qu'en conséquence les vaisseaux de l'Impératrice non-seulement ne les molesteraient en quoi que ce soit, mais au contraire, si le cas arrive, leur donneront tout secours et toute assistance contre les Barbaresques. Le comte Panin ajoutant encore que l'Impératrice a une satisfaction de plus à rendre Sa Majesté dépositaire de cette déclaration afin qu'elle la fasse passer à la cour de Rome.

Sur le compte que j'ai rendu au Roi ce matin de ce qu'a mandé à ce sujet le marquis de Cordon, Sa Majesté m'a chargé de le communiquer à Votre Éminence, comme je m'empresse de le faire sans délai, afin qu'elle puisse encore profiter, si elle le juge à propos, de l'ordinaire de demain pour en faire parvenir la connaissance à Sa Sainteté.

J'ai l'honneur d'être avec un sincère et respectueux attachement,

Monseigneur,

De Votre Éminence,

le très-humble et très-obéissant serviteur,

RAIBERTI.

CCXCII.

Varsavia, 23 settembre 1772.

Beatissimo Padre. Non può esservi in Polonia un oggetto il quale debba maggiormente impegnare le premure della Santa Sede e lo zelo della Santità Vostra di quello sia la conservazione del regno in tutta la sua estensione e nei suoi diritti, dipendendo dall' una e dagli altri il sostegno ancora non che il vantaggio in esso della Cattolica Religione, e della Chiesa. Mi credo pertanto in debito di partecipare a Vostra Beatitudine i suoi gravi perigli e la sua funesta situazione.

Egli è inutile il fare ora menzione delle misere circostanze, e del malconsigliato concatenamento di cose che hanno preceduto, e in gran parte occasionato quanto attualmente siegue: deve essere il tutto ben noto alla Santità Vostra.

Mi restringo solo a rappresentarle come ora le provincie le più vaste e le più fertili occupate dalle armi di tre suoi potenti vicini sono di già passate sotto il loro Dominio, o trovansi imminenti a soggiacere a tal destino. Niuna particolare offesa per parte della Repubblica, niuna dimenticanza dei proprj impegni e di quelle leggi che riguardano un buon vicino può giustificare questa usurpazione: Non è essa, che il risultato di una forza maggiore diretta dallo spirito di conquista, e dall' ambizione d'ingrandirsi a danno altrui.

Vostra Santità non può vedere con occhio indifferente un tal fatto, che mentre si oppone ad ogni ragione e giustizia apporta le più gravi irreparabili ferite alla cattolica Religione ed alla Chiesa.

In qualità di Rè e di capo della Nazione Polonese si constantemente addetta, e devota alla Santa Sede imploro, santo Padre, tutti quei soccorsi che può suggerire alla Santità Vostra il suo paterno affetto.

Si degni riflettere alla debolezza della medesima tanto per la sua propria costituzione, e per le turbolenze, dalle quali è stata fino ad ora oppressa, quanto per la forza troppo superiore dei suoi vicini, e facilmente vedrà che va essa intieramente a perire, se l'Europa l'abbandona.

Si sà quanto possa la Santità Vostra sullo spirito di quei Potentati che devono essere interressati al pari di Lei ad opporsi a tanta ingiustizia, ed ho motivo di sperare, che v' impiegheranno tutte le loro forze tosto che ne abbiano da Vostra Beatitudine uno speciale stimolo ed impulso.

Il di più le sarà esposto a voce dal mio Ministro il Marchese Antici, e le potrà essere comunicato in iscritto dal Reverendissimo Sig. Garampi veramente degno nunzio apostolico, a cui ho confidentemente aperto tutto l'animo mio; e pieno di fiducia nella pietà, magnanimità, e zelo del supremo Pastore, prostrato coi miei popoli alla sua benedizione le bacio i santissimi piedi,

Di Vostra Beatitudine

Ubbidientissimo figlio,

STANISLAO AGOSTO, *Rè di Polonia.*

CCXCIII.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO

CLEMENTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ EJUS NOMINIS XIV,

SACRO SANCTÆ ROMANÆ AC UNIVERSALIS ECCLESIÆ

PONTIFICI MAXIMO DOMINO CLEMENTISSIMO.

Varsaviæ, 26 septembris 1772.

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestræ mei, regnique ac Dominiorum meorum humillimam commendationem. Statim ut reverendissimus in Christo Pater Josephus Garampi archiepiscopus Beryti Sanctitatis Vestræ ad me et regnum meum nuntius feliciter in hanc civitatem pervenit, reddidit mihi suas in forma Brevis literas, quas mira animi mei oblectatione recepi et perlegi. In gravissimis enimvero angustiis, quibus res hujus reipublicæ, præsertim nunc sunt obnoxiæ, non modicum solatium mihi obvenit, cum ex præfatis literis, tum ex significatione dicti prælati perbelle intelligerem de paternæ luculentissimæ caritatis in me et regnum meum Sanctitatis Vestræ sensibus, quorum continuam memoriam grato animo servabo et recolam. Pergat amabo Sanctitas Vestra in prosequendo me regnumque meum suavissimo suo amore, benevolentia et studiis, perarduis vero rebus mei regni potissimum ad præsens, pro summa qua pollet apud Principes catholicos auctoritate, efficaciter assistat. Agitur nunc, Beatissime Pater, de avertendis malis, quæ non huic duntaxat regno, sed et religioni catholicæ perquam essent perniciosa; prout, nullus dubito, jam Sanctitati Vestræ apprime est notum.

De cætero maximas Sanctitati Vestræ refero gratias, quod ad obeundum munus ordinarii sui apud me et hanc rempublicam nuntii designaverit memoratum Reverendissimum in Christo Patrem archiepiscopum Beryti, qui pro singularibus animi sui virtutibus ac dotibus mihi nequit non esse acceptissimus. Pro eorum proinde consideratione, æque ac pro summa mea in Sanctitatem Vestram et Sanctam Sedem Apostolicam pietate et devotione, nihil in cumulando dicto prælato humanitatis et benevolentiæ meæ officiis unquam intermittam.

Ne vero prolixior sim in hisce meis literis et perinde Sanctitati Vestræ molestus; illustrissimo et reverendissimo domino cardinali secretario Status exponendum censui id, quod promotionem Reverendissimi Durini immediati apud me et rempublicam Nuntii, spectabat. Sanctitatem vero Vestram præsentibus duntaxat rogo, ut eorundem

expositorum æquam rationem habeat, et quo par est modo provideat ne secutus jam discessus dicti Reverendissimi Durini ex Polonia absque eo, ut extemplo pro more prædecessorum suorum, pro dignitate coronæ meæ, et promissis etiam S. M. Beatissimi antecessoris Sanctitatis Vestræ per organum secretariæ Status competenti promotione donaretur, in ullam imposterum sequelam trahatur. — Quod reliquum est, benedictionem apostolicam et continuam in me et rempublicam hanc propensionem et studia, pronus a Sanctitate Vestra deposco, et plenissima cum veneratione profiteor me esse,

Sanctitatis Vestræ

Obedientissimum filium,

STANISLAUS AUGUSTUS, *Rex Poloniæ.*

Dabantur Varsaviæ die 26 mensis septembris anno Domini 1772, regni vero mei IX anno.

CCXCIV.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO IN CHRISTO PATRI DOMINO

CLEMENTI DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ EJUS NOMINIS XIV,

SACRO SANCTÆ ROMANÆ AC UNIVERSALIS ECCLESIÆ

PONTIFICI MAXIMO DOMINO CLEMENTISSIMO.

Varsoviæ, 27 octobris 1772.

Sanctissime ac beatissime in Christo Pater, Domine Clementissime. Post oscula pedum Sanctitatis Vestræ, mei, regnique ac Dominiorum meorum humillimam commendationem. Quo statu sint res Polonicæ, primum intestinis dissidiis, per aliquot annos divexatæ, tum demum Principum exterorum armis oppressæ, ac pro cujusque libitu accisæ, non est, cur ob oculos Sanctitati Vestræ, omnia præclare videnti, nunciis ipsis ac fama orbem complentibus, ponatur. Quod autem afflicto, dilacerato, amplissimisque terris imminuto regno orthodoxo, non aliud solatium et auxilium sit, quam in sinu communis orbis christiani Parentis collocatum, id ego rex obsequens filius, id senatus, religionis Catholicæ defensor strenuus, in universa Polonia, veræ fidei propugnaculum, et summorum pontificum cultrix religiosa, paternæ Sanctitati Vestræ exponimus.

Tres vicinæ aulæ, Viennensis, Petropolitana, ac Berolinensis, nulla læsi juris sui expositione, nedum ulla vindicatione sæculorum intervallis facta, opportunitate internorum reipublicæ motuum usæ, illius malis res suas augeri, quam maxime decreverunt; immissis proinde

exercitibus, ditiones Poloniæ occupant, incolas et subditos, ad fidem in verba sua jurejurando confirmandam, vi et minis adigunt.

Hæ sunt, Beatissime Pater, eædem aulæ, quibuscum olim auctoritate summorum pontificum, Pauli II cum Prussis, Gregorii XIII cum Moschis, Sixti V cum universa domo Austriaca, omni juri in Poloniæ ditiones, interposito jurejurando perpetuo, et in singula capita renuncianti, pax est constituta, cessatum pro parte Poloniæ ab armis et victoriis.

Quare cum Poloniæ regnum, sacræ pontificum auctoritati semper obsequens, ejus nutu, commodis amplissimis, sese animo libenti abdicans, nunc ab iisdem supradictis principibus, vi et armis oppressum sit; ad Te Patrem confugit, opem implorando, ut Vestra Sanctitas christianis Principibus summam injuriam nostram ob oculos ponere cohortationibus, rationibusque accommodatis eosdem inducere, quin Poloniæ jura salva et integra, prout fuerunt hactenus, una cum ditionibus, restituantur, benigne dignetur.

Dederat id olim divæ memoriæ Sanctitatis Vestræ Decessori Clementi XIII Augustissima Imperatrix Regina Apostolica, ut ea, quæ comitiis, tum electionis, tum coronationis nostræ, acta fuerint, rata habuerit; concedet Eadem auctoritati Sanctitatis Vestræ, ut quæ ex infausto quodam rerum concursu potius, quam ex proprio motu, tam piæ principis, a regno nostro avulsa credere lubet, eadem ipsa, legitimo restituendi Domino, gloriosum prima dare velit exemplum. Et non despero equidem precibus tuis, Sancte Pater, exhortationibusque hoc tributuram, quam bene memorem censeo, quantum Domus Autriaca debeat Sedi Apostolicæ, cujus ope (inter tot alia) sub Innocentio XI Pontifice, excitata hæc eadem Polonia proprii oblita periculi, ad salvandam obsidione Viennam consurrexit alacriter, fausteque dimicavit, non centum abhinc annis.

O! utinam Polonia ob receptas provincias, tuas in ævum possit decantare laudes! Tum vere hic ames dici Pater. Deus te servet diu incolumem, Ecclesiæ Suæ, Regnique mei bono. Hoc vovet

Sanctitatis vestræ

Obedientissimus filius,

STANISLAUS AUGUSTUS, *Rex Poloniæ*.

Dabantur Varsaviæ die 27 mensis octobris anno Domini 1772, regni vero mei IX anno.

CCXCV.

Viennæ, 25 aprilis 1773.

Beatissime in Christo Pater Domine Reverendissime! Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Digna omnino fuit Nobisque peraccepta Sanctitatis Vestræ in firmo nostro erga orthodoxam religionem studio fiducia, dum sibi persuasum habuit nova sua pro hujus incolumitate officia lubentissime a Nobis excepta, hæcque illo, quo ad Nos delata sunt animo consideratum iri. Nequaquam enim dubitamus, eidem jam per suum penes Nos nuntium apostolicum venerabilem archiepiscopum Ephesinum compertum esse, qua prona penitus mente tam Sanctitatis Vestræ literæ die vigesima mensis præteriti ad Nos datæ, quam illa a Nobis suscepta fuerint, quæ præfatus suus nuntius viva adhuc voce super præsentem religionis in Polonia statum exposuit; tam ad illa, quæ Sanctitas Vestra per priores suas literas a Nobis expetiit, nihil in datis ad ministros nostros Petropolim, Berolinum et Varsoviam manditis omissum fuit, ut orthodoxa in memorato regno fides hujusque sacra summo conatu sarta tectaque serventur, Sanctitasque Vestra penitus se certam tenebit, conatus hos, omni, quam gravissimæ ibidem vicissitudines ferent ratione prosecuturos fore; peculiaris nostra pro re catholica sollicitudo perspectaque facile propriæ Sanctitatis Vestræ sagacitati momenta nullum desuper eidem relinquent dubium et quamvis anceps ac ardua rerum polonicarum conditio asserere non sinant, qualis esse queat curarum nostrarum eventus, tamen penes constantem operam nostram nunquam hærebit, quin Sanctitatis Vestræ, nostraque communia vota exoptatam assequantur sortem. Hanc proinde, ut supremus rerum largitor contra adversa molimina potenti præsidio fovere, simulque Sanctitatem Vestram pro nostro sanctæque Ecclesiæ solatio seros in annos incolumem, ac fortunatam servare velit, omni exoramus fervore. *Datum Viennæ, die vigesima quinta aprilis anno millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, regni nostri decimo.*

Sanctitatis Vestræ

obsequens filius

JOSEPHUS.

CCXCVI.

EPISCOPO VICARIO APOSTOLICO VRATISLAVIENSI.

Romæ, 15 januarii 1774.

Illustrissime et Reverendissime Domine. Quæ dudum Summi Pontificis animo opinio insederat de virtute tua, pastorali sollicitudine, eximioque in Apostolica Sede obsequio, ex humanissimis ad me nuperrime datis litteris mirifice apud eum contigit comprobari. Dum etenim gravi cordis mœrere ipse intellexit molestias, fraudes, ac parata isthic nefaria molimina a *diffidentiæ filiis*, ne Apostolicum Breve de Jesuitarum societate delenda, quæque ad servandam Ecclesiæ pacem saluberrime constituta sunt, ullatenus exequerentur, non leve dolori suo solatium comparatum est, ex quo D. T. Illustriss. veluti gaudens a conspectu concilii, calamitatem hujusmodi impavido fortique animo exceperit, ac murum opponens pro domo Israel universa pastoralis charitatis officia non prætermiserit exhibere. Hinc Sanctitas Sua uberes misericordiarum Patri gratias agens, quod suscitare istic dignatus sit sacerdotem fidelem, qui non æstimet animam suam pretiosiorem quam se, quique tanta cor suum constantia roboraverit, ut lætari quodammodo videatur, quod oblata ei tandem fuerit occasio exercendæ virtutis suæ, in mandatis mihi dedit, ut ejus nomine quæ pie hactenus fortiterque gessisti, uberi item meritaque laude prosequerer. Et quamvis Sanctitas Sua firmiter putet, te non aliam tibimetipsi proposuisse mercedem, nisi eam magnam nimis, quam repromisit Deus diligentibus se, ac persecutionem patientibus propter justitiam, persuasum tamen habere te velim, Pontificem ipsum nullis unquam opportunitatibus defuturum, ut testatam luculentissime faciat singularem, ac vere paternam, qua te, commissumque tibi gregem in Domino complectitur, caritatem.

Quod si magnæ admodum difficultates, multique te undique circumstant labores, ut præpostera hominum deletæ societatis desideria coerceas, et reducas aspera in viam planam, decet adhuc sapientiam, decet honorem suum, ut non convertaris in die belli, sed induaris fortitudine tua, ac in illa statione constanter maneas, in qua collavit te Dominus. Jacta curam tuam in eo, qui non dabit fluctuationem justo, quique mittere tibi valet auxilium de sancto, quo labores sustineas, difficultates vincas, tuumque demum impleas ministerium, ut ampliora in dies merita valeas comparare.

Hinc igitur Pontificis nomine te enixe hortor obtestorque, ut sanctum tuoque zelo vere dignum consilium teneas, et *cunctando* tueri

pergas, quo nullum ex deletæ societatis viris ad sacros ordines promoveas, eosque ita arceas a scholis, et dispensatione ministeriorum Dei, ut quæ in Apostolico Brevi hac in re constituta sunt, immota continuo maneant, nullumque omnino detrimentum patiantur.

Interim Summus ipse Pontifex nedum Deum Optimum Maximum, a quo sancta desideria et justa sunt opera, humiliter obsecrare non destitit, ut sublatis quæ inimicus homo superseminavit, zizaniis, evocet tandem diffidentiæ filios, eorumque dirigat cogitationes et opera ad justitiam faciendam, verum etiam cum potentissimi hujus regis egregias dotes perspectissimas habet, enixa apud illum jamdiu impendit studia, ut Apostolico Brevi liberæ relinquantur ædes, ac deletæ societatis homines juxta saluberrimas illius leges sua potissimum in ditione contineantur. Neve immo omnia, quæ vel ab hujus Sanctæ Sedis auctoritate, vel a paterna ejusdem pontificis plane intima caritate suppeditari tibi possunt, adjumenta desint, epistolas e vestigio dari jussit tum ad apostolicum Poloniæ Nuncium, tum ad Archiepiscopum Pragensem, ut collatis veluti consiliis, offensioni, et scandalo, queis commoveri fideles possent, summo studio occurrant; atque alter ad debitam Sedi Apostolicæ obedientiam eos flectat, qui modo degunt in Glacensi Borussicæ ditionis collegio, alter auxilium Regis efflagitet, ne veritati silentium indicatur, alanturque ii, qui ab audientia Petri voce se abducant, regale imperium cum Ecclesiæ legibus immerito commiscentes.

Te vero monitum obsequentissime facio, ne quid deinceps committendum fidendumque *Ciofano* putes. Habes apostolicum Poloniæ nuncium, aliosque Apostolicæ Sedis ministros, fide et zelo præstantissimos. His utere, eosque prudenter adeas, ut rerum ac temporum difficultati securius atque utilius studeas. Parcens tandem spectatum zelum tuum acrioribus stimulis pro Ecclesia Dei incendere, Patrem luminum continenter orabo, ut Nobilitatem tuam diu incolumem tueatur, et per vias suas, quæ sunt misericordia et veritas, quam felicissime dirigat. Et demum benedictionem apostolicam tibi impertiendo præcipuo Sanctitatis Suæ nomine toto obsequio me tibi devoveo.

Dominationis tuæ Illustrissimæ ac Reverendissimæ

Studiosissimus uti frater

A. Cardinalis Corsinus.

V. Macedonius, *Secretarius*,
Episcopo Vicario apostolico Vratislaviensi.

CCXCVII.

ARCHIEPISCOPO PRAGENSI.

Romæ, 19 januarii 1774.

Illustrissime ac Reverendissime Domine D. P. C. Quam ingens fidei, virtutisque tuæ fama populorum ora compleverit, hinc facile poteris existimare, quod ego te ante incipio rogare, quam nosse, quodque libenti te animo amplexurum confido occasionem de re catholica, atque Apostolica hac Sede præclare merendi. Perspectissimum jam esse tibi debet, quot qualesque in Diœcesi Vratislaviensi excitaverint turbas, quibusque machinationibus usi continuo fuerint malesuadi homines extinctæ societatis Jesu, ut evulgato jamdiu de Societate ipsa delenda Apostolico Brevi temere obsisterent, ac Pontificiis utcumque confixi legibus nusquam tamen profligati viderentur.

Quasi etenim societas ipsa vel adhuc viveret, vel suis veluti e cineribus illic evocata consisteret, nemo unus illorum antiquis adhuc moribus legibusque temperavit. Scholas imo quisque exercet impavidus, publice versatur ecclesiis, dispensatorem agit mysteriorum Dei, pluresque turmatim scholastici urgent initiari sacris ad nefariam sacramentorum contumeliam. Dumque omnes clausam, mutilam, et qualibet sorde maculatam offerunt hostiam, omni ope studioque nituntur, atque in Apostolico Vratislaviensi Vicario suscitavit sibi Deus sacerdotem fidelem, assiduis molestiis agitent, eosque qui fideles sunt, et verbum Domini audiunt, diris vexationibus impudentissime jactent.

Teterrimæ huic tempestati facem prætulit, ac præferre nondum sinit inimicus homo Carolus Reinock, qui dum Wartebergensi Jesuitarum Collegio, fortunisque præerat eo scandali scelerisque conscendit, ut ab activa ac passiva voce, ab universis officiis, ab ipso demum agendo pœnitentiæ sacramento dejectus fuerit, ipsa olim societate plaudente, quodque gravius est, adeo serpit, progrediturque sermo ejus loquens vanitatem, ut commotis, abductisque in sententiam suam provinciali Silesiæ ac Senioribus exstincti ordinis, populus ille veluti fluctuans a voce Petri ac Sanctæ Matris Ecclesiæ, novo jam incipiat vento in nequitia hominum circumferri.

Hinc porro facile quisque intelligit gravem acerbamque molestiam, quæ Pontificis animo insedit, ubi insperatus tanti facinoris rumor increbuit. Novit is periculi magnitudinem, eaque gravissima novit incommoda, quibus ejusdem facinoris tolerantia, corrupta populorum conscientia, et suprema Apostolicæ Sedis auctoritas afficerentur. At

oblinito parumper vulnere, non leve dolori suo solatium accessit, ubi in te virtutemque tuam oculos paternæ suæ caritatis inflexit, et ubi dum nox præcessit, diem ex fortitudine zeloque tuo appropinquasse prænovit.

Quamobrem Summus ipse Pontifex fidenti plane animo has ad te dari jussit, quibus virtutem zelumque tuum, vehementissimo ejus cordis affectu adprecari et obsecrare pergam, ut ad tuendam Apostolicæ Sedis auctoritatem, populorumque salutem in Diœcesi Vratislaviensi asserendam, oblatamque de re catholica, ac Petri cathedra benemerendi opportunitatem alacriter amplectaris. Ipsa siquidem propinquitas loci conferre videtur, ut indutus fortitudine tua, armisque lucis deteriora destruas, quæ diffidentiæ filii moliuntur consilia, et reducas aspera in viam planam.

Habes in collegio Glacensi Borussicæ ditionis prinvincialem Silesiæ, extinctique ordinis seniores, quos doceas qua lege, quave forma illorum nunc operam S. Mater Ecclesia requirit, et quo Regentis voluntas duxerit, illuc obsequentibus mentis gressibus ambulandum. Habes itidem cur commodius rationes et media inire possis, quæ ad Apostolicæ Brevis executionem, delendamque illic Jesuitarum societatem pro singulari prudentia tua magis putaveris expedire. Age itaque, decus, atque ornamentum gratiæ spiritalis, age illustrior portio gregis Christi ad gravem hanc causam invicta, qua soles, constantia propugnandam accurre, et novo huic oneri, ad quod vocavit te Dominus, humeros mentemque submitte. Interim vero suasum habeas velim, eo majorem nomini tuo gloriam, et apud Deum et homines meritum accessurum, quo ampliores gravioresque eximii tui pro orthodoxa religione ac pontificia auctoritate zeli significationes edideris. Dumque hæc omnia de virtute et pietate tua Summus ipse Pontifex tutissime pollicetur, divinam assiduis precibus clementiam exorabit, ut conatibus consiliisque tuis jugiter adesse dignetur, quodque mihi superest, diuturnam ac veram tibi felicitatem, ab ejus largitore Domino nusquam desinam adprecor.

Dominationis tuæ Illustrissimæ ac Reveredissimæ

Studiosissimus uti Frater

A. Cardinalis Corsinus,

V. Macedonius, *Secretarius*.

CCXCVIII.

Viennæ, 22 februari 1774.

Beatissime in Christo Pater, Domine Reverendissime! Post officiosissimam commendationem filialis observantiæ continuum incrementum. Cum pro sincero nostro erga Sanctitatem Vestram animo omnia quæ eidem grata ac prospera eveniunt, simul nostra reputemus, peculiari percepimus lætitia, quæ de restituenda Sanctæ Sedi a Serenissimis Galliarum et utriusque Siciliæ regibus pristina Avenionis, Comitatus Venaisini, Beneventi et Pontis Curvi possessione per datas ad Nos die decima nona mensis nuper elapsi literas Nobis significavit. Rite hæ Nobis ab Antonio Eugenio cardinale vicecomite penes aulam nostram nuncio Apostolico una cum Allocutionis in secreto consistorio habitæ exemplis exhibitæ fuerunt, faustumque hunc eventum Beatitudini Vestræ eo magis gratulamur, ac a majori semper sua cum regibus catholicis consensione optima quævis pro totius Ecclesiæ tranquillitate ac pro communibus commodis auspicanda sunt. Cum Nos sic in comprobanda filiali nostra erga Sanctitatem Vestram voluntate ac affectu nihil relicturi simus, concepta sua desuper fiducia desideratum assequetur complementum. Velit proinde beneficum numen salutaribus Beatitudinis Vestræ consiliis semper magis favere, eidemque non minus longævum quam fortunatissimum Ecclesiæ regimen tam benigne impertiri ac illud omnibus exoptamus votis. *Datum Viennæ, die* 22 *februari* 1774, *etc.*

Sanctitatis Vestræ obsequens filius

JOSEPHUS.

CCXCIX.

DÉPÊCHE DE M. LE DUC D'AIGUILLON

A M. LE CARDINAL DE BERNIS

Versailles, le 5 mars 1774.

Votre Éminence sait que les traités de Westphalie ont maintenu les Luthériens établis en Alsace dans le libre exercice de leur religion. Par cette stipulation, que les circonstances rendaient nécessaire, le feu roi Louis XIV a été obligé d'admettre dans la société civile une commission que les lois du royaume en excluaient. Mais ce prince, constamment animé du zèle le plus pur pour la religion catholique, a cherché, par différentes voies, à ramener à son culte ceux de ses sujets d'Alsace qui en étaient séparés, et c'est dans cet

esprit qu'il publia l'édit du mois d'août 1683, qui interdit le mariage entre les Catholiques et les Luthériens.

Cette interdiction, au lieu d'engager les Luthériens à embrasser la religion catholique, n'a servi au contraire qu'à les affermir davantage dans leurs erreurs, et à établir une séparation totale entre eux et les Catholiques.

Le roi, touché de cet état des choses et animé du même zèle que le feu roi son bisaïeul, a consulté les personnes les plus éclairées de son royaume, et nommément M. le Cardinal de Rohan, sur les moyens d'atteindre le but qu'on s'était inutilement proposé jusqu'à présent. Et le résultat des avis donnés à Sa Majesté a été que la voie la plus sûre pour y parvenir, était de révoquer l'édit de 1683.

Il y a déjà plusieurs années que le roi adopta ce projet, et qu'il fit rédiger en conséquence un édit en forme de déclaration. Mais plusieurs raisons particulières en avaient jusqu'à présent fait suspendre l'exécution. Sa Majesté s'étant de nouveau fait représenter cette déclaration vient de l'approuver dans son conseil et d'en ordonner l'expédition.

J'ai l'honneur d'en envoyer une copie à Votre Éminence. L'intention du Roi est qu'elle la mette sous les yeux du Pape. Sa Sainteté verra les précautions que Sa Majesté prend pour l'instruction et l'éducation des enfants qui naîtront de mariages contractés entre les Catholiques et les Luthériens, en ordonnant aux pères et mères de ces enfants, ou à leurs tuteurs et curateurs, de remettre au procureur général du conseil supérieur d'Alsace un certificat du curé catholique du lieu, portant que ces mêmes enfants sont instruits dans la religion catholique, et qu'ils ont fait leur première communion; en défendant d'envoyer lesdits enfants hors du royaume durant le temps de leur éducation sans une permission expresse de Sa Majesté; en enjoignant aux Évêques de veiller soigneusement à leur instruction et éducation; et aux officiers et autres personnes publiques de prêter, pour cet effet, aide et assistance, et en enjoignant spécialement au procureur général de se faire reporter exactement les certificats des père et mère, et en cas de négligence de leur part, de placer lesdits enfants en telles maisons qu'il conviendra pour y être élevés et instruits, en suppléant sur les fonds destinés à cet objet à l'impuissance où seraient les parents d'y fournir par eux-mêmes, etc.

Toutes ces précautions assurent le succès de la déclaration dont il s'agit, et fondent l'espérance où est le Roi qu'elle diminuera successivement le nombre des Luthériens en Alsace, et que dans un certain nombre d'années il ne restera dans cette Province presque aucune trace de cette communion.

Ces détails doivent convaincre Sa Sainteté du désir qu'a Sa Majesté de contribuer, autant qu'il est en son pouvoir, aux progrès de la religion catholique, et de l'étendre de plus en plus dans une de ses provinces, où, malgré les soins qu'on a pris jusqu'à présent, l'hérésie continue de dominer. Elle n'est pas moins convaincue de la justice que le Saint-Père lui rend à cet égard, et elle est persuadée qu'au fond de son cœur il approuvera l'ouvrage de Sa Majesté. Mais elle sent en même temps que Sa Sainteté ne saurait y applaudir publiquement. Ainsi l'intention du Roi n'est nullement de l'y déterminer, et la communication qu'il charge Votre Éminence de lui faire de son plan n'a d'autre objet que de lui donner une preuve particulière de sa déférence, de ses égards et de son affection filiale.

Votre Éminence connaît le sincère, etc.,

Le duc D'AIGUILLON.

CCC.

Louis, etc. Quoique l'Église catholique apostolique et romaine n'ait jamais approuvé les mariages de ses enfants avec des personnes malheureusement engagées dans les communions séparées d'elle, cependant elle n'a pas cru devoir en prononcer la nullité. Elle les a même tolérés en quelques occasions notables, et surtout dans les pays où les traités de paix les plus solemnels, et que les circonstances rendaient nécessaires, avaient admis dans la société civile des communions séparées de l'Église catholique. Tel a été le sort de presque toute l'Allemagne et en particulier de l'Alsace qui en faisait partie avant que cette province eût été réunie à notre couronne. Ce fut cette différence essentielle entre l'Alsace et les autres pays de sa domination qui engagea le feu roi notre très-honoré seigneur et bisaïeul à y défendre par un édit du mois d'août 1683 ces sortes de mariages sous des peines sévères. Mais une résolution si digne de sa sagesse, n'a pas eu les suites qu'on en devait attendre, et tous les inconvénients auxquels une longue expérience a fait voir que cet édit avait donné lieu, ont engagé depuis longtemps les personnes de notre dite province, les plus attachées à la saine religion et à notre service, à nous représenter que ces défenses et la rigueur des peines qui y avait été ajoutée avaient produit et produisaient encore entre les familles de ce pays une division et même une séparation presque totale aussi nuisible à l'objet qu'on s'était proposé qu'au bien de la Province et de notre service. C'est dans ces circonstances, qu'après avoir à ce sujet pris tous

les éclaircissements nécessaires, et après avoir consulté les personnes les plus versées dans ces sortes de matières, enfin après nous être pleinement instruit du tout, et y avoir mûrement délibéré, il nous a paru que, d'un côté, le danger de la séduction se trouvait presque entièrement écarté par les sages dispositions d'un édit donné pour cette même province au mois de juin 1683, et que, d'un autre côté, les précautions qui nous ont été proposées pour assurer l'éducation dans la religion catholique des enfants qui proviendraient de ces mariages, pouvaient nous déterminer à nous relâcher des dispositions de l'édit du mois d'août 1683, et procurer, par ce moyen, à une province qui nous sera toujours chère, cette union si désirable entre tous nos sujets. A ces causes, etc. (Nous) avons ordonné et ordonnons que les défenses faites par l'édit du mois d'août 1683 à nos sujets de l'un et l'autre sexe de notredite Province d'Alsace faisant profession de la religion catholique apostolique et romaine, de contracter des mariages avec ceux ou celles qui font profession de la religion luthérienne, demeureront révoquées, n'entendant empêcher qu'il en soit usé à cet égard comme avant ledit édit, lequel demeurera comme non avenu en ce qui concerne les mariages des Catholiques et Luthériens seulement, à condition toutes fois de garder et observer par rapport auxdits mariages les règles prescrites par les lois de notre royaume pour les mariages de nos autres sujets, et notamment à condition qu'ils ne pourront être valablement contractés que devant le propre curé de celui des conjoints qui professera la religion catholique apostolique et romaine ou autre prêtre ayant pouvoir dudit curé ou de l'évêque diocésain, comme aussi à la charge que les publications des bans, en tels cas requises, ne pourront être faites par lesdits curés qu'après en avoir obtenu la permission par écrit de l'ordinaire des lieux. Voulons pareillement que tous enfants nés du mariage d'un Catholique avec une Luthérienne ou d'un Luthérien avec une Catholique ne puissent être élevés que dans ladite religion catholique, apostolique et romaine. A l'effet de quoi les pères et mères desdits enfants ou leurs tuteurs et curateurs seront tenus de représenter à notre procureur général en notre conseil supérieur d'Alsace un certificat du curé catholique du lieu où lesdits enfants seront élevés, portant qu'ils sont élevés et instruits dans la dite religion, et, lorsqu'ils seront en âge, qu'ils ont fait leur première communion dans la paroisse dudit lieu; faisons très-expresses défenses auxdits pères et mères, tuteurs et curateurs et à tous autres quelconques d'envoyer lesdits enfants hors de notre royaume pendant leurs éducations, ou de favoriser ou participer audit envoi sans une permission de nous par écrit, et ce, sous telle

peine qu'il appartiendra suivant l'exigence des cas, même d'être poursuivis extraordinairement, s'il y échet. Exhortons les évêques diocésains de notredite Province, et néanmoins leur enjoignons de veiller soigneusement à l'instruction et éducation desdits enfants, soit par eux, soit par ceux qu'ils jugeront à propos d'y employer. Enjoignons à nos officiers et autres personnes publiques, ayant caractère et pouvoir, de leur prêter toute aide et renfort qu'il appartiendra. Enjoignons spécialement à notre susdit procureur général de se faire rapporter exactement les certificats ci-dessus mentionnés, et en cas de refus ou négligence de père et de mère, tuteur ou curateur, de faire placer lesdits enfants en telle maison qu'il appartiendra pour y recevoir ladite éducation et lesdites instructions jusqu'après leur première communion, auxquelles maisons les pères et mères, tuteurs ou curateurs seront tenus de payer pension pour lesdits enfants ainsi qu'elle sera réglée, nous réservant d'y suppléer sur les fonds qui seront par nous à ce destinés dans le cas où les parents ne seraient pas en état d'y pourvoir. Si donnons en mandement, etc.

Joint à la dépêche du duc d'Aiguillon au cardinal de Bernis, de Versailles, le 15 mars 1774.

CCCI.

A MONSIGNOR GARAMPI,

NUNTIO APOSTOLICO DI POLONIA.

Romæ, 21 maji 1774.

Perillustris. Ex literis Amplitudinis tuæ die 13 aprilis scriptis ad Sacram Congregationem particularem a Sanctissimo Domino nostro deputatam super negotiis suppressæ societatis Jesu, cum foliis ad eamdem Congregationem transmissis ab Eminentissimo Domino Cardinali secretario Status, cognoverunt Eminentissimi Patres, quanto zelo, quantaque prudentia rem agat Amplitudo tua in istis partibus, ut plenam habeant executionem literæ apostolicæ suppressionis, utque pontificia auctoritas, et jura Ecclesiæ sarta tecta serventur. Quæcumque igitur per Amplitudinem tuam gesta sunt, probant et laudant Eminentissimi Patres, ejusque fidei, et solertiæ commendant operis complementum. Sed hoc unum volunt, jubente etiam Sanctissimo Domino nostro, ne Amplitudo tua acquiescat bonorum distractioni, vel dissipationi. Viguit semper in Polonia, et viget adhuc lex ecclesiastica de bonis Ecclesiæ non alienandis sine assensu apostolico; hoc ipsum aperte declarandum erit in præsentibus regni comitiis, ut nuncii apostolici

præsentia et acquiescentia quandoque non adducatur in argumentum abrogationis, vel desuetudinis legis. Poterit forsan, ut A. T. veretur, sperni hujusmodi protestatio in præsentibus comitiis, sed valebit in futuris æquioribus, ut facilius retractentur, quæ contra protestationem, et cum expresso dissensu gesta sunt, nec desumi poterit tacitus consensus ex acquiescentia. Quibus tamen cautelis, et qua circumspectione id perfici debeat, solertiæ Amplitudinis tuæ relinquunt Eminentissimi patres. Ceterum de Individuis in convictu manentibus, quorum opera pro concionibus, vel confessionibus, aut scholis plures nationis episcopi uti peroptant, Sanctiss. D. N. cui facta est relatio literarum Amplitud. tuæ, eidem Amplitudini tuæ curam omnem relinquit, cui propterea facultates omnes necessarias, et opportunas concedit, ut in casuum contingentiis pro suo arbitrio, et prudentia singulariter permittat Episcopis Cracoviensi, Vilnensi, Luceoriensi, Kioviensi, Livoniensi et Posnaniensi aliquos ex individuis, quos aptiores judicaverint, et quorum nomina prius expresserint Amplitudini T. ad prædicta munia approbare pro modo necessitatis, et ad tempus A. T. benevisum, quibuscumque in contrarium non obstantibus. Hæc jussu EE. PP. rescribimus A. T. eique etc.

Amplitudinis tuæ

Studiosissimus uti Frater

A. Cardinalis Corsinus.
V. Macedonius, *Secretarius.*

CCCII.

EXPOSÉ DE L'ÉTAT DE LA RELIGION EN UKRAINE

Varsovie, juin 1774.

On ne saurait se rappeler, sans faire frémir l'humanité, l'époque funeste de la dernière incursion des Haydamacs et autres brigands en Ukraine en 1768, et les suites déplorables qu'elle a eu, lorsque la révolte qui s'en est suivie a causé la perte de près de 40,000 hommes, massacrés avec tout l'acharnement dont la fureur la plus inouïe peut être susceptible. On ne vit, dans une étendue considérable de pays, que villes saccagées, villages devenus la proie des flammes, un vaste désert, qui ne laissait d'autres traces de ses habitants que le sang et la cendre confondus ensemble.

Il y avait alors dans cette vaste contrée près de 1900 églises paroissiales, qui relevaient et avaient relevé depuis très-longtemps du métropolite du Rit Grec Uni, auquel en donne en Pologne le

titre de métropolite de Russie. Toute l'Ukraine ne professait que l'union avec l'Église Catholique Romaine, tous les pasteurs avec leurs troupeaux y étaient inviolablement attachés; à peine y voyait-on quinze ou vingt églises desservies par des Grecs non-Unis, qui dépendaient de la juridiction de l'Évêque de Péréaslaw, dont le siége est au delà du Niéper dans les États soumis à la domination de la Russie.

La révolte de 1768, ayant entre autres funestes effets produit celui de priver nombre d'églises de leurs pasteurs, demeurés victimes de la cruauté des Haydamacs, ou contraints de traîner une malheureuse existence dans des pays éloignés, l'Évêque de Péréaslaw crut avoir trouvé une occasion favorable d'étendre ses vues ambitieuses, en remplaçant par des prêtres de sa communion ceux qu'une mort cruelle avait enlevés, ou qu'une fuite précipitée avait éloigné de leurs églises.

Le calme eut beau ramener les fugitifs, ceux-ci trouvaient dans leurs propres foyers des hôtes qui leur en interdisaient l'entrée. Les troupes Russes étant dans toute l'Ukraine à portée de soutenir les intrus, ôtaient aux anciens possesseurs toute espérance de rentrer dans leurs bénéfices. Un appui aussi puissant fit bientôt étendre ces violences jusqu'aux troupeaux soumis aux pasteurs expulsés. Tout Grec-Uni qui ne se soumettait pas à l'obéissance des instrus était regardé comme persécuteur de la religion grecque, et traité en conséquence; à la faveur de ce spécieux prétexte on ne faisait pas difficulté de battre, garrotter, emprisonner, dépouiller même de leurs biens et de leurs maisons ceux que leur constance avait fait mettre dans la liste des réfractaires.

Les premières tentatives ayant réussi au gré des non-Unis, ils s'enhardirent à entreprendre une nouvelle démarche. Ils tentèrent de gagner quelques prêtres pour en faire de nouveaux prosélytes de la religion grecque orientale; mais comme la voie de la douceur et de la persuasion ne répondait pas, à beaucoup près, à l'étendue de leurs vues, ils reprirent bientôt leur ancien système. Les menaces, en grande partie réalisées avec la violence la plus marquée, remplacèrent la fausse douceur d'une feinte modération. Des convertisseurs armés se trouvaient toujours prêts pour enlever ceux qui faisaient la moindre difficulté; on masquait tout l'odieux d'une pareille conduite, en assurant qu'on ne leur faisait souffrir que la peine méritée pour les persécutions et les violences faites aux Grecs non-Unis. C'est ainsi qu'on croyait en pouvoir imposer au public, sans crainte de rougir du peu de vraisemblance qu'il y avait que des hommes opprimés devinssent persécuteurs dans le temps même de leur oppression.

Cependant l'Evêque de Péréaslaw remettait en possession de leurs églises, ceux des Bénéficiers, qui après s'être rendus à Péréaslaw y avaient abjuré l'Union, tandis que leurs confrères, qui regardaient cette démarche comme une complaisance criminelle, gémissaient dans les cachots où ils se trouvaient enfermés. Il y en eut dont la constance, affaiblie par ces rigueurs, se démentit; un voyage à Péréaslaw leur parut préférable aux horreurs d'un cachot, prix de leur constance; quelques-uns trouvèrent les moyens de franchir les barrières qu'on leur opposait, et se dérobèrent par la fuite à l'acharnement de leurs persécuteurs; d'autres terminèrent leurs jours dans ces mêmes prisons, de manière que, dans le mois d'août passé, il n'en restait plus qu'environ cinquante à Berdiczow, où on les avait rassemblés.

Les cris de ces malheureux retentirent jusqu'à Varsovie, en sorte que la Délégation refusa de se prêter aux traités à conclure avec la Russie, avant que le Baron de Stackelberg ne promît l'élargissement de tous ces pauvres infortunés.

La délégation ne s'arrêta pas à cet objet; elle crut devoir remonter jusqu'à la source de ces maux, en faisant les plus fortes représentations contre le procédé de l'Évêque de Péréaslaw et de ses prêtres, qui s'étaient emparés jusqu'à cette époque de douze cents églises appartenant aux Grecs-Unis, et cela sur la fausse et condamnable supposition que la protection de Sa Majesté Impériale accordée aux Grecs non-Unis avait pour objet non-seulement la conservation, mais aussi l'injuste agrandissement du même rit Grec oriental, par tous les moyens imaginables, sans en excepter la force et la violence. Le séjour des troupes russes en Ukraine, l'éloignement de la cour, l'illusion que Monseigneur l'Évêque de Péréaslaw sut adroitement faire aux différents commandants des troupes impériales, tout cela ensemble a facilité l'abus des secours prêtés par lesdites troupes à la réquisition et par l'impulsion du susmentionné Prélat, abus d'autant plus répréhensible qu'il est diamétralement opposé aux principes d'humanité la plus exacte et aux droites intentions de Sa Majesté l'Impératrice, qui n'a jamais prétendu accorder sa protection que pour le maintien de ceux de la religion grecque orientale dans leurs justes droits et possessions.

On est d'autant plus en droit d'assurer que la démarche de Monseigneur l'Évêque de Péréaslaw et de ses employés est contraire aux intentions de Sa Majesté l'Impératrice, que ce ministre de cette Souveraine, interprète légitime de ses volontés, en a rendu un témoignage authentique dans sa réponse à la note de la Délégation relative à cet objet, comme on le peut voir par les pièces annexées.

Après cela pouvait-on s'attendre à voir réduites presqu'à rien les conditions et les promesses, moyennant lesquelles la République de Pologne avait consenti à la stipulation du traité? Il est vrai qu'on remit en liberté les prêtres détenus prisonniers; mais au moment de leur élargissement on leur fit signer un écrit, par lequel ils renonçaient à leurs églises; obligation nulle, et pour n'avoir pas été stipulée avec le ministre de Russie, et pour être manifestement contraire aux justes droits d'un tiers, c'est-à-dire de remettre des patrons et du métropolitain, auxquels seuls, à l'exclusion de tout autre, il appartient de nommer et d'installer les sujets propres à la régie des mêmes églises.

Mais ce qui a choqué le plus, et ce qui paraîtrait une énigme en toute autre occasion, c'est que le feld-maréchal Monseigneur de Romanzow a refusé entièrement de se prêter aux insinuations que Monseigneur de Stackelberg lui avait faites, en conséquence des arrangements pris avec la République, c'est-à-dire de remettre les Grecs-Unis en possession des églises dont ils avaient été dépouillés dans les dernières années. Un équivoque a servi d'échappatoire pour éluder une si juste demande. La lettre du susdit feld-maréchal en date de ..... pour servir de réponse à la lettre de Monseigneur de Stackelberg du ..... communiquée à la Délégation le ..... en est un sûr garant.

Quelle est donc l'origine d'une contradiction si marquée? Comment a-t-il pu se faire que, malgré les insinuations de Monseigneur de Stackelberg, aucune des 1200 églises enlevées aux Grecs-Unis, ne leur ait été restituée? On devinera le mot de l'énigme si l'on suit pas à pas les démarches de Monseigneur de Romanzow dans l'emploi qu'il a fait des troupes soumises à ses ordres en faveur des non-Unis de Péréaslaw. On verra que le zèle de religion ne lui a servi que de prétexte, et que des vues politiques, et l'avantage temporel de sa cour, était l'unique ressort qui réglait sa conduite.

Il n'a cependant pas réussi à faire prendre le change à messieurs les délégués de la République. Malgré tous les déguisements qu'on a employés, ils ont reconnu que cette affaire intéressait à la vérité la religion, mais en même temps servait de base aux entreprises de la politique la plus raffinée et la plus perçante dans l'avenir, et par là même avait un rapport essentiel au gouvernement de la République.

L'Ukraine est une des provinces de la Pologne dont la nombreuse population est peut-être la plus bornée dans ses lumières.

Un peuple ignorant et grossier, des hommes souvent matériels, quelques fois superstitieux, presque toujours stupides, ne sont certainement pas capables de distinguer l'obéissance civile de la religieuse. Dès qu'un peuple pareil sera gagné à la religion grecque-orientale, il confondra

le centre de son état religieux qui sera à S. Pétersbourg, avec celui de son existence politique, qui est la République de Pologne. Les pasteurs, qui devraient détromper les peuples de cette erreur, étant eux-mêmes soumis à la juridiction d'un évêque étranger, et accoutumés d'attendre tout, d'espérer tout de la cour de S. Pétersbourg, ne feront qu'augmenter l'illusion. Quelle est l'occasion à laquelle on ne puisse attacher un prétexte de religion? Et que faut-il de plus pour remuer les esprits d'un peuple grossier et lui faire entreprendre une démarche contraire aux intérêts de ses maîtres légitimes?

Cette affaire ne saurait même être regardée avec indifférence par les cours limitrophes de la Pologne, nommément celles qui sont voisines de l'Ukraine. Les inimitiés assoupies peuvent être réveillées; l'amitié la plus ferme n'est pas à l'épreuve de toute atteinte; qui sait ce qui peut arriver dans la suite des temps, et si cette grande masse de peuple fomentée par les émissaires de la Russie, émissaires, pour lesquels ce peuple sera accoutumé d'avoir un respect aussi peu borné qu'il sera peu éclairé; qui sait, dis-je, si cette grande masse de peuple ne sera pas tournée au désavantage de ceux, qui par un excès de confiance dans l'état actuel des choses, semblent voir ces choses avec indifférence?

C'est par ces considérations que la République prend si fort à cœur cette affaire, et croit devoir redoubler les soins pour la voir terminée à son avantage. Douze cents églises enlevées de force à ses sujets, et conférées malgré ses réclamations à des personnes qui semblent méconnaître son autorité; la restitution de ces églises différée, pour ne pas dire refusée, malgré les promesses réitérées de ceux qui pourraient la procurer ou l'effectuer, sont des objets capables d'alarmer sa délicatesse sur son indépendance.

Les circonstances actuelles ne sont certainement pas de nature à rassurer sur cet objet. On ne discontinue pas d'empiéter sur les droits du clergé du Rit Grec-Uni, en lui enlevant les églises qu'il avait conservées, et les prêtres de ce rit ne cessent point d'être en butte à l'oppression et à la violence. Les derniers avis de ces contrées contiennent des détails bien affligeants et bien contraires à l'humanité, dont se pique notre siècle et dont la nation russe fait parade.

Des prêtres liés et garrottés, des ministres arrachés à leurs autels et assommés de coups, des troupes de curés qui, refusant de trahir leur conscience, sont traînés dans les cachots de Bialacerkiew, voilà les objets journaliers qui se présentent aux yeux éplorés des habitants de l'Ukraine; voilà ce qui cause l'effroi et la consternation de ceux qui restent jusqu'ici attachés à l'union. Enfin une pareille conduite rendra

problématique pour les siècles à venir la tolérance tant prêchée dans ce siècle, tolérance qu'on ne craint pas de fouler aux pieds dans des pays sujets à une domination étrangère, au grand scandale des philosophes, et au mépris de ces lois sacrées, qui réunissent les nations.

CCCIII.

NUNCIO APOSTOLICO POLONIÆ.

Romæ, 22 junii 1774.

Perillustris et Reverendissime Domine uti Frater. Summo animi mœrore Sanctissimus D. N. cognovit ex literis Amplitudinis tuæ, ad infrascriptum D. Secretarium scriptis die 18 præteriti mensis maji illiberalem agendi rationem, quæ istic servatur circa res et personas suppressas societatis Jesu, et maxime ab episcopis qui partem habent in regio ministerio, et pii muneris immemores potius favent quam resistant abominationibus. Dolet Sanctitas Sua, vasa sacra indigne profanata fuisse, ut memorat Amplitudo tua; dolet, bona Deo dicata laicorum arbitrio dispersa fuisse; dolet, scelus calumnia obtegi quod similia perpetrata fuerint in urbe. Laudat tamen prudentiam et fortitudinem Amplitudinis tuæ, quod justitiæ partes gravibus disertisque rationibus substinere non destitit, quodque calumniam huic S. Sedi impactam refellere sategit. Verissimum quidem est, quod Amplitudo tua respondit, non lucri sed custodiæ causa ad S. Montem Pietatis translata hic fuisse ecclesiarum argenta, quæ nihilominus ecclesiis restituuntur in occurrentibus solemnitatibus, et bona suppressæ societatis non ærario pontificio, sed piis usibus ad utilitatem respectivorum locorum applicata hic fuisse vel ex adjuncta Encyclica ad omnes episcopos pontificiæ Ditionis transmissa intelligere poterit Amplitudo tua, et aliis notum facere.

Dum ergo Eminentissimi Patres Congregationis deputatæ super negotiis suppressæ societatis prædictæ, jussu Sanctitatis Suæ debitas rependant Amplitudini tuæ grates pro indefessis laboribus, quos sustinet in hac re, et pro eximia diligentia, qua singula opportune narrat suis literis; eam enixe rogant, ut Dei, et Ecclesiæ causam tueri non cesset, et misericordiæ partes non deserat pro individuis ne priventur debitis alimentis. Et dum hæc scribimus, Amplitudini tuæ omnia fausta ex corde precamur a Domino.

Amplitudinis Tuæ

Studiosissimus uti Frater

A. Cardinalis Corsinus.

V. Macedonius, *Secretarius.*

CCCIV.

ASSERTIONES THEOLOGICO-JURIDICÆ.

Ex Tractatibus de Jure, Justitia et Legibus, quas ad majorem Dei gloriam posuit et Præside Ignatio Hartung SS. Theologiæ Doctore ejusdemque in alma et antiquissima electorali Palatina Universitate Heidelbergensi professore publico et ordinario, sacro facultatis ex parte Catholicorum h. t. Decano;

Pro Baccalaureatu consequendo publice propugnabit Franciscus Xaverius Simo Wirceburgensis, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Palatini Titularis Clericus; Heidelbergæ in aula Academica Novi Wilhelmiani, die 29 augusti 1774. Horis ante meridiem consuetis. Finita disputatione Baccalaureatus confertur. Typis Joannis Jacobi Hæner Typographi aulico-academici.

§ III. *Jus Ecclesiasticum publicum.*

1. Datur in Ecclesia Christi potestas vera tam præceptiva quam coactiva.

2. Hæc potestas et jurisdictio est penes Episcopos.

3. Illis *immediate* a Deo tradita est.

4. Potestas hæc ecclesiastica a civili atque politica per se distincta est.

5. Episcopi nihilominus feudorum cum annexis regalibus capaces sunt.

6. *Quamquam R. Pontificis electio,* SI FORET SIMONICA, NULLAM ILLI POTESTATEM TRIBUERET; *tamen ejus dispositiones, cum agitur de bono Ecclesiæ,* SECUS SI DE DETRIMENTO, *valerent.*

7. Romanus Pontifex nec directe nec indirecte reges jure imperii possessionis, dominii aut administrationis rerum temporalium potest privare.

8. *Interclusa Romam via Episcopi valide et licite dispensationes Papæ reservatas concedunt.*

Animadversiones.

a) Potestas et jurisdictio est penes R. Pontificem singulosque episcopos non mere ministerialiter, sed proprie et formaliter. *b*) *Potestas R. Pontificis tanta non est, quantam illi plures vindicarunt tam in reges quam in episcopos.* *c*) Deus utramque potestatem sacram videlicet et politicam, ita distinxit, ut quævis suo in genere sit summa et ab altera independens. *d*) Pontificis jura quædam essentialia sunt, quibus præeminet episcopis. *e*) Amplissima habet ex Concordatis et Reservatis.

§ IV. *Jus Ecclesiasticum privatum.*

1. Jus ecclesiasticum continetur potissimum in decreto Gratiani (*a*), et decretalibus pontificum, quæ usui et receptioni suam auctoritatem debent (*b*).

2. Clericos reditus omnino superfluos ad erogandum in causas pias justitia obligat (*c*).

§ V. *Jus Publicum.*

1. Reges in administratione rerum temporalium et civilium nullum in hac terra, præter solum Deum agnoscunt superiorem.

2. Reges possunt et debent uti gladio non solum ad reipublicæ conservationem, sed ad religionis etiam defensionem, quæ tam in tutela et executione SS. canonum, quam in extirpandis et coercendis abusibus ipsorum etiam ecclesiasticorum, si in his eorum superiores deficerent, consistit.

3. Si Judices ecclesiastici sua potestate contra æquitatem naturalem aut canones abutantur; integrum est vim aut damnum passis auxilium Regis implorare (*d*).

4. Regiæ potestati personæ ecclesiasticæ in temporalibus de se subjectæ sunt.

5. Legibus divinis cautum est, ne subditi quidpiam in Reges etiam malos et impios sub colore quocumque attentent aut faciant.

6. Præscindendo *a privilegiis Principum* bona sacerdotum eodem modo subjecta sunt potestati civili, ac bona laicorum in ordine ad pendenda tributa.

7. *In publica et quasi extrema reipublicæ necessitate aut calamitate, cui expediendo facultates laicorum pares non sunt, potest Imperans etiam inconsulto R. Pontifice congrua subsidia a clericis exigere.*

8. *Omnia bona temporalia, quæ ab Ecclesia possidentur, subjacent juri Regio* (*e*).

(*a*) Decreta complura spuria sunt inserta, quæ auctoritate relativa non gaudent.

(*b*) Pleræque Decretales Pontificibus ante Siricium Papam inscriptæ, pseudopigraphæ sunt.

(*c*) Unica Tridentina Sess. 24. cap. 12. vocula *suos* multum detorta nimis infirma est, ut dominium attribuat Clericis in reditus superfluos, præsertim cum concilia plura ante illud habita contrarium aperte statuant.

(*d*) *Hoc remedium juris a primis jam sæculis fuit usitatum.*

(*e*) Exemptio Clericis a jure canonico concessa, quantum bona et delicta civilia attinet, originem suam *non tam a Pontifice R. quam ex indulgentia et privilegio Principum sæcularium trahit.* Hæc tamen gratia et exemptio non impedit, quominus iidem Clerici sint et maneant subditi Principum Sæcularium.

CCCV.

A MONSIGNOR GARAMPI.

Romæ, 17 septembris 1774.

Perillustris et reverendissime Domine uti Frater. Literæ Amplitudinis tuæ diei 8 præteriti mensis julii pervenerunt ad sacram Congregationem deputatam super negotiis suppressæ societatis Jesu postquam Sanctissimus Dominus noster, curandæ valetudinis causa, intermiserat consuetas audientias. Dilata idcirco est ad hanc usque diem responsio, ut ratio inveniretur, prius consulendi Sanctitatem Suam. Venit tandem occasio, et Sanctissimus laudato prudenti consilio Amplitudinis tuæ, quinque expediri jussit requisitas literas in forma Brevis, his nostris adjunctas; pleneque committit prudenti arbitrio Amplitudinis tuæ, ut possit illas statim præsentare, vel evulgata illarum notitia, præsentationem differre, quousque spem habere poterit, revocandi ad officia suavibus hortationibus Episcopos Posnaniensem, et Vilnensem. Transmittimus etiam ad Amplitudinem tuam Epistolium infrascripti D. Secretarii circa mentem Sanctissimi super juribus principum disponendi de bonis suppressæ societatis; quod tamen pro ejus notitia deserviet, sed nulli pandendum erit, minusque in propria tradendum. Etiam Eminentissimi Patres summopere commendant zelum, et diligentiam Amplitudini tuæ, et nos eidem omnia fausta ex corde precamur a Domino.

Amplitudinis Tuæ

Studiosissimus uti Frater

A. Cardinalis Corsinus.

V. Macedonius, *Secretarius.*

CCCVI.

Romæ, 17 septembris 1774.

Perillustris et reverendissime Domine uti Frater. Post acceptas literas Amplitudinis tuæ diei 20 præteriti mensis Julii, earum relatio statim fieri non potuit Sanctissimo Domino nostro, qui valetudinis causa intermiserat consuetas audientias; sed data opportunitate, ejus oraculum exquisitum fuit, et clementissime dignatus est, Amplitudinis tuæ non minus, quam Episcopi Varmiensis zelum et diligentiam commendare, quod et eidem episcopo notum fieri optat, ut gratum animum Sanctitatis suæ cognoscat. Articulos etiam cum intelligentia Amplitudinis tuæ efformatos approbat et laudat, ut scilicet

accersitis individuis per Episcopum Varmiensem, publicatoque illis Brevi suppressionis, omnes adigantur induere habitum presbyterorum sæcularium, et singulis collegiis præponatur sacerdos sæcularis in dignitate Ecclesiæ, constituens, pro illorum regimine, et gubernio: hac tamen addita conditione, quod singuli formulam subscribant, quo acceptato pure et simpliciter Brevi suppressionis, plenam illi obedientiam promittant, declarantes insuper, se plene solutos intelligere ab omni vinculo instituti, quod professi erant, et velle in statu clericorum sæcularium vitam ducere, salva substantia emissorum votorum, sub obedientia Episcopi Diœcesani, at immediata ejus potestate, et jurisdictione, sine ulla subordinatione, aut dependentia a suis antiquis superioribus regularibus, ita ut inter ipsos nullam amplius agnoscant differentiam superiorum, et subditorum, sed omnes existiment se esse perfecte æquales. Sub hac conditione poterit Episcopus Varmiensis senioribus et aptioribus individuis beneficia curata deinceps in mensibus ordinariis vacatura conferre, in præmium servitii in scholis præstiti, ac publicum commodum cum substitutione Clericorum seminarii in locum exeuntium, ut paulatim exclusis individuis, et soluto illorum convictu, supersint idonei operarii pro scholis regendis; atque interea Sanctitas Sua benigne indulget, ut etiam in convictu manentes, quoniam temporum, et locorum conditio id exigit, possint literas docere in publicis scholis, et de licentia ordinarii confessiones excipere, et verbum Dei prædicare, aliasque peragere sacras functiones, quæ ab Episcopis eis permittantur. De indulgentiis vero, quæ plerisque hujusmodi functionibus addictæ erant providebitur postquam Amplitudo tua transmiserit illarum notulam, nec dilatio præjudicium afferet, quia imminente anno sancto, omnes indulgentiæ extra urbem suspensæ remanent. Amplitudini tuæ demum committit Sanctissimus Dominus Noster, quod alios etiam Episcopos Diœcesum existentium in ditione Borussiana luminoso Episcopi Varmiensis exemplo inducat ad similem executionem properandam in suis Diœcesibus, cum iisdem conditionibus et facultatibus, pro quibus Amplitudinis tuæ amplam concedit potestatem. Atque interea nomine etiam EE. PP. eidem omnia fausta ex corde precamur a Domino.

Amplitudinis Tuæ

Studiosissimus uti Frater

A. Cardinalis Corsinus.

V. Macedonius, *Secretarius*.

CCCVII.

Nell' anno 1774 stando io in Macerata in casa del Conte Antonio Asclepi mi fu dal Conte Paris Pallotta fatta leggere una lettera, che mi disse aver lui ricevuta da Roma da mani sicurissime. Questa era una lettera scritta sul principio di Maggio, se non m'inganno, al Papa Clemente XIV da Monsignor di Beaumont arcivescovo di Parigi.

Per intelligenza del contenuto di questa lettera è da sapersi, che avendo il sudetto papa mandato per l'accettazione e publicazione al Re di Francia Luigi XV il breve della soppressione de' Gesuiti, il Re fece adunare in assemblea tutti i Vescovi allora dimoranti in Parigi, capo e presidente de'quali era il cardinal Luynes, e a questa assemblea trasmise il Breve suddetto, consultandola, se il Breve dovesse publicarsi, o no. Tutti i vescovi, che erano circa 40; furono di parere unanime affatto, che quel Breve fosse suppresso; e fra le altre ragioni, che i vescovi addussero, ci fu anche questa, che quel Breve sarebbe stato di gravissimo scandalo agli Eretici, e di scandalo e perturbazione gravissima ai Cattolici. Quindi è che quel Breve non fu mai publicato in veruna parte della Francia, per quante diligenze e premure si facessero perciò da Roma. È' da notarsi che l'arcivescovo di Parigi, il quale non interveniva mai a tali assemblee per riguardi di cerimoniale, tuttavia in quella mattina, nella quale si doveva dare il voto dall' assemblea su quel Breve, comparve all' improviso dicendo che quando si trattava della causa di Dio, e della chiesa, non si doveva guardare a verun interesse umano; volle sedere in ultimo luogo, e diede il suo voto cogli altri.

Non riuscito a far accettare e publicare quel Breve, le altre diligenze usate da Roma, si stimò ben fatto di persuadere il Papa di scrivere a parte un Breve particolare all' arcivescovo Beaumont, perchè egli parlasse al Re, e lo persuadesse ad accettare e publicare quel Breve, adducendo i motivi della publica pace, etc. etc.

A questo Breve è risponsiva la lettera succennata dell' arcivescovo Beaumont.

Dice nella sua risposta l'arcivescovo d'aver ricevuto un Breve di S. Santità in data, etc.: che quantunque l'affare, del quale in esso si tratta, fosse già deciso col voto unanime di assai vescovi di Francia addunati dal Re in assembea espressamente per questo affare, al qual voto aveva acceduto anch' egli arcivescovo, tuttavia per la differenza e rispetto inalterabile, che egli sempre aveva portato alla S. Sede apostolica, aveva voluto sentire il parere del suo clero sopra il medesimo

affare. Che perciò aveva fatto chiamare a se in una specie di sinodo i canonici della catedrale, i curati della sua città, e della sua diocesi, e altre persone più rispettabili del suo clero : aveva communicato a loro il Breve della soppressione de' Gesuiti, il Breve scritto a lui in particolare, ed altre forti premure fattegli da personagi di Roma : aveva esposto le ragioni che potevano favorire la publicazione di quel Breve, etc., insinuando a tutti che dicessero il loro sentimento con piena libertà.

Il sentimento generale ed unanime del clero di Parigi fu conforme in tutto al sentimento già dato dall' assemblea de' vescovi. L'arcivescovo di Parigi nell' esporre al Papa il voto del suo clero espone anche le ragioni, sulle quali tal voto era motivato, e fra queste nomina il gravissimo danno che sarebbe avvenuto alle missioni nei paesi degli Infedeli, particolarmente dell' Asia, e dell' America, per la mancanza di tanti operarii Evangelici, che sarebbe stato difficillissimo il supplire : accenna i gravissimi disturbi, che sarebbero nati frai Cattolici : ma sopra tutto insiste sul trionfo che ne avrebbero menato i Giansenisti, i quali avrebbero spacciato la soppression de' Gesuiti come un' approvazione della loro dottrina, e quindi la rovina del dogma, e della disciplina ecclesiastica, etc.

Dopo avere ben a lungo e con molta forza esposti tutti questi motivi di riprovare, e sopprimere quel Breve, passa l'arcivescovo ad un punto particolare, che certamente non era proposto nel Breve a parte scritto a lui arcivescovo. Dice essere stato di grande sorpresa e di scandalo a tutta la Francia l'avere il Papa per sua prima creatura promosso al cardinalato Monsig. Mario Marefoschi segretario di Propaganda Fide, del quale era noto a tutto il mondo cattolico essere un nemico dichiarato e furioso de' Gesuiti, aver carteggio continuo con tutti i nemici della Santa Sede, e i ribelli alle costituzioni apostoliche, segnatamente alla Bolla *Unigenitus*, essere finalmente un Giansenista dichiarato e publico. Che egli arcivescovo si prendeva la libertà di esporre tal cosa alla Santità Sua con tutto il rispetto, che un figlio deve al Padre, che egli crede raggirato e ingannato dai perfidi amici, che ha intorno. Supplica la Santità Sua a tenere sempre lontano dalle sue deliberazioni e consigli, il cardinal Marefoschi, gli amici di lui, e tutti quelli che lo hanno consigliato e indotto a far costui cardinale, etc.

So dal signor Card. Archinto stato maggiordomo di Clemente XIV, che il papa nel leggere la lettera di Monsignor di Beaumont si sturbò fortissimamente, ci pianse e per molto tempo patì di tanto in tanto delle alienazioni di mente. Tre o quattro anni dopo questo, trovan-

domi io in villegiatura colla casa..... insieme con Monsignor Sampieri, il quale era assai ben veduto da Clemente XIV, e che spesso andava da lui, domandai a Monsignor Sampieri, se era vera la lettera dell' arcivescovo di Parigi sopraesposta. Egli mi assicurò di averla letta, e che il Papa si era fortemente sturbato e ci aveva pianto sopra. Interrogato ancora, se fosse vera l'alienazion di mente del Papa? mi rispose, che essendo andato da lui dopo quella lettera, molte volte, e per varii affari importanti, egli veramente non si era mai accorto di mente alienata; ma sempre aveva trovato il Papa colla testa appoggiata sulla mano, e il gomito sul tavolino : che lo aveva veduto sempre in una profondissima melanconia, e che alla proposta degli affari rispondeva pochissime parole e per la più diceva *fate voi, fate voi*.

GIO. VINCENZO BOLGENI.

In un' anno, non mi ricordo precisamente quale (ma fu quello nel quale il Card. de Simone morì in Terni mentre da Civitanova tornava a Roma sul fin di ottobre), in quell' anno dunque stando il detto cardinal de Simone a Civitanova in casa del Marchese Roberti a villeggiare, fece invitare dal Marchese ad un pranzo in Civitanova il Conte e me nominatamente, i quali villeggiavamo alla marina circa quattro miglia lontano da Civitanova. Andati noi in casa Roberti, dopo i primi complimenti il Card. trasse me in disparte e mi disse che, essendo io stato Gesuita, era bene che sapessi un fatto importante, il quale però mi raccomandava di tener secreto fino a che la prudenza mi avesse permesso di comunicarlo ad altri, perchè se ne conservasse sempre la memoria.

Mi disse dunque, che nel grande estate, e nell' anno 1773, essendo egli uditor del Papa Clemente XIV era solito sulle venti due ore e mezza circa d'andare in carozza alla Madonna della Vittoria, e dopo visitato il Santissimo prosequire a piedi caminando fino alla villa Patrizzi a prender aria. Che nel giorno, nel quale il Papa sottoscrisse un dopopranzo il Breve della soppression de' Gesuiti (se ben mi ricordo fu il giorno 22 di luglio) : in quel giorno dunque appena il cardinal aveva fatto pochi passi a piedi dopo la visita della Vittoria, fu arrestato da una carozza a cavallo del Papa, la quale con fortissime istanze lo pregò a nome di Fra Franscisco (era il laico conventuale che serviva il Papa attualmente, e lo aveva servito anche da Religioso, lo pregò dico, a tornar subito a Palazzo, dove succedeva dello scompiglio nelle camere del Papa. Io (mi disse il cardinale) m'imaginai subito che il Papa avesse sottocritto il Breve della soppressione de' Gesuiti, poiche sapevo che per non pochi giorni avanti si erano fatte

al Papa dai Ministri, e da F. Bontempi, continue e gagliardissime istanze per aver quel Breve.

Arrivato io a Palazzo (continuò il cardinale) trovai fra Francesco nella sala del mio appartamento, il quale mi disse di venir seco subito dal Papa; e volendo io prima vestirmi di lungo, fra Francesco mi fece forza, e così come stavo vestito mi condusse dal Papa, e senza passar ambasciata m' introdusse nella camera da letto dove il Papa stava.

Trovai il Papa sul letto in camicia e mutanda, il quale piangeva dirottamente, e urlava divincolandosi pel letto e diceva *ah! Dio! sono dannato : Infernus domus mea est : non c' è più rimedio....* Fra Francesco allora mi stimolò di accostarmi al Papa, e di parlargli : lo feci, ma il Papa non mi dava retta, e altro non diceva che *infernus domus mea est*. Io cercai di confortare il Papa come potevo, ma Egli non mi rispondeva niente. Passato così circa un quarto d' ora, finalmente il Papa guardandomi, mi disse piangendo, *ah cardinale, ho sottoscritto il Breve, non v' è più remedio*. E dicendogli io, che il remedio ci era, e che si poteva ritrattare quel Breve, *ah*, mi rispose, *non si può; l'ho già consegnato a Mognino, e forse a quest' ora è già partito il corriere che lo porta in Ispagna*. Ebbene S. Padre, si rivoca quel Breve con un' altro Breve, replicai io : *O Dio, non si può*, soggiunse il Papa : sono dannato : *infernus domus mea est : non c' è più rimedio*.

Questa scena durò una buona mezz' ora, ed oltre F. Francesco erano presenti due o tre della famiglia del Papa, i quali piangevano ancor essi; e confesso la verità piansi ancor io. Finalmente il Papa cominciò ad acquietarsi un poco; non si agitava più pel letto, e borbotava tra denti alcune cose, che io non potei mai capire. Fimalmente rivolto verso di me, *ah cardinale*, mi disse, *andate al vostro appartamento, che quì starete incommodo pel gran caldo*. Che seguitando io a star lì; il Papa una e due volte mi replicò che partissi.

Nel partire mi accompagnò F. Francesco, e dicendogli io che non abbandonasse il Papa in quelle circostanze, mi rispose, che si erano inchiodate le finistre della sua camera, perchè poco dopo partito Mognino dalla sua udienza, entrato un cameriere trovò il Papa che come matto si era accostato alla finestra con far cenno di volersi buttar giù ed ebbe a faticare assai per trattenerlo, chiamando gente. Verso le ore due della notte salii nell' appartamento del Papa, (seguitò il Cardinale :) per informarmi dello stato di lui, e F. Francesco mi disse che il Papa s' era alzato dal letto, e stava quieto, ma che non parlava con nessuno, nè voleva veruno, dando segni di grandissima melanconia.

In quale stato si trovasse il Papa dopo quell' Epoca, ne diede una prova convincentissima anche a me, benche allora io stetti a Macerata. Erano miei penitenti il Marchese Domenico Ricci, il quale era ammalato d'una idropisia di petto, della quale pei morì nella vigilia di Natale di quell' anno 1773, ed anche il Marchese Antonio Ricci nipote del suddetto Marchese Domenico. Dopo publicato in Macerata il Breve della soppressione, il Marchese Antonio, temendo che io partissi, volle far meco una confessione generale, di tutta la sua vita, e la cominciò : Quand' ecco due giorni appresso arrivo in Macerata la famosa Enciclica, la quale toglieva agli Ex-gesuiti ogni facoltà di confessare, predicare etc. il Marchese Antonio sturbato per questo accidente non s'acchetò al mio sentimento, che il giudizio cominciato non poteva sospendersi; e neppure s'acchetò al sentimento del vescovo Monsignor.. Barnabita, il quale gli confermò il sentimento mio. Siccome il Marchese Antonio suddetto era amico di Monsigr. Macedonio segretario dei memoriali del Papa, col quale aveva anche carteggiato di tanto in tanto, scrisse una lettera a questo Prelato esponendogli il fatto della sua confessione cominciata, e l'infermità incurabile nella quale stava il Marchese Domenico suo zio, e mio penitente, e pregò il Prelato ad esporre al Papa le istanze premurose di tutti due per confessarsi da me, con tutta la segretezza per altre etc.

Monsignor Macedonio rescrisse al Marchese Antonio Ricci lettera di suo pugno da me veduta più volte, e considerata bene con mia sorpresa estrema. Scriveva dunque il Prelato di aver letta al Papa la lettera del Marchese Ricci per estensione, e che il Papa aveva risposto subito di *si*, che dava ogni facoltà etc.; poi fermandosi un poco sopra pensiero rivocò il detto e negò la facoltà domandata. Insistendo Monsignor Macedonio sulla particolarità delle circostanze, e che la cosa si sarebbe fatta privatamente e con ogni segretezza, il Papa rispose : *Se, Dio guardi, arrivano a saperlo questi ministri,* e il *Re di Spagna, chi vorrà sentir le grida che ne faranno; chi potrà soffrire le molestie, che ne daranno a Noi. No, dunque, no.* Monsignor Macedonio replicò : come potranno risaperla, una cosa così lontana? *Se non altri,* disse il Papa, *il D..... dell' inferno glielo farà* sapere : *No dunque, no.*

Tutte queste particolarità in dettaglio le scrisse Monsignor Macedonio in risposta al Marchese Ricci per fargli vedere che aveva fatto tutto il possibile, e non aveva potuto ottenere la grazia.

GIO. VINCENZO BOLGENI.

CCCVIII.

AGL' ILL^mi E R^mi SIG^ri I SIGNORI

CARDINALI DELLA SANTA ROMANA CHIESA,

RADUNATI IN CONCLAVE. ROMA.

Moncalieri, li 5 ottobre 1774.

Illustrissimi e Reverendissimi Signori. È un giusto tributo, che deve il Mondo Cattolico alla santa memoria di Clemente XIV, l'intendere con un vivo rammarico la dura perdita, che viene di farne quando meno se lo aspettava, e quando così utili alla pace della Chiesa erano le amorose pastorali sue sollecitudini. All' invito, che col triste annunzio è piaciuto a VV. SS. Ill. di farcene, non saremo noi gli ultimi certamente a pagarlo, animati non meno da questi troppo convenienti principi, quanto dalle prove dateci in ogni occasione dal degno Pontefice della paterna sua amorevolezza, che ci avevano per inclinazione e per riconoscenza alla sacra sua persona in particolar modo legati. Questi sentimenti per altro siccome traggono la principal loro origine dall' ereditario, ed inviolabile nostro attaccamento alla S. Sede, così essenzialmente c'interessano a desiderare di vederci a nascere un motivo di conforto dalla degna scelta di un ottimo successore, il quale nel portare sulla cattedra di Pietro le savie massime de' gloriosi suoi Predecessori a vantaggio del Cattolico Gregge, prenda nella sua assunzione al supremo Pontificato una vera idea delle nostre premure a far sempre tutto ciò che può ridondare al maggior bene delle incontaminata Sposa di Cristo, e provare al visibile suo capo l'ossequio nostro pien di rispetto. Tanto può aspettarsi la Chiesa dal savio discernimento di VV. SS. Ill., nel di cui raggardevole ceto deve cader la scelta. E mentre coi voti nostri a Dio O. M. contribuiremo noi ad un oggetto così salutare ed importante, nell' assicurarle della distinta stima, che facciamo di tutti i meritevoli individui, che lo compongono, preghiamo loro dal Signore ogni vero bene.

V. AMEDEO.

V. AIGBLANCHE.

CCCIX.

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBUS

D. DECANO ET COLLEGIO

S. R. E. CARDINALIBUS, AMICIS NOSTRIS CARISSIMIS.

Herculano, 11 octobris 1774.

Ferdinandus Dei gratia Rex Siciliarum, Hierusalem etc., Infans Hispaniarum etc., etc., Reverendissimis in Christo Patribus D. Decano et Collegio S. R. E. Cardinalibus, amicis nostris carissimis, salutem cum incremento omnis boni. Reverendissimi in Christo Patres, amici carissimi. Maximum sane animo dolorem cepimus ex literis, quibus Nos certiores esse voluerunt Reverendissimæ Paternitates Vestræ de obitu luctuosissimo Clementis XIV Pontificis Maximi Romanorum. Acerbus semper tristisque erit Nobis bonisque omnibus dies ille decimus ante Kalendas Octobres, qui Christiano nomini Parentem optimum eripuit, in quo quum nemo umquam humanitatem, doctrinam, prudentiam desideravit, tum vel maxime singularem in summa fortuna abstinentiam, egregiam in promissis fidem, in deliberando maturitatem judicii, in exsequendo fortitudinem, constantiam invictumque animi robur suspexerunt universi. Qualem igitur, quantamque virtutum in uno Clemente extincto jacturam fecimus! Porro autem, ut christiani orbis, quoad fieri possit, desiderium leniatur, Vestrum est, Patres Reverendissimi, dignum Clemente XIV. successorem dare. Quod sane futurum speramus, tum prudentiæ vestræ perspectissimæ confisi tum Divini Numinis præsentiæ, quæ Vobis in re maximi momenti deliberantibus ne desit communibus, enixisque votis adprecamur. *Datum Herculano v. Idus octobres* 1774.

FERDINANDUS.

BERNARDUS TANUSIUS.

CCCX.

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIUM COLLEGIO

REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBUS, DOMINIS,

AMICIS NOSTRIS CARISSIMIS.

Viennæ, 17 octobri 1774.

Nos Maria Theresia Dei Gratia Romanorum Imperatrix vidua Regina Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ, Galiciæ et Lodomeriæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Magna Princeps Transylvaniæ, Dux Mediolani, Mantuæ, Parmæ etc., Comes Habsburgi,

Flandriæ, Tyrolis, etc., Lotharingiæ et Barri Dux, Magna Dux Hetruriæ, etc. etc. Reverendissimis in Christo Dominis N. S. R. E. Episcopis, Presbyteris et Diaconis ac universo collegio Cardinalium, amicis nostris charissimis salutem et benevolentiæ nostræ affectum. Reverendissimi in Christo Patres, amici charissimi. Gravem sane concepimus mœroris sensum ex Clementis XIV Pont. Max. obitu, quem nuntiarunt Nobis vestræ literæ die XXIII superioris mensis datæ : commovit animum nostrum cum ipsa præmaturi fati acerbitas, tum reipublicæ christianæ non levis, quam in vigilantissimi pastoris morte fecit jactura. Perpetua tamen erit Patris optimi apud bonos omnes recordatio, qui difficillimo tempore Sanctæ Sedis Romanæ gubernaculo admotus, pro Ecclesiæ tranquillitate, solo quinquennii spatio, tantum in se suscepit laboris, quantum vix alius fuisset ausus. Neque defuit ipsi in aggrediendo opere animi fortitudo, nec in perficiendo constantia. Jam vero vestram, Reverendissimi Patres, fidem, prudentiam, religionem exhortamur, ut conjunctis pari studio animis, successorem eligatis, qualem Ecclesiæ incolumitas ac temporis ratio postulat : hoc omnium vota expectant, utque fiat, cujusque vestrum vel maxime interest. Deum interea supplices precamur, ut vos et collegas vestros suo in re tanti momenti numine adjuvet, atque confirmet; utpote cujus tutelæ Reverendissimas Paternitates Vestras pro nostro in easdem sincero et propenso affectu summopere volumus commendatas. *Datum in civitate nostra Viennæ, die* 17 *octobris anno* 1774. *Regnorum Nostrorum trigesimo quarto.*

Reverendissimarum Paternitatum Vestrarum

Benevola

MARIA THERESIA.

V. KAUNITZ RITBERG.

HENRICUS GABR. A COLLENBACH.

CCCXI.

A NOS TRÈS-CHERS ET TRÈS-AMÉS COUSINS

LES CARDINAUX DE LA SAINTE ÉGLISE ROMAINE,

ASSEMBLÉS DANS LE CONCLAVE.

Fontainebleau, le 17 octobre 1774.

Très-chers et très-aimés cousins. Nous partageons bien sincèrement les justes regrets que nous cause la mort de notre Saint-Père le Pape Clément quatorze, dont vous nous avez fait part par la lettre que vous nous avez écrite le 23 du mois dernier. Ce triste événement

nous a enlevé un Pontife que ses lumières supérieures, ses rares talents, les connaissances très-étendues qu'il avait, et ses vertus peu communes rendaient digne à tous égards d'être le successeur de saint Pierre. Nous avons surtout admiré en lui la modération et la sagesse avec laquelle il s'est constamment occupé de tous les objets confiés à sa sollicitude pastorale, et les soins particuliers qu'il a donnés à ceux qui concernaient notre Royaume. Vous pouvez juger par là combien sa perte doit nous être sensible. Cependant nous trouvons un grand motif de consolation dans la résolution où vous êtes de donner au Pape défunt un successeur qui marche sur ses traces, et qui à son exemple gouverne l'Église avec l'esprit de conciliation, de justice et de charité qui doit être le principal apanage du père commun des fidèles. Nous espérons que Dieu fortifiera et qu'il couronnera des dispositions si heureuses en dirigeant votre choix sur celui d'entre vous qu'il jugera le plus digne de remplir le plus sublime et le plus saint des ministères. Nos vœux à cet égard sont analogues à notre attachement pour la foi catholique et pour le Saint-Siége, à notre désir de voir la paix et la concorde si heureusement établies se perpétuer dans l'Église, et à notre estime et affection pour le Sacré Collége en général et pour chacun de vous en particulier. Sur ce nous prions Dieu qu'il vous ait, très-chers et très-aimés Cousins, en sa sainte et digne garde. Écrit à Fontainebleau, le 17 octobre 1774.

LOUIS.

GRAVIER DE VERGENNES.

CCCXII.

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIUM COLLEGIO REVERENDISSIMIS IN CHRISTO PATRIBUS, DOMINIS, AMICIS NOSTRIS CARISSIMIS.

Viennæ, 19 octobris 1774.

Josephus Secundus divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Germaniæ et Hierosolymarum Rex, Corregens et Hæres Regnorum Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ et Slavoniæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ et Lotharingiæ; Magnus dux Hetruriæ, Magnus Princeps Transylvaniæ, Dux Mediolani, Barri etc., Comes Habsburgi, Flandriæ et Tyrolis etc. etc. Reverendissimis in Christo Patribus Dominis N. S. R. E. Episcopis, Presbyteris et Diaconis ac Universo Collegio Cardinalium, amicis nostris carissimis, salutem ac benevolentiæ affectum. Reverendissimi

in Christo Patres, amici charissimi! Ex datis ad Nos a Reverendissimis Paternitatibus vestris die vigesima tertia mensis nuper elapsi literis gravi percepimus mœrore, summum Ecclesiæ Pontificem Clementem Decimum quartum gravissimo implicitum morbo e vivis excessisse; plurimam enim cum ipsis ac cum universa Ecclesia jacturam dignissimi ejusdem capitis dolemus, qui de Christiani populi pace ac tranquillitate firmanda, servandaque se perquam commendatum reddidit, sicque propriis Ecclesiæ commodis non minus quam communi saluti provide consulerit.

Vestri nunc erit Reverendissimi Patres, Spiritus Sancti ductu talem in ejus locum deligere Pontificem, qui dignus illius successor pari concordia pacisque studio elucescat.

Hanc peculiarem fore præsentis conclavis curam, enixa vestra de Ecclesiæ bono et de Christianæ Reipublicæ rationibus sollicitudo indubiam præbet fiduciam : quæque nostrarum sunt partium, nihil in iis prætermittemus, quæ ad Primi Ecclesiæ Catholicæ filii, ejusdemque ac Sedis Apostolicæ advocati et defensoris munus pertinent, sicque non minor nostra erit cura in fulciendo semper inter sacerdotium et imperium constanti felicique nexu.

De sinceris his animi nostri sensibus constitutus hucusque penes Nos Sedis Apostolicæ nuntius Reverendissimus Cardinalis Eugenius e Vice comitibus pro spectata sua integritate ac insigni perspicacia, vobis fidum haud dubie reddet documentum, hosque insuper confirmabit tam Reverendissimus Cardinalis Alexander Albanus, quam designandus ad Conclave Cæsareus noster orator. Et quod super est Reverendissimis Paternitatibus Vestris omnibus et singulis benevolentiæ et gratiæ nostræ Cæsareæ affectum hisce perpropense impertire et confirmare volumus. *Datum Viennæ, die* 19 *octobris anno millesimo septingentesimo septuagesimo quarto, regni nostri undecimo.*

JOSEPHUS.

PAULUS ANTONIUS GUNDEL.
V^t. CA. PRINCEPS COLLOREDO.

CCCXIII.

CARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO
LUDOVICO AUGUSTO FRANCORUM REGI CHRISTIANISSIMO
PIUS PAPA VI.

Romæ, 29 januarii 1783.

Carissime, etc. Cum primum nunciata Nobis erant ea, quæ in Alba Russia Episcopus Mallensis agere cœperat ex facultatibus (ut ipse in

edicto suo die 30 junii 1779 dato vulgaverat) sibi ut Vicario Apostolico per Nos concessis, perperam tamen ab illo interpretatis, et ultra veros consuetæ formulæ limites extensis, statim, quæ nostræ partes erant, hanc ejusdem licentiam arguere, et coercere, exposita ipsi nostra voluntate, et præfixis facultatum finibus curavimus. Ut ea et tuæ, et Catholicæ Majestati referri possent, ac item cetera, quæ deinceps consecuta sunt, omnium certiores fieri voluimus tam Venerabilem Fratrem Nostrum cardinalem de Bernis tuum Plenipotentiarium apud Nos administrum, quam Dilectum Filium Nobilem Virum Ducem Hieronymum Grimaldi Hispaniarum oratorem, *perspicueque ipsis sensus nostros aperuimus plane abnuentes, improbantesque illa Mallensis acta, quæ Apostolicis fel. rec. Clementis XIV Prædecessoris nostri in forma Brevis litteris die* 21 *Julii* 1773, *datis adversarentur*. Cum deinceps admonitiones nostras nihil proficere apud eum Episcopum videremus, excusantem nimirum se, quod ad retractationem illam, quam ab ipso exigebamus, devenire non posset, quoniam a sua impediebatur Domina universæ Russiæ Autocratrice, in se suscipiente, quidquid a vero nostri illius rescripti sensu desciverat; ad eam ipsam conversi tum sumus, illique, ut in superioribus cum ipsa egimus litteris, ita et in postremis nostris die scilicet undecima hujus mensis datis, omni studio patefacere contendimus, nulla ratione potuisse Episcopum Mallensem sensus illos Nobis, qui nostri non erant, affingere. Sed ad Nos porro delatæ graves sunt ejusdem minæ, quibus privaturam se esse universos Russiæ Catholicos regio patrocinio suo denunciabat, si Nos Mallensem Episcopum Archiepiscopatus titulo, et Pallii honore decorare distulissemus, nisi prius ille Nobis, prout postulaveramus, satisfecisset. Hinc necessario inducti religionis ipsius causa, ac tam certo animarum periculo, quibus facilis esset in apostasiam prolapsio, remittere prorsus tam ipsam satisfactionem, quam a Mallensi petebamus, quamque ille dare prohibebatur, debuimus; in quo illud existimavimus, satis remissionem hanc Nobis pensari conscientia nostra, bonaque fide, quam coram omnibus ad hujus cathedræ tuendum decus, ejusque decretorum auctoritatem sustinendam probare Nos posse eidem Imperatrici in iis litteris nostris aperte declaravimus. Ex quibus certe dubitare non possumus, quin persuasum vobis planeque perspectum sit, quam invitis, quamque ipsa necessitate obstrictis deveniendum Nobis etiam sit ad memoratos et Archiepiscopatus et Pallii honores Mallensi conferendos. Nihilo tamen minus, ut pristinos Majestati Tuæ sensus nostros adhuc magis confirmemus, præsertim cum videamus te valde cupere, ut hunc in modum omnis sinistra suspicio, si qua inde in ignarum

vulgus prodierit, ita disjici valeat, ut nullam possit erroris turbationisque causam tuis populis inducere, libenter ad Regiam Majestatem Tuam has damus Litteras, iisque expresse profitemur, haberi a Nobis tanquam abusus, atque illegitima ac nulla prorsus reputari, quæcumque vel in Alba Russia vel alibi acta esse feruntur illis contraria, quas superius memoravimus, Clementis XIV Litteris. De quo ipso, ut tuam, ita et Catholici Regis Majestatem per similes nostras hoc eodem tempore datas certiorem reddimus. Demum tibi, carissime in Christo fili noster, ac universæ christianissimæ Domui apostolicam benedictionem in veræ felicitatis et gloriæ incrementum ex intimo planeque paterno animo amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., die* 29 *januarii* 1783, *pontificatus nostri anno octavo.*

Eodem Exemplo Regi Catholico.

CCCXIV.

CARISSIMÆ IN CHRISTO FILIÆ NOSTRÆ

MARIÆ FRANCISCÆ PORTUGALLIÆ ET ALGARBIORUM

REGINÆ FIDELISSIMÆ

PIUS PAPA VI.

Romæ, 20 februarii 1783.

Carissima, etc. Cum primum nunciata Nobis erant ea, quæ in Alba Russia Episcopus Mallensis agere cœperat ex facultatibus (ut ipse in Edicto suo die 20 junii 1779 dato vulgaverat) sibi ut vicario Apostolico per Nos concessis, perperam tamen ab illo interpretatis, et ultra veros consuetæ formulæ limites extensis, statim quæ nostræ partes erant, hanc ejusdem licentiam arguere et coercere, exposita ipsi nostra voluntate, et præfixis facultatum finibus curavimus, plane abnuentes improbantesque illa Mallensis acta, quæ Apostolicis fel. rec. Clementis XIV Prædecessoris nostri in forma Brevis Litteris die 21 julii 1773 datis adversarentur. Cum deinceps admonitiones nostras nihil proficere apud eum Episcopum videremus, excusantem nimirum se, quod ad retractationem illam, quam ab ipso exigebamus, devenire non posset, quoniam a sua impediebatur Domina Universæ Russiæ auctocratrice in se suscipiente, quidquid a vero nostri illius Rescripti sensu desciverat; ad eam ipsam conversi tum sumus, illique ut in superioribus cum ipsa egimus Litteris, ita et in postremis nostris die scilicet 11 januarii datis, omni studio patefacere contendimus, nulla ratione potuisse Episcopum Mallensem sensus illos Nobis, qui nostri non erant affingere. Sed ad Nos porro delatæ graves

sunt ejusdem minæ, quibus privaturam se esse universos Russiæ Catholicos regio patrocinio suo denunciabat, si Nos Mallensem Episcopum Archiepiscopatus titulo, et Pallii honore decorare distulissemus, nisi prius ille Nobis, prout postulaveramus satisfecisset. Hinc necessario inducti religionis ipsius causa, ac tam certo animarum periculo, quibus facilis esset in apostasiam prolapsio remittere prorsus eam ipsam satisfactionem, quam a Mallensi petebamus, quamque ille dare prohibebatur, debuimus; in quo illud existimavimus, satis remissionem hanc Nobis pensari conscientia nostra, bonaque fide, quam coram omnibus ad hujus cathedræ tuendum decus, ejusque decretorum auctoritatem sustinendam probare Nos posse eidem Imperatrici in iis Litteris nostris aperte declaravimus. Ex quibus certe dubitare non possumus, quin persuasum *Tibi* planeque perspectum sit, quam invitis, quamque ipsa necessitate obstrictis deveniendum Nobis etiam sit ad memoratos et archiepiscopatus et Pallii honores Mallensi conferendos. Quo ipso per te intelligas, qui nostri sensus sint, quos nunc *Majestati Tuæ* adhuc magis confirmare suscipimus, cum *a Dilecto Filio Nobili Viro Didaco de Noronha ministro tuo plenipotentiario* cognoverimus *Te valde cupere, ut hunc in modum omnis sinistra suspicio, si qua inde in ignarum vulgus prodierit, ita disjici valeat, ut nullam possit erroris turbationisque causam tuis Populis inducere. Itaque ad Fidelissimam Majestatem Tuam has damus Litteras, iisque expresse profitemur, haberi a Nobis tanquam abusus, atque illegitima ac nulla prorsus reputari, quæcumque vel in Alba Russia, vel* ALIBI *acta esse feruntur illis contraria quas superius memoravimus, Clementis XIV Litteris. De quo, ut Tuam nunc, ita et Christianissimi et Catholici Regis Majestates per alias nostras in eamdem sententiam nuper datas Litteras certiores reddidimus.* Demum tibi, Carissima Christo filia nostra, ac universæ *Fidelissimæ* Domui apostolicam benedictionem in veræ felicitatis et gloriæ incrementum ex intimo planeque paterno animo amantissime impertimur. *Datum Romæ, etc., 20 februarii 1783, pontificatus nostri anno IX.*

Eodem Exemplo — mutatis mutandis — Regi Utriusque Siciliæ = Die 11. Aprilis 1783 = pro lineato verbo *Tibi* scribatur *Regiæ Majestati* Tuæ = pro aliis verbis *Majestati Tuæ* scribatur *Tibi* = ante verbum lineatum *Majestates* addatur *ac Fidelissimæ Reginæ* = pro verbo linea *Fidelissimæ* scribatur *Regiæ* = et demptis illis verbis lineatis *a Dilecto Filio etc.*

CCCXV.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

GUSTAVO SUECIÆ REGI ILLUSTRI

PIUS PAPA VI.

Romæ, 22 martii 1783.

Tribus abhinc annis ad Regiam Majestatem Tuam nostras dedimus Litteras, quibus maximo, quo per Nos fieri poterat, studio commendabamus tibi, potentissime Rex, Catholicos omnes, qui in tuis Ditionibus commorantur. Id quidem tum fecimus ipsa tuæ humanitatis clementiæque fama commoti; ac valde postmodum gavisi sumus, cum inde auctum in eos esse perciperemus præstantis animi tui patrocinium, eximio illo Edicto tuo, quod Nobiscum antea communicare per Nobilem virum Principem de Hessenstein voluisti. Illi tum non solum exempti a pristina in se legum severitate fuerunt, sed etiam libere sub tua tutela religionis suæ cultum exercere, aliisque sibi concessis ex tua magnanimitate privilegiis secure perfrui potuerunt. Quantopere gratos idcirco Majestati Tuæ Nos esse profiteamur, nulla potiori ratione testari nunc possumus, quam adhuc majorem in Nobis exhibendo benignitatis tuæ fiduciam, ac in ipsa quam debemus gratiarum actione novam tibi benefaciendi, Nosque magis devinciendi causam afferendo. Itaque Regiæ jam in Nos tuæ voluntatis, ac in Nostros beneficientiæ experientia freti, cum in Regnum tuum hæc Nostra Propagandæ Fidei Congregatio, Nobis approbantibus, mittat dilectum filium Oster sacerdotem Gallum, qui Catholicorum omnium et Stokolmiæ, et in locis Regni Sueciæ ultra mare Balticum positis degentium curam suscipiat, eosque in religionis exercendæ rationibus dirigat ac moderetur, illum sine nostris hisce litteris ad te accedere noluimus, ex quibus intelligeres, maxime Nostra interesse, ut eundem tua peculiari gratia in fungendo præsertim imposito sibi munere prosequaris, Nosque Nobis ipsis idcirco collatum existimaturos, quidquid in eum clementer, honorifice, beneficeque feceris. Dum hunc eidem ad Majestatem Tuam aditum per nostrum officium aperimus, minime dubii sumus, quin idem porro suorum meritorum, propriæque virtutis commendatione tibi futurus sit peracceptus. Nos certe tua humanitate jam devinctos tanto adhuc magis novis ejusmodi beneficiis obstrinxeris, ut nullam unquam opportunitatem prætermissuri simus, hujus gratissimi in te animi nostri declarandi. Interim vota nostra ad Deum Opt. Max. effundere non intermittimus, ut cœlestibus te, Potentissime

Rex, Regiam familiam, Regnumque Tuum suæ benignitatis donis uberrime muneretur. *Datum Romæ, etc., die* 22 *martii* 1783, *pontificatus nostri anno nono.*

CCCXVI.

A. S. EMZA R^ma IL SIG^r

CARDINAL PALLAVICINI SEG. DI STATO DI SUA SANTITA.

San-Pietroburgo, $\frac{15}{26}$ marzo 1784.

E^mo e R^mo Sig^re. Avendo io palesata nelle precedenti lettere la mia speranza che questi soidisant Gesuiti veranno tenuti lontani dallo spirituale governo delle' Parrocchie, e dalla cura delle anime, mi figuro che V. E. aspetti da me di sentire, se altro mi sia occorso sopra tale notissimo, e disgraziato affare. Benchè il Signore Vice Cancelliere tutte le volte, che è accaduto incidentemente di' nominargli m'abbia sempre dato a conoscere non essere in suo arbitrio, e potere l'ammettere neppur discorso in questa materia, ciò non ostante mi è riuscito di tenerne ragionamento ex professo col Signor Principe Potemkin. Ho veduta la necessità di rivolgermi a lui, poichè se egli era in realtà lor Protettore d' animo, e di mente, bisognava cercare di disingannarlo : se poi era che meglio degli altri conoscesse in questo affare i sentimenti, e la volontà dell' Imperatrice, avrei potuto in tal caso dalle sue risposte ricevere qualche lume intorno la possibilità, o impossibilità di questa negoziazione. Gli domandai dunque se io poteva proporre qualche temperamento con cui da una parte venisse sollevata Sua Santità da gravissimi, o continui travagli, e dall' altra restasse sodisfatta l'Imperatrice, ed intatto il servigio delle publiche scuole : non esser difficile a ritrovarsi un tal temperamento, perchè nulla aveano di comune i voti solenni monastici e religiosi con l'applicazione ad insegnar le arti, e le scienze alla gioventù : parer contrario al buon senso permettersi a costoro di preferire l'usata loro formola di voto d'ubbidienza al suo preteso Vicario, mentrechè l'imperatrice vuole, che ubbidissano al solo Arcivescovo di Mohilovia lasciandosi così in balia di tal fanatico, o ambitioso superiore il sedurre le altrui coscienze per porle in contradizione coi loro doveri. Oltre di che è evidente la nullità, ed innegabile la profanazione di somiglianti voti religiosi. Vi è ancora di più. Siccome ogni istituto regolare nella Chiesa Cattolica si contradistingue dagli altri per qualche voto proprio, e particolare esempli gratia quello di assistere gl' infermi, questo di redimere gli schiavi,

quello di predicare, quest' altro di attendere alla contemplazione et così il voto speciale e distintivo della' soppressa società era l'ubbidienza per le Missioni al Sommo Pontefice. Or mentre gli Ex Gesuiti di Bianca Russia spacciano per tutto le Provincie cattoliche, che sussiste tuttavia in quella Provincia l'Istituto loro tal quale altrove era prima della soppressione, non si può dare maggior assurdo, e scandalo maggiore di questo a fronte della loro disubbidienza alla Sede Apostolica. L'Imperatrice, mi si dira, vuole che si conservino nel loro antico stato. L'Imperatrice (posso io con verità rispondere) ha essa medesima dichiarato la loro volontaria, e spontanea disubbidienza al Sommo Pontefice nel suo Ukaso de' 4 Luglio 1782. che tradotto in latino incomincia Clementissime concedimus Societati Jesuiticæ, un Sovrano allorche dice di concedere, dice di far cosa o richiesta, o certamente grata, e desiderata dalle persone alle quali la concede. Ciò supposto la consequenza non può essere più concludente. Parmi pertanto, che si debba proibire ai medesimi il proferir colla bocca dei voti, che contemporaneamente smentiscono coll' opere, niente più bramando esser quanto d'esser sostenuti, e protetti, affine di trasgredir. L'Imperatrice ha stabilita una saggia commissione, ed ha alla medesima dato l'incarico di fondar publiche scuole per tutto l'Impero. Dopo proibita agli Ex-Gesuiti ogni sorte di voti monastici e religiosi si patria fare, che quegl' individui civilmente si dedicassero alle letterarie incombenze cotanto proprie del loro stato di semplici Ecclesiastici, e sacerdoti a vantaggio delle città e luoghi di Bianca Russia. M'interruppe il Principe dicendo, che io era stato bene accolto da Sua Maestà Imperiale, e felicemente avea compito le mie commissioni : ma che sarebbe lo stesso che' guastare ogni cosa mettendo in campo questo affare, e l'Imperatrice ne proveria gravissimo disgusto. L'imperatrice, replicai io, forse non è pienamente intesa degl' intrighi, che si fanno, e delle false disseminazioni, che si spargono persino in Roma a cagione degli Ex-Gesuiti di Bianca Russia. Ogni momento il Santo Padre ne ha a provare dispiaceri, od a temere di veder turbata la buona armonia colle Corti cattoliche. Se fa istanza a Sua Maestà Imperiale per terminar questo affare va incontro a dispiacerle, dal che è sommamente lontano : se poi tace, vede' compromessa la sua buona fede, e dar luogo a sospetti della medesima. Riprese il Principe : alcune cose da lei dette furono già rappresentate all' Imperatrice, e quantunque forse potrebboro più acconciamente rappresentarsi ora da lei, nulladimeno non si farebbe che irritarla, essendosi proposta di non parlar più, nè che più se le parli di questo affare, perciò mi consigliava a passarlo interamente sotto silenzio, protes-

tandosi, che si spiegava meco in tal guisa, non per alcuna prevenzione in favore degli Ex-Gesuiti, ma perche parevagli per quanto poteva conoscere le intenzioni dell' Imperatrice di cooperare con ciò al bene, e vero interesse della mia Corte. Non ho creduto tralasciar di riferire a V. E. distintamente tutta la serie di questa familiar conversatione, che ho avuta col sopradetto Principe, il quale ne' passati giorni e partito da Pietroburgo per la via di Mosca, alla volta delle sue terre di Bianca Russia, e poscia della Taurica Chersonese, o almeno de' luoghi viccini a quella nuova conquista. Ritornerà egli in questa capitale fra due, o tre mesi.

Sono eziandio partiti in sua compagnia Monsignor Arcivescovo di Mohilovia, e il nuovo Vescovo Gadarense Benislawski giacche si lusingano, che la strada di Mosca sia per riuscir loro meno disastrosa e malagevole' nella presente prossima stagione, in cui qui o fa un freddo di venti gradi sotto il gelo, o se il freddo rallenta, cade la neve in tanta copia che di già è giunta da pertutto ad una straordinaria altezza. E per fine all' E. V. mi raccomando, e con profondissimo ossequio mi rassegno,

Di Vestra Eminenza

Umilissimo, Divotissimo, et Obbidientissimo Servo vero
G. A. Arcivescovo di Calcedonia.

CCCXVII.

CLEMENS PAPA XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

1. Dominus, ac Redemptor noster, Jesu Christus, Princeps pacis a Propheta prænuntiatus, quod hunc in mundum veniens per angelos primum pastoribus significavit, ac demum per se ipsum, antequam in cælos ascenderet, semel et iterum suis reliquit discipulis; ubi omnia Deo Patri reconciliavisset, pacificans per sanguinem crucis suæ, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, Apostolis etiam reconciliationis tradidit ministerium, posuitque in eis verbum reconciliationis, ut legatione fungentes pro Christo, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, et dilectionis, universo Orbi pacem annuntiarent, et ad id potissimum sua studia conferrent ac labores, ut omnes in Christo geniti solliciti essent servare unitatem spiritus in vinculo pacis, unum corpus et unus spiritus, sicut vocati sunt in una spe vocationis, ad quam nequaquam pertingitur, ut inquit S. Gregorius Magnus, si non ad eam unita cum proximis mente curatur.

2. Hoc ipsum potiori quadam ratione Nobis divinitus traditum reconciliationis verbum, et ministerium, ubi primum, meritis prorsus imparibus, evecti fuimus ad hanc Petri Sedem, in memoriam revocavimus, die, noctuque præ oculis habuimus, cordique altissime inscriptum gerentes, ei pro viribus satisfacere contendimus, divinam ad id opem assidue implorantes, ut cogitationes, et consilia pacis Nobis, et universo Dominico gregi Deus infundere dignaretur, ad eamque consequendam tutissimum Nobis, firmissimumque aditum reserare. Quinimo probe scientes, divino Nos consilio constitutos fuisse super gentes, et super regna, ut in excolenda vinea Sabaoth, conservandoque Christianæ Religionis ædificio, cujus Christus est angularis lapis, evellamus, et destruamus, et disperdamus, et dissipemus, et ædificemus, et plantemus, eo semper fuimus animo, constantique voluntate, ut quemadmodum pro Christianæ Reipublicæ quiete, et tranquillitate nihil a Nobis prætermittendum esse censuimus, quod plantando, ædificandoque esset quovis modo accommodatum; ita, eodem mutuæ charitatis vinculo expostulante, ad evellendum, destruendumque quidquid jucundissimum etiam Nobis esset, atque gratissimum, et quo carere minime possemus sine maxima animi molestia, et dolore, prompti æque essemus, atque parati.

3. Non est sane ambigendum, ea inter quæ ad Catholicæ Reipublicæ bonum, felicitatemque comparandam plurimum conferunt, principem fere locum tribuendum esse Regularibus Ordinibus, ex quibus amplissimum in universam Christi Ecclesiam quavis ætate dimanavit ornamentum, præsidium, et utilitas. Hos idcirco Apostolica hæc Sedes approbavit non modo, suisque fulcita est auspiciis, verum etiam pluribus auxit beneficiis, exemptionibus, privilegiis et facultatibus, ut ex his ad pietatem excolendam, et Religionem, ad populorum mores verbo et exemplo rite informandos, ad Fidei unitatem inter fideles servandam, confirmandamque, magis magisque excitarentur, atque inflammarentur. Ast ubi eo res devenit, ut ex aliquo Regulari Ordine, vel non amplius uberrimi ii fructus, atque optatissima emolumenta a Christiano populo perciperentur, ad quæ afferenda fuerant primitus instituti, vel detrimento potius esse visi fuerint, ac perturbandæ magis populorum tranquillitati, quam eidem procurandæ accommodati; hæc eadem Apostolica Sedes, quæ eisdem plantandis operam impenderat suam, suamque interposuerat auctoritatem, eos vel novis communire legibus, vel ad pristinam vivendi severitatem revocare, vel penitus etiam evellere, ac dissipare minime dubitavit.

4. Hac sane de causa Innocentius Papa III. Prædecessor noster cum comperisset nimiam Regularium ordinum diversitatem gravem in Ec-

clesiam Dei confusionem inducere, in Concilio generali Lateranensi IV. firmiter prohibuit, ne quis de cetero novam Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem converti voluerit unam de approbatis assumat; decrevitque insuper, ut qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam, et institutionem accipiat de approbatis. Unde consequens fuit, ut non liceret omnino novam Religionem instituere sine speciali Romani Pontificis licentia, et merito quidem; nam cum novæ Congregationes majoris perfectionis gratia instituantur, prius ab hac sancta Apostolica Sede ipsa vitæ futuræ forma examinari, et perpendi debet diligenter, ne sub specie majoris boni, et sanctioris vitæ plurima in Ecclesia Dei incommoda, et fortasse etiam mala exoriantur.

5. Quamvis vero providentissime hæc fuerint ab Innocentio III. Prædecess. nostro constituta, tamen postmodum non solum ab Apostolica Sede importuna petentium inhiatio aliquorum Ordinum Regularium approbationem extorsit, verum etiam nonnullorum præsumptuosa temeritas diversorum Ordinum præcipue Mendicantium nondum approbatorum effrenatam quasi multitudinem adinvenit. Quibus plene cognitis, ut malo statim occurreret, Gregorius Papa X. pariter Prædecessor noster in generali Concilio Lugdunensi renovata Constitutione ipsius Innocentii III. Prædecessoris districtius inhibuit, ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem adinveniat, vel habitum novæ Religionis assumat. Cunctas vero generaliter Religiones, et Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense IV. adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuo prohibuit, Confirmatos autem, ab Apostolica Sede modo decrevit subsistere infrascripto : ut videlicet professoribus eorumdem Ordinum ita liceret in illis remanere, si voluerint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admitterent, nec de novo domum, vel aliquem locum acquirerent, nec domos, seu loca, quæ habebant, alienare valerent sine ejusdem S. Sedis licentia speciali. Ea enim omnia dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit in Terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, vel alios pios usus per locorum Ordinarios, vel eos, quibus S. Sedes ipsa commiserit, convertenda. Personis quoque ipsorum Ordinum omnino interdixit quoad extraneos prædicationis, et audiendi confessiones officium, aut etiam sepulturam. Declaravit tamen in hac Constitutione minime comprehensos esse Prædicatorum et Minorum Ordines, quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibuerat approbatos. Voluitque insuper Eremitarum S. Augustini, et Carmelitarum Ordines in solido statu permanere, ex eo quod istorum institutio prædictum generale Concilium Lateranense præcesserat. Demum sin-

gularibus personis Ordinum, ad quos hæc Constitutio extendebatur, transeundi ad reliquos Ordines approbatos licentiam concessit generalem; ita tamen, ut nullus Ordo ad alium, vel Conventus ad Conventum se, ac loca sua totaliter transferret, non obtenta prius speciali Sedis Apostolicæ licentia.

6. Hiscemet vestigiis secundum temporum circumstantias inhæserunt alii Romani Pontifices Prædecessores nostri, quorum omnium decreta longum esset referre. Inter cæteros vero Clemens Papa V. pariter Prædecessor noster per suas sub plumbo 6 nonas Maii anno Incarnationis Dominicæ 1312. expeditas litteras Ordinem Militarem Templariorum nuncupatorum, quamvis legitime confirmatum, et alias de Christiana Republica adeo præclare meritum, ut a Sede Apostolica insignibus beneficiis, privilegiis, facultatibus, exemptionibus, licentiis cumulatus fuerit, ob universalem diffamationem suppressit, et totaliter extinxit, etiamsi Concilium generale Viennense, qui negotium examinandum commiserat, a formali, et definitiva ferenda sententia censuerit se abstinere.

7. Sanctus Pius V, similiter Prædecessor noster, cujus insignem sanctitatem pie colit, et veneratur Ecclesia Catholica, Ordinem Regularem Fratrum Humiliatorum Concilio Lateranensi anteriorem, approbatumque a felicis recordationis Innocentio III, Honorio III, Gregorio IX, et Nicolao V, Romanis Pontificibus Prædecessoribus itidem nostris, ob inobedientiam decretis Apostolicis, discordias domesticas, et externas exortas, nullum omnino futuræ virtutis specimen ostendentem, et ex eo quia aliqui ejusdem Ordinis in necem S. Caroli S. R. E. Cardinalis Borromei Protectoris ac Visitatoris Apostolici dicti Ordinis scelerate conspiraverint, extinxit, ac penitus abolevit

8. Recolendæ memoriæ Urbanus Papa VIII, etiam Prædecessor noster, per suas in simili forma Brevis die 6 februarii 1626. expeditas litteras Congregationem Fratrum Conventualium Reformatorum a felicis memoriæ Sixto Papa V. itidem Prædecessore nostro solemniter approbatam, et pluribus beneficiis, ac favoribus auctam, ex eo quia ex prædictis Fratribus ii in Ecclesia Dei spirituales fructus non prodierint, imo quamplures differentiæ inter eosdem Fratres conventuales Reformatos, ac Fratres Conventuales non Reformatos ortæ fuerint, perpetuo suppressit, ac extinxit : Domus, Conventus, loca, supellectilem, bona, res, actiones, et jura ad prædictam Congregationem spectantia, Ordini Fratrum Minorum S. Francisci Conventualium concessit, et assignavit, exceptis tantum domo Neapolitana, et domo Sancti Antonii de Padua nuncupata de Urbe, quam postremam Cameræ Apostolicæ applicavit, et incorporavit, suæque suorumque suc-

rumque successorum dispositioni reservavit : Fratribus denique prædictæ suppressæ Congregationis ad Fratres S. Francisci Cappuccinos, seu de observantia nuncupatos transitum permisit.

9. Idem Urbanus Papa VIII. per alias suas in pari forma Brevis die 2. decembris 1643, expeditas literas Ordinem Regularem Sanctorum Ambrosii, et Barnabæ ad Nemus perpetuo suppressit, extinxit, et abolevit, subjecitque Regulares prædicti suppressi Ordinis jurisdictioni, et correctioni Ordinariorum locorum, prædictisque Regularibus licentiam concessit se transferendi ad alios Ordines Regulares Apostolica Sede approbatos. Quam suppressionem rec. memoriæ Innocentius Papa X. Prædecessor quoque noster solemniter per suas sub plumbo Kal. Aprilis anno Incarnationis Dominicæ 1645 expeditas litteras confirmavit; et insuper Beneficia, Domos, et Monasteria prædicti Ordinis, quæ antea regularia erant, ad sæcularitatem reduxit, ac in posterum sæcularia fore, et esse declaravit.

10. Idemque Innocentius X. Prædecess. noster per suas in simili forma Brevis die 16 martii 1645, ob graves perturbationes excitatas inter Regulares Ordinis Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, etsi Ordo ille prævio maturo examine a Gregorio Papa XV. Prædecessore nostro solemniter approbatus fuerit, præfatum Regularem Ordinem in simplicem Congregationem, absque ullorum votorum emissione, ad instar instituti Congregationis Presbyterorum sæcularium Oratorii in Ecclesia S. Mariæ in Vallicella de Urbe S. Philippi Neri nuncupatæ, reduxit : Regularibus prædicti Ordinis sic reducti transitum ad quamcumque Religionem approbatam concessit : admissionem Novitiorum, et admissorum professionem interdixit : superioritatem denique, et jurisdictionem, quæ penes Ministrum generalem, Visitatores, aliosque Superiores residebat, in Ordinarios locorum totaliter transtulit : quæ omnia per aliquot annos consecuta sunt effectum, donec tandem Sedes hæc Apostolica, cognita prædicti Instituti utilitate, illum ad pristinam votorum solemnium formam revocavit, ac in perfectum Regularem Ordinem redegit.

11. Per similes suas in pari forma Brevis die 29 octobris 1650, expeditas litteras idem Innocentius X. Prædecess. noster ob discordias quoque et dissensiones exortas suppressit totaliter Ordinem S. Basilii de Armenis : regulares prædicti suppressi Ordinis omnimode jurisdictioni, et obedientiæ Ordinariorum locorum subjecit in habitu Clericorum sæcularium, assignata iisdem congrua sustentatione ex redditibus Conventuum suppressorum : illisque etiam facultatem transeundi ad quancumque Religionem approbatam concessit.

12. Pariter ipse Innocentius X. Prædecess. noster per alias suas in dicta

forma Brevis die 22 junii 1651, expeditas litteras attendens nullos spirituales fructus ex regulari Congregatione Presbyterorum Boni Jesus in Ecclesia sperari posse, præfatam Congregationem perpetuo extinxit : Regulares prædictos jurisdictioni Ordinariorum Locorum subjecit, assignata eisdem congrua sustentatione ex redditibus suppressæ Congregationis, et cum facultate transeundi ad quemlibet Ordinem regularem approbatum a Sede Apostolica; suoque arbitrio reservavit applicationem bonorum prædictæ Congregationis in alios pios usus.

13. Denique felicis recordationis Clemens Papa IX. Prædecessor itidem noster cum animadverteret, tres regulares Ordines, Canonicorum videlicet regularium Sancti Georgii in Alga nuncupatorum, Hieronymianorum de Fesulis, ac tandem Jesuatorum a Sancto Johanne Columbano institutorum parum, vel nihil utilitatis, et commodi Christiano populo afferre, aut sperare posse eos esse aliquando allaturos, de iis supprimendis, extinguendisque consilium cepit, idque perfecit suis litteris in simili forma Brevis die 6 decembris 1668 expeditis, eorumque bona, et redditus satis conspicuos, Venetorum Republica postulante, in eos sumptus impendi voluit, qui ad Cretense bellum adversus Turcas sustinendum erant necessario subeundi.

14. In his vero omnibus decernendis, perficiendisque satius semper duxerunt Prædecessores nostri ea uti consultissima agendi ratione, quam ad intercludendum penitus aditum animorum contentionibus, et ad quælibet amovenda dissidia, vel partium studia magis conferre existimarunt. Hinc molesta illa, ac plena negotii prætermissa methodo, quæ in forensibus instituendis judiciis adhiberi consuevit, prudentiæ legibus unice inhærentes, ea potestatis plenitudine, qua tamquam Christi in terris Vicarii, ac supremi Christianæ Reipublicæ moderatores amplissime donati sunt, rem omnem absolvendam curarunt, quin regularibus Ordinibus suppressioni destinatis, veniam facerent, et facultatem sua experiundi jura at gravissimas illas vel propulsandi criminationes, vel causas amoliendi, ob quas ad illud consilii genus suscipiendum adducebantur.

15. His igitur, aliisque maximi apud omnes ponderis, et auctoritatis exemplis Nobis ante oculos propositis, vehementique simul flagrantes cupiditate, ut in ea, quam infra aperiemus, deliberatione fidenti animo, tutoque pede incedamus, nihil diligentiæ omisimus, et inquisitionis, ut quidquid ad regularis Ordinis, qui Societatis Jesu vulgo dicitur, originem pertinet, progressum, hodiernumque statum perscrutaremur; et compertum inde habuimus, eum ad animarum salutem, ad hæreticorum, et maxime Infidelium conversionem, ad

majus denique pietatis, et religionis incrementum a Sancto suo Conditore fuisse institutum; atque ad optatissimum finem facilius feliciusque consequendum, arctissimo Evangelicæ paupertatis voto tam in communi, quam in particulari fuisse Deo consecratum, exceptis tantummodo studiorum, seu litterarum Collegiis, quibus possidendi redditus ita facta est vis, et potestas, ut nihil tamen ex iis redditibus in ipsius Societatis commodum, utilitatem, ac usum impendi unquam possit, atque converti.

16. His, aliisque sanctissimis legibus probata primum fuit eadem Societas Jesu a rec. memoriæ Paulo Papa III. Prædecessore nostro per suas sub plumbo 5. kal. octobris anno Incarnationis Dominicæ 1540, expeditas litteras, ab eodemque concessa ei fuit facultas condendi jura, atque statuta, quibus Societatis præsidio, incolumitati, atque regimini firmissime consuleretur. Et quamvis idem Paulus Prædecessor Societatem ipsam angustissimis sexaginta dumtaxat alumnorum limitibus ab initio circumscripsisset; per alias tamen suas itidem sub plumbo pridie kal. martii anno Incarnationis Dominicæ 1543, expeditas litteras locum dedit eadem in Societate iis omnibus, quos in eam excipere illius moderatoribus visum fuisset opportunum, aut necessarium. Anno deinde 1549, suis in simili forma Brevis die 15 novembris expeditis litteris idem Paulus Prædecessor pluribus, atque amplissimis privilegiis eamdem Societatem donavit, ac in his indultum alias per eumdem Præpositis generalibus dictæ Societatis concessum admittendi viginti Presbyteros Coadjutores spirituales, eisque impertiendi easdem facultates, gratiam, et auctoritatem, quibus Socii ipsi professi donantur, ad alios quoscunque, quos idoneos fore iidem Præpositi generales censuerint, ullo absque limite, et numero extendendum voluit, atque mandavit; ac præterea Societatem ipsam, et universos illius Socios, et personas, illorumque bona quæcunque ab omni superioritate, jurisdictione, correctione quorumcunque Ordinariorum exemit, et vindicavit, ac sub sua, et Apostolicæ Sedis protectione suscepit.

17. Haud minor fuit reliquorum Prædecessorum nostrorum eadem erga Societatem liberalitas, ac munificentia. Constat enim a rec. memoriæ Julio III, Paulo IV, Pio IV et V, Gregorio XIII, Sixto V, Gregorio XIV, Clemente VIII, Paulo V, Leone XI, Gregorio XV, Urbano VIII, aliisque Romanis Pontificibus privilegia eidem Societati jam antea tributa, vel confirmata fuisse, vel novis aucta accessionibus, vel apertissime declarata. Ex ipso tamen Apostolicarum Constitutionum tenore, et verbis palam colligitur eadem in Societate suo fere ab initio varia dissidiorum, ac æmulationum semina pullulasse, ipsos

non modo inter Socios, verum etiam cum aliis regularibus Ordinibus, Clero sæculari, Academiis, Universitatibus, publicis litterarum Gymnasiis, et cum ipsis etiam Principibus, quorum in ditionibus Societas fuerat excepta; easdemque contentiones, et dissidia excitata modo fuisse de votorum indole, et natura, de tempore admittendorum Sociorum ad vota, de facultate Socios expellendi, de iisdem Sociis ad sacros ordines promovendis sine congrua, ac sine votis solemnibus contra Concilii Tridentini, ac sanctæ memoriæ Pii Papæ V. Prædecessoris nostri decreta; modo de absoluta potestate, quam Præpositus generalis ejusdem Societatis sibi vindicabat, ac de aliis rebus ipsius Societatis regimen spectantibus; modo de variis doctrinæ capitibus, de scholis, de exemptionibus, et privilegiis, quæ Locorum Ordinarii, aliæque personæ in Ecclesiastica, vel sæculari dignitate constitutæ suæ noxia esse jurisdictioni, ac juribus contendebant; ac demum minime defuerunt gravissimæ accusationes eisdem Sociis objectæ, quæ Christianæ Reipublicæ pacem, ac tranquillitatem non parum perturbarunt.

18. Multæ hinc ortæ adversus Societatem querimoniæ, quæ nonnullorum etiam Principum auctoritate munitæ ac relationibus ad recol. memoriæ Paulum IV, Pium V, et Sixtum V, Prædecessores nostros delatæ fuerunt. In his fuit claræ memoriæ Philippus II, Hispaniarum Rex Catholicus, qui tum gravissimas, quibus ille vehementer impellebatur rationes, tum etiam eos, quos ab Hispaniarum Inquisitoribus adversus immoderata Societatis privilegia, ac regiminis formam acceperat clamores et contentionum capita a nonnullis ejusdem etiam Societatis viris doctrina, et pietate spectatissimis confirmata, eidem Sixto V. Prædecessori exponenda curavit, apud eumdemque egit, ut Apostolicam Societatis visitationem decerneret, atque committeret.

19. Ipsius Philippi Regis petitionibus, et studiis, quæ summa inniti æquitate animadverterat, annuit idem Sixtus Prædecessor, delegitque ad Apostolici Visitatoris munus Episcopum prudentia, virtute et doctrina omnibus commendatissimum, ac præterea congregationem designavit nonnullorum S. R. E. Cardinalium, qui ei rei perficiendæ sedulam navarent operam. Verum dicto Sixto V. Prædecessore immatura morte prærepto, saluberrimum ab eo susceptum consilium evanuit, omnique caruit effectu. Ad supremum autem Apostolatus apicem assumptus felicis recordationis Gregorius PP. XIV per suas litteras sub plumbo 4. kal. julii anno Dominicæ Incarnationis 1591. expeditas, Societatis Institutum amplissime iterum approbavit rataque haberi jussit, ac firma privilegia quæcumque eidem Societati a suis Prædecessoribus collata; et illud præ ceteris, quo cautum fuerat, ut a

Societate expelli, dimittique possent Socii, forma judiciaria minime adhibita, nulla scilicet præmissa inquisitione, nullis confectis actis, nullo ordine judiciario servato, nullisque terminis, etiam substantialibus servatis, sola facti veritate inspecta, culpæ, vel rationabilis causæ tantum ratione habita, ac personarum, aliarumque circumstantiarum. Altissimum insuper silentium imposuit, vetuitque sub pœna potissimum excommunicationis latæ sententiæ, ne quis dictæ Societatis Institutum, constitutiones, aut decreta directe, vel indirecte impugnare auderet, vel aliquid de iis quovis modo immutari curaret. Jus tamen cuilibet reliquit, ut quidquid addendum, minuendum, aut immutandum censeret sibi tantummodo, e Romanis solum Pontificibus pro tempore existentibus vel immediate, vel per Apostolicæ Sedis Legatos, seu Nuncios significare posset, atque proponere.

20. Tantum vero abest, ut hæc omnia satis fuerint compescendis adversus Societatem clamoribus, et querelis, quin potius magis, magisque universum fere Orbem pervaserunt molestissimæ contentiones de Societatis doctrina, quam fidei veluti Orthodoxæ bonisque moribus repugnantem plurimi traduxerunt; domesticæ etiam, externæque efferbuerunt dissensiones, et frequentiores factæ sunt in eam, de nimia potissimum terrenorum bonorum cupiditate accusationes: ex quibus omnibus suam hauserunt originem tum perturbationes illæ omnibus satis cognitæ, quæ Sedem Apostolicam ingenti mœrore affecerunt, ac molestia; tum capta a Principibus nonnullis in Societatem consilia. Quo factum est, ut eadem Societas novam Instituti sui, ac privilegiorum confirmationem a felicis recordationis Paulo Papa V. Prædecessore nostro impetratura, coacta fuerit ab eo petere, ut rata habere vellet, suaque confirmare auctoritate decreta quædam in quinta generali Congregatione edita, atque ad verbum exscripta in suis sub plumbo pridie non. septembris anno Incarnationis Dominicæ 1606. desuper expeditis litteris, quibus in decretis discretissime legitur, tam internas Sociorum simultates ac turbas, quam exterorum in Societatem querelas ac postulationes Socios in comitiis congregatos impulisse ad sequens condendum statutum: Quoniam Societas nostra, quæ ad fidei propagationem, et animarum lucra a Domino excitata est, sicut per propria Instituti ministeria, quæ spiritualia arma sunt, cum Ecclesiæ utilitate, ac proximorum ædificatione sub crucis vexillo finem feliciter consequi potest, quem intendit; ita et hæc bona impediret, et se maximis periculis exponeret, si ea tractaret, quæ sæcularia sunt, et ad res politicas atque ad status gubernationem pertinent; idcirco sapientissime a nostris majoribus statutum est, ut militantes Deo aliis quæ a nostra professione abhorrent non implicemur.

Cum autem his præsertim temporibus valde periculosis, pluribus locis, et apud varios Principes (quorum tamen amorem, et charitatem sanctæ memoriæ Pater Ignatius conservandam ad divinum obsequium pertinere putavit) aliquorum fortasse culpa, et vel ambitione, vel indiscreto zelo Religio nostra male audiat; et alioquin bonus Christi odor necessarius sit ad fructificandum; censuit Congregatio ab omni specie mali abstinendum esse, et querelis, quoad fieri poterit, etiam ex falsis suspicionibus provenientibus, occurrendum. Quare præsenti decreto graviter, et severe nostris omnibus interdicit, ne in hujusmodi publicis negotiis, etiam invitati, aut allecti ulla ratione se immisceant, nec ullis precibus, aut suasionibus ab instituto deflectant. Et præterea quibus efficacioribus remediis omnino huic morbo, sicubi opus sit, medicina adhibeatur, patribus Definitoribus accurate decernendum, et definiendum commendavit.

21. Maximo sane animi nostri dolore observavimus, tam prædicta, quam alia complura deinceps adhibita remedia nihil ferme virtutis præ se tulisse, et auctoritatis ad tot, ac tantas evellendas dissipandasque turbas, accusationes, et querimonias in sæpe dictam Societatem, frustraque ad id laborasse cæteros Prædecessores nostros Urbanum VIII, Clementem IX, X, XI et XII, Alexandrum VII et VIII, Innocentium X, XI, XII et XIII, et Benedictum XIV. qui optatissimam conati sunt Ecclesiæ restituere tranquillitatem plurimis saluberrimis editis Constitutionibus; tam circa sæcularia negotia, sive extra sacras Missiones, sive earum occasione minime exercenda, quam circa dissidia gravissima, ac jurgia adversus Locorum Ordinarios, regulares Ordines, Loca pia, atque Communitates cujusvis generis in Europa, Asia, et America, non sine ingenti animarum ruina, ac populorum admiratione a Societate acriter excitata; tum etiam super interpretatione, et praxi Ethnicorum quorumdam rituum aliquibus in locis passim adhibita, omissis iis, qui ab Universali Ecclesia sunt rite probati; vel super earum sententiarum usu, et interpretatione, quas Apostolica Sedes tanquam scandalosas, optimæque morum disciplinæ manifeste noxias merito proscripsit; vel aliis demum super rebus maximi equidem momenti, et ad Christianorum dogmatum puritatem sartam tectam servandam apprime necessariis, et ex quibus nostra hac non minus, quam superiori ætate plurima dimanarunt detrimenta, et incommoda; perturbationes nimirum ac tumultus in nonnullis Catholicis regionibus; Ecclesiæ persecutiones in quibusdam Asiæ, et Europæ provinciis; ingens denique allatus est mœror Prædecessoribus nostris, et in his piæ memoriæ Innocentio Papæ XI. qui necessitate compulsus eo devenit, ut Societati interdixerit novitios ad

habitum admittere; tum Innocentio Papæ XIII. qui eamdem pœnam coactus fuit eidem comminari; ac tandem recol. memoriæ Benedicto Papæ XIV. qui visitationem Domorum, Collegiorumque in ditione charissimi in Christo filii nostri Lusitaniæ, et Algarbiorum Regis Fidelissimi existentium censuit decernendam; quin ullum subinde vel Sedi Apostolicæ solamen, vel Societati auxilium, vel Christianæ Reipublicæ bonum accesserit ex novissimis Apostolicis litteris a felicis recordationis Clemente Papa XIII. immediato Prædecessore nostro extortis potius, ut verbo utamur a Prædecessore nostro Gregorio X in supracitato Lugdunensi Œcumenico Concilio adhibito, quam impetratis, quibus Societatis Jesu Institutum magnopere commendatur, ac rursus approbatur.

22. Post tot, tantasque procellas, ac tempestates acerbissimas futurum optimus quisque sperabat, ut optatissima illa tandem aliquando illucesceret dies, quæ tranquillitatem, et pacem esset cumulatissime allatura. At Petri Cathedram gubernante eodem Clemente XIII. Prædecessore longe difficiliora, ac turbulentiora accesserunt tempora. Auctis enim quotidie magis in prædictam Societatem clamoribus, et querelis, quinimo periculosissimis alicubi exortis seditionibus, tumultibus, dissidiis et scandalis, quæ, Christianæ charitatis vinculo labefactato, ac penitus disrupto, fidelium animos ad partium studia, odia, et inimicitias vehementer inflammarunt, eo discriminis, ac periculi res perducta visa est, ut ii ipsi, quarum avita pietas, ac in Societatem liberalitas hæreditario quodam veluti jure a majoribus accepta omnium fere linguis summopere commendatur, charissimi nempe in Christo filii nostri Reges Francorum, Hispaniarum, Lusitaniæ, ac utriusque Siciliæ suis ex Regnis; ditionibus, atque provinciis Socios dimittere coacti omnino fuerint, et expellere; hoc unum putantes extremum tot malis superesse remedium, et penitus necessarium ad impediendum, quominus Christiani populi in ipso sanctæ Matris Ecclesiæ sinu sese invicem lacesserent, provocarent, lacerarent.

23. Ratum vero habentes prædicti charissimi in Christo filii nostri remedium hoc firmum esse non posse, ac Universo Christiano Orbi reconciliando accommodatum, nisi Societas ipsa prorsus extingueretur, ac ex integro supprimeretur; sua idcirco apud præfatum Clementem PP. XIII. Prædecessorem exposuerunt studia, ac voluntatem, et qua valebant auctoritate, et precibus, conjunctis simul votis expostularunt, ut efficacissima ea ratione perpetuæ suorum subditorum securitati, universæque Christi Ecclesiæ bono providentissime consulerent. Qui tamen præter omnium expectationem contigit ejusdem Pontificis obitus rei cursum, exitumque prorsus impedivit. Hinc Nobis in

eadem Petri Cathedra, divina disponente Clementia, constitutis eædem statim oblatæ sunt preces, petitiones, et vota, quibus sua quoque addiderunt studia, animique sententiam Episcopi complures, aliique viri dignitate, doctrina, religione plurimum conspicui.

24. Ut autem in re tam gravi, tantique momenti tutissimum caperemus consilium, diuturno Nobis temporis spacio opus esse judicavimus, non modo ut diligenter inquirere, maturius expendere, et consultissime deliberare possemus, verum etiam ut multis gemitibus, et continuis precibus singulare a Patre luminum exposceremus auxilium, et præsidium; qua etiam in re Fidelium omnium precibus, pietatisque operibus Nos sæpius apud Deum juvari curavimus. Perscrutari inter cætera voluimus, quo innitatur fundamento pervagata illa apud plurimos opinio, Religionem scilicet Clericorum Societatis Jesu fuisse a Concilio Tridentino solemni quadam ratione approbatam, et confirmatam; nihilque aliud de ea actum fuisse comperimus in citato Concilio, quam ut a generali illo exciperetur decreto, quo de reliquis regularibus Ordinibus cautum fuit, ut finito tempore novitiatus, novitii qui idonei inventi fuerint ad profitendum admittantur, aut a Monasterio ejiciantur. Quamobrem eadem sancta synodus (Sess. 25, c. 16, de Regular.) declaravit se nolle aliquid innovare aut prohibere, quin prædicta religio Clericorum Societatis Jesu, juxta pium eorum Institutum a Sancta Sede Apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire possit.

25. Tot itaque, ac tam necessariis adhibitis mediis, Divini Spiritus, ut confidimus, adjuti præsentia, et afflatu, necnon muneris nostri compulsi necessitate, quo et ad Christianæ Reipublicæ quietem et tranquillitatem conciliandam, fovendam, roborandam, et ad illa omnia penitus de medio tollenda, quæ eidem detrimento vel minimo esse possunt, quantum vires sinunt, arctissime adigimur; cumque præterea animadverteremus prædictam Societatem Jesu uberrimos illos, amplissimosque fructus, et utilitates afferre amplius non posse, ad quos instituta fuit, a tot Prædecessoribus nostris approbata, ac plurimis ornata privilegiis, imo fieri, aut vix, aut nullo modo posse, ut ea incolumi manente vera pax, ac diuturna Ecclesiæ restituatur; his propterea gravissimis adducti causis, aliisque pressi rationibus, quas et prudentiæ leges, et optimum Universalis Ecclesiæ regimen Nobis suppeditant, altaque mente repositas servamus, vestigiis inhærentes eorumdem Prædecessorum nostrorum, et præsertim memorati Gregorii X. Prædecess. nostri in generali Concilio Lugdunensi, cum et nunc de Societate agatur, tum Instituti sui, tum privilegiorum etiam suorum ratione, Mendicantium Ordinum numero ascripta, maturo

consilio, ex certa scientia, et plenitudine potestatis Apostolicæ sæpedictam Societatem extinguimus, et supprimimus; tollimus, et abrogamus omnia, et singula ejus officia, ministeria et administrationes, domus, scholas, collegia, hospitia, gymnasia, et loca quæcumque quavis in provincia, regno, et ditione existentia, et modo quolibet ad eam pertinentia; ejus statuta, mores, consuetudines, decreta, constitutiones, etiam juramento, confirmatione Apostolica, aut alias roboratas; omnia item, et singula privilegia, et indulta generalia, vel specialia, quorum tenores præsentibus, ac si de verbo ad verbum essent incerta, ac etiamsi quibusvis formulis, clausulis irritantibus, et quibuscumque vinculis et decretis sint concepta, pro plene et sufficienter expressis haberi volumus. Ideoque declaramus cassatam perpetuo manere, ac penitus extinctam omnem, et quamcumque auctoritatem Præpositi Generalis, Provincialium, Visitatorum, aliorumque quorumlibet dictæ Societatis Superiorum tam in spiritualibus, quam in temporalibus; eamdemque jurisdictionem, et auctoritatem in Locorum Ordinarios totaliter, et omnimode transferimus, juxta modum casus, et personas, et iis sub conditionibus, quas infra explicabimus; prohibentes quemadmodum per præsentes prohibemus, ne ullus amplius in dictam Societatem excipiatur, et ad habitum, ac novitiatum admittatur; qui vero hactenus fuerunt excepti, ad professionem votorum simplicium, vel solemnium, sub pœna nullitatis admissionis, et professionis, aliisque arbitrio nostro, nullo modo admitti possint, et valeant. Quinimo volumus, præcipimus, et mandamus, ut qui nunc tyrocinio actu vacant, statim, illico, immediate, et cum affectu dimittantur; ac similiter vetamus, ne qui votorum simplicium professionem emiserunt, nulloque sacro Ordine sunt usque adhuc initiati, possint ad majores ipsos Ordines promoveri prætextu, aut titulo vel jam emissæ in Societate professionis vel privilegiorum contra Concilii Tridentini decreta eidem Societati collatorum.

26. Quoniam vero eo nostra tendunt studia, ut quemadmodum Ecclesiæ utilitatibus, ac populorum tranquillitati consulere cupimus; ita singulis ejusdem Religionis individuis, seu Sociis, quorum singulares personas paterne in Domino diligimus, solamen aliquod, et auxilium afferre studeamus, ut ab omnibus, quibus hactenus vexati fuerunt contentionibus, dissidiis, et angoribus liberi, fructuosius vineam Domini possint excolere, et animarum saluti uberius prodesse; ideo decernimus, et constituimus, ut Socii professi votorum duntaxat simplicium, et sacris Ordinibus nondum initiati, intra spatium temporis a Locorum Ordinariis definiendum, satis congruum ad munus aliquod vel officium, vel benevolum receptorem inveniendum, non

tamen uno anno longius a data præsentium nostrarum litterarum inchoandum, Domibus, et Collegiis ejusdem Societatis omni votorum simplicium vinculo soluti egredi omnino debeant, eam vivendi rationem suscepturi, quam singulorum vocationi, viribus, et conscientiæ magis aptam in Domino judicaverint, cum et juxta Societatis privilegia dimitti ab ea hi poterant non alia de causa præter eam, quam Superiores prudentiæ, et circumstantiis magis conformem putarent, nulla præmissa citatione, nullis confectis actis, nulloque judiciario ordine servato.

27. Omnibus autem Sociis ad sacros Ordines promotis veniam facimus, ac potestatem, easdem Domos, aut Collegia Societatis deferendi, vel ut ad aliquem ex regularibus Ordinibus a Sede Apostolica approbatis se conferant, ubi probationis tempus a Concilio Tridentino præscriptum debebunt explere, si votorum simplicium professionem in Societate emiserint, si vero solemnium etiam votorum per sex tantum integros menses in probatione stabunt, super quo benigne cum eis dispensamus, vel ut in sæculo maneant tamquam Presbyteri, et Clerici Sæculares sub omnimoda, ac totali obedientia, et subjectione Ordinariorum, in quorum diœcesi domicilium figant; decernentes insuper, ut his, qui hac ratione in sæculo manebunt congruum aliquod, donec provisi aliunde non fuerint, assignetur stipendium ex redditibus domus, seu Collegii, ubi morabantur, habito tamen respectu tum redditiuum, tum onerum eidem annexorum.

28. Professi vero in sacris Ordinibus jam constituti, qui vel timore ducti non satis honestæ sustentationis ex defectu, vel inopia congruæ, vel quia loco carent ubi domicilium sibi comparent, vel ob provectam ætatem, infirmam valetudinem, aliamque justam, gravemque causam, domus Societatis, seu Collegia derelinquere opportunum minime existimaverint, ibidem manere poterunt ea tamen lege, ut nullam prædictæ domus, seu Collegii administrationem habeant. Clericorum Sæcularium veste tantummodo utantur, vivantque Ordinario ejusdem loci plenissime subjecti. Prohibemus autem omnino quominus in eorum qui deficient locum, alios sufficiant; Domum de novo juxta Concilii Lugdunensis decreta seu aliquem locum acquirant; domos insuper, res, et loca, quæ nunc habent, alienare valeant; quinimo in unam tantum domum, seu plures, habita ratione Sociorum, qui remanebunt, poterunt congregari, ita ut domus, quæ vacuæ relinquentur, possint in pios usus converti juxta id quod sacris canonibus, voluntati fundatorum, divini cultus incremento, animarum saluti, ac publicæ utilitati videbitur suis loco, et tempore recte, riteque accommodatum. Interim vero vir aliquis ex Clero Sæculari prudentia, pro-

bisque moribus præditus designabitur, qui dictarum domorum præsit regimini, deleto penitus et suppresso nomine Societatis.

29. Declaramus individuos etiam prædictæ Societatis ex omnibus Provinciis, a quibus jam reperiuntur expulsi, comprehensos esse in hac generali Societatis suppressione : ac proinde volumus, quod supradicti expulsi, etiamsi ad majores Ordines sint, et existant promoti, nisi ad alium regularem Ordinem transierint, ad statum Clericorum et Presbyterorum Sæcularium ipso facto redigantur, et Locorum Ordinariis totaliter subjiciantur.

30. Locorum Ordinarii, si eam, qua opus est, deprehenderint virtutem, doctrinam, morumque integritatem in iis, qui e Regulari Societatis Jesu Instituto ad Presbyterorum Sæcularium statum in vim præsentium nostrarum litterarum transierint, poterunt eis pro suo arbitrio facultatem largiri, aut denegare excipiendi sacramentales confessiones Christi Fidelium, aut publicas ad populum habendi sacras conciones, sine qua licentia in scriptis nemo illorum iis fungi muneribus audebit. Hanc tamen facultatem iidem Episcopi, vel Locorum Ordinarii nunquam quoad extraneos iis concedent, qui in Collegiis, aut domibus antea ad Societatem pertinentibus vitam ducent, quibus proinde perpetuo interdicimus Sacramentum pœnitentiæ extraneis administrare, vel prædicare, quemadmodum ipse etiam Gregorius X. Prædecessor in citato generali Concilio simili modo prohibuit. Qua de re ipsorum Episcoporum oneramus conscientiam, quos memores cupimus severissimæ illius rationis, quam de ovibus eorum curæ commissis Deo sunt reddituri, et durissimi etiam illud judicii, quod iis, qui præsunt, supremus vivorum, et mortuorum Judex minatur.

31. Volumus præterea, quod si quis eorum, qui Societatis Institutum profitebantur, munus exerceat erudiendi in litteris juventutem, aut Magistrum agat in aliquo Collegio, aut schola, remotis penitus a regimine, administratione, et gubernio, iis tantum in docendi munere locus fiat perseverandi, et potestas, qui ad bene de suis laboribus sperandum signum aliquod præseferant, et dummodo ab illis alienos se præbeant disputationibus, et doctrinæ capitibus, quæ sua vel laxitate, vel inanitate gravissimas contentiones, et incommoda parere solent, et procreare; nec ullo unquam tempore ad hujusmodi docendi munus ii admittantur, vel in eo, si nunc actu versantur, suam sinantur præstare operam, qui scholarum quietem, ac publicam tranquillitatem non sunt pro viribus conservaturi.

32. Quod vero ad sacras attinet missiones, quarum etiam ratione intelligenda volumus, quæcumque de Societatis suppressione dispo-

suimus, nobis reservamus, ea media constituere, quibus et Infidelium conversio, et dissidiorum sedatio facilius, et firmius obtineri possit, et comparari.

33. Cassatis autem, et penitus abrogatis, ut supra, privilegiis quibuscumqne et statutis sæpedictæ Societatis, declaramus ejus Socios, ubi a Domibus, et Collegiis Societatis egressi, et ad statum Clericorum Sæcularium redacti fuerint, habiles esse, et idoneos ad obtinenda juxta sacrorum canonum, et constitutionum Apostolicarum decreta, Beneficia quæcumque tam sine cura, quam cum cura, officia, dignitates, personatus, et id genus alia, ad quæ omnia eis in Societate manentibus aditus fuerat penitus interclusus a felicis recordationis Gregorio PP. XIII. per suas in simili forma Brevis die 10. Septembris 1584. expeditas litteras, quarum initium est : Satis superque. Item iisdem permittimus, quod pariter vetitum eis erat, ut eleemosynam pro Missæ celebratione valeant percipere; possintque iis omnibus frui gratiis, et favoribus, quibus tamquam Clerici Regulares Societatis Jesu perpetuo caruissent. Derogamus pariter omnibus, et singulis facultatibus, quibus a Præposito generali, aliisque Superioribus vi privilegiorum a Summis Pontificibus obtentorum, donati fuerint, legendi videlicet hæreticorum libros, et alios ab Apostolica Sede proscriptos, et damnatos; non servandi jejuniorum dies, aut esurialibus cibis in iis non utendi; anteponendi, postponendique Horarum Canonicarum recitationem, aliisque id genus, quibus in posterum eos uti posse severissime prohibemus; cum mens nobis, animusque sit, ut itidem tamquam Sæculares Presbyteri ad juris communis tramites suam accommodent vivendi rationem.

34. Vetamus, ne postquam præsentes nostræ litteræ promulgatæ fuerint, ac notæ redditæ, ullus audeat earum executionem suspendere etiam colore, titulo, prætextu cujusvis petitionis, appellationis, recursus, declarationis, aut consultationis dubiorum, quæ forte oriri possent, alioque quovis prætextu præviso, vel non præviso. Volumus enim ex nunc, et immediate suppressionem, et cassationem universæ prædictæ Societatis, et omnium ejus officiorum suum effectum sortiri, forma, et modo a Nobis supra expressis, sub pœna majoris excommunicationis ipso facto incurrendæ Nobis, nostrisque successoribus Romanis Pontificibus pro tempore reservatæ adversus quemcumque, qui nostris hisce litteris adimplendis impedimentum, obicem, aut moram apponere præsumpserit.

35. Mandamus insuper, ac in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus, et singulis personis Ecclesiasticis, regularibus, sæcularibus cujuscumque gradus, dignitatis, qualitatis et conditionis, et iis sig-

nanter, qui usque adhuc Societati fuerunt adscripti, et inter Socios habiti, ne defendere audeant, impugnare, scribere, vel etiam loqui de hujusmodi suppressione, deque ejus causis, et motivis, quemadmodum nec de Societatis Instituto, regulis, Constitutionibus, regiminis forma, aliave de re, quæ ad hujusmodi pertinet argumentum absque expressa Romani Pontificis licentia; ac simili modo sub pœna excommunicationis Nobis, ac nostris pro tempore successoribus reservatæ prohibemus omnibus, et singulis, ne hujus suppressionis occasione ullum audeant, multoque minus eos, qui Socii fuerunt, injuriis, jurgiis, contumeliis, aliove contemptus genere, voce, aut scripto, clam, aut palam afficere, ac lacessere.

36. Hortamur omnes Christianos Principes, ut ea qua pollent, vi, auctoritate, et potentia, quam pro sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione, et patrocinio a Deo acceperunt, tum etiam eo, quo in hanc Apostolicam Sedem ducuntur obsequio, et cultu, suam præstent operam, ac studia, ut hæ nostræ litteræ suum plenissime consequantur effectum, quinimo singulis in iisdem litteris contentis inhærentes similia constituant et promulgent decreta, per quæ omnino caveant, ne, dum hæc nostra voluntas executioni tradetur, ulla inter Fideles excitentur jurgia, contentiones, et dissidia.

37. Hortamur denique Christianos omnes, ac per Domini nostri Jesu Christi viscera obsecramus, ut memores sint, omnes eumdem habere Magistrum, qui in cœlis est; eumdem omnes Reparatorem, a quo empti sumus pretio magno; eodem omnes lavacro aquæ in verbo vitæ regeneratos esse, et filios Dei, cohæredes autem Christi constitutos; eodem Catholicæ doctrinæ, verbique divini pabulo nutritos; omnes demum unum corpus esse in Christo, singulos autem alterum alterius membra; atque idcirco necesse omnino esse, ut omnes communi charitatis vinculo simul colligati cum omnibus hominibus pacem habeant, ac nemini debeant quidquam, nisi ut invicem diligant; nam qui diligit proximum, legem implevit; summo prosequentes odio offensiones, simultates, jurgia, insidias, aliaque hujusmodi ab antiquo humani generis hoste excogitata, inventa, et excitata ad Ecclesiam Dei perturbandam, impediendamque æternam Fidelium felicitatem sub fallacissimo scholarum, opinionum, vel etiam Christianæ perfectionis titulo, ac prætextu. Omnes tandem totis viribus contendant veram, germanamque sibi sapientiam comparare, de qua scriptum est per Sanctum Jacobum cap. 3. Epist. Canon. vers. 13. « Quis sapiens, et disciplinatus inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ. Quod si zelum animarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite

gloriari, et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus, et contentio, ibi inconstantia, et omne opus pravum. Quæ autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, et fructibus bonis, non judicans, sine æmulatione. Fructus autem justitiæ in pace seminatur facientibus pacem. »

38. Præsentes quoque litteras etiam ex eo quod Superiores, et alii religiosi sæpedictæ Societatis, et ceteri quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, et auditi fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostræ, aut alio quovis defectu etiam quantumvis magno, inexcogitato, et substantiali, sive etiam ex eo quod in præmissis seu eorum aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda servata non fuerint; aut ex quocumque alio capite a jure vel consuetudine aliqua resultante etiam in corpore juris clauso, seu etiam enormis, enormissimæ, et totalis læsionis, et quovis alio prætextu, occasione, vel causa, etiam quantumvis justa, rationabili, et privilegiata, etiam tali, quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam revocari, aut ad terminos juris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu quomodolibet concesso, aut impetrato quempiam uti, seu se juvari in judicio, vel extra illud posse; sed easdem præsentes semper, perpetuoque validas, firmas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac per omnes et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum inviolabiliter observari.

39. Sicque, et non aliter in præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, et Sedis Apostolicæ Nuncios, et alios quavis auctoritate, et potestate fungentes et functuros in quavis causa, et instantia, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, seu interpretandi facultate, et auctoritate judicari, ac definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

40. Non obstantibus Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, etiam in Conciliis generalibus editis, et quatenus opus sit regula no-

stra de non tollendo jure quæsito, nec non sæpedictæ Societatis, illiusque Domorum, Collegiorum, ac Ecclesiarum etiam juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis eidem Societati, illiusque Superioribus, religiosis, et personis quibuslibet sub quibusvis tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque decretis etiam irritantibus, etiam motu simili, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, et singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata exprimerentur, et insererentur, præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

41. Volumus autem, ut præsentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, et extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 21 julii 1773, pontificatus nostri anno quinto.

A. Card. Nigronus.